This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
5320567066
6 — 6a
D 52153

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FACULTAD DE DERECHO
Vol. 1806 Obra 786
Estante 35 Tabla 2
Clasificación 348.3
348.3
S072

Digitized by Google

A LA MÊME LIBRAIRIE.

LA

SOLITAIRE DES ROCHERS

OU

CORRESPONDANCE DE JEANNE-MARGUERITE DE MONTMORENCY

AVEC LE P. LUC DE BRAY, SON DIRECTEUR

Nouvelle édition, revue et corrigée d'après le véritable manuscrit, par M. l'abbé Bouix, auteur du *Cours de droit canon*. Précédé d'une lettre de Mgr l'Évêque de Versailles. 2 beaux vol. in-12..... 7 fr.

Souffrances de N.-S. Jésus-Christ, par le P. Thomas de Jésus ; traduit par le P. Alleaume, de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition. 2 gros vol. in-12..... 2 fr. 80

ŒUVRES DE M. L'ABBÉ NOEL

VICAIRE GÉNÉRAL DE RODEZ.

Nouvelle explication du Catéchisme de Rodez, divisée en instructions, avec de nombreux traits historiques. 6 beaux vol. in-12... ..... 24 fr.

Instructions sur la liturgie, ou Explication des prières et des cérémonies de la messe, avec de nombreux traits historiques à la suite de chaque instruction. 5 beaux vol. in-12..... 20 fr.

Explication littérale, morale et mystique des prières et des cérémonies de la messe, avec de nouveaux traits historiques. 2 vol. in-12..... 8 fr.

ŒUVRES CHOISIES DE Mgr DUPANLOUP

Évêque d'Orléans, de l'Académie française

PORTRAIT GRAVÉ SUR ACIER PAR M. MARTINET, DE L'INSTITUT

4 beaux vol. in-8..... 30 fr.

Corbeil. — Typ. et stér. de Crété.

Digitized by Google

TRACTATUS

DE

JURE REGULARIUM

UBI ET DE RELIGIOSIS FAMILIIS,

QUÆ VOTA SOLEMNIA,

VEL ETIAM SIMPLICIA PERPETUA NON HABENT,

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

EDITIO SECUNDA

TOMUS SECUNDUS

APUD PERISSE FRATRES CATHOLICOS BIBLIOPOLAS

(IN RECENTIORI DOMO)

REGIS RUFFET ET SOCIIS, SUCCESSORIBUS

PARISIIS | **BRUXELLIS**

VIA DICTA SANCTI SULPITII, 38. | FORO SANCTÆ GUDULÆ, 4.

1867

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAD DE DERECHO SECRETARÍA

TRACTATUS

DE

JURE REGULARIUM

SEU

DE RELIGIOSIS ORDINIBUS ET CONGREGATIONIBUS

PARS V

DE JURE REGULARIUM AD EXTRA.

Jam compertum habet lector quid sit religiosus status : item quatenus hujusce status essentiam sortiantur certæ quædam religiosarum familiarum formæ, ac extraordinarii existendi modi, de quibus potissimum difficultas moveri posset : item quæ sit norma recte constituendorum religiosorum ordinum : et tandem quomodo singula ipsis membra, per legitimum ingressum, canonice adunentur.

Superest ut de regularibus, jam (ex hypothesi) legitime constitutis, jus exponamus. Cum autem ejusmodi, quæ tradendæ supersunt, juris dispositiones, aliæ solos ipsos regulares respiciant, aliæ vero simul relativæ sint ad varias personas religiosis familiis extraneas (verbi gratia, ad Episcopos et sæcularem clerum), visum est eas bifariam distribuere. Quapropter sub hac quinta tractatus parte agemus *de jure regularium ad extra :* in sexta autem et ultima jus eorum *ad intra* describemus.

Digitized by Google

SECTIO I.

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA.

Hic expendendum venit, an et quatenus regulares possint ad summum Pontificatum, ad cardinalatum, ad episcopatum, ad parochiatum, aliaque munia et dignitates assumi. Quam disceptationem hoc ordine expediemus : 1° de regularium habilitate ad officia clericorum in genere : 2° munus parochiale religiosi status essentiæ nequaquam repugnat : 3° an et quatenus beneficia curata regularia possint aut debeant regularibus regenda committi : 4° an et quatenus religiosis conferri possint beneficia curata sæcularia : 5° an parochiales ecclesiæ hodie possint monasteriis uniri : 6° an et quatenus regulares obtinere valeant beneficia simplicia, dignitates, variaque alia officia episcopali inferiora : 7° an et quatenus valeant ad gradus academicos promoveri, et docere in publicis scholis : 8° an et quatenus valeant ad episcopatum, cardinalatum et summum Pontificatum evehi.

CAPUT I.

DE REGULARIUM HABILITATE AD OFFICIA CLERICORUM IN GENERE.

Non novus, sed veternosus et pluries confossus error est, quo fingitur status religiosus, ex primæva sua institutione ac genuino fine, a clericorum gradibus ac muniis alienus, prorsusque ablegandus. Quod inane commentum denuo recudi videmus, quoties aut in regularium familias invidia recrudescit, aut nova ad demoliendam sedis Apostolicæ auctorita-

Digitized by Google

tem machinatio substernitur. Hujus autem erroris sequacibus solemne est ad antiquam disciplinam atque Ecclesiæ mentem provocare, et subdole expiscatis nonnullis textibus incautos decipere. Hinc antequam regularium ad singula in particulari clericalia munia aptitudinem ostendamus, visum est hic eorumdem ad munia hæc habilitatem *in genere*, ex antiquitatis documentis, perpetua Ecclesiæ praxi et constanti Patrum traditione palam facere.

1° Jam ab anno 385 dubium hac de re, si quod intervenire potuisset, tollebat Siricius Papa, in celebri sua ad Himerium Tarraconensem epistola, cujus authenticitatem ab eruditis pro explorata prorsus haberi notum est : *Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, et vitæ ac fidei institutio commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus ; ita ut qui intra tricesimum ætatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos crescente tempore promoveantur ordinibus ; et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia maturæ ætatis consecratione perveniant, nec statim saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita* (Vide Berardi *Canones Gratiani genuini*, parte 2, t. 1, pag. 229. Vide etiam hunc locum Siricii Papæ a Pio VI allegatum in bulla *Auctorem fidei*, propositione 80).

Frustra ergo ejusdem vel recentioris ævi textus obtruduntur, quibus prohibentur monachi, ne clericorum muniis et gradibus sese immisceant. Centies responsum est, agi in hisce textibus de monachis illis, qui ex peculiari suo instituto laici permanere, et vitæ contemplativæ exclusive vacare proposuerant. At præter hæcce anachoretica instituta, potuisse etiam legitime institui monachos, qui vitæ *mixtæ* dicarentur, evincunt citata Siricii verba. Imo nunquam in Ecclesia defuisse religiosos vitæ *activæ* seu Apostolicæ addictos multorum eruditorum opinio est. Nam et in duodecim Apostolis religiosi status essentiam agnoscunt. Item viros illos qui sub philosophorum et ascetarum nomine, prout S. Justinus martyr,

Digitized by Google

defendendæ et propagandæ fidei adlaborabant, pro religiosis habent. A S. Augustino et S. Eusebio Vercellensi, eosdem monachos quos clericos institutos existimant. Quæ quidem nos, utpote controversiis aliquatenus obnoxia, non urgebimus. At certum illud atque inconcussum tenemus, haudquaquam clericalibus officiis religiosum statum ex natura sua repugnare, ut alibi demonstravimus. Certa et inconcussa Siricii Papæ sanctio, qua monachatui clericorum officia consocianda decernit.

2° Egilwardus, qui vixit circa annum 989, citat hæc S. Gregorii Magni verba : *Videtur Nobis quia, qui sua pro Deo relinquunt, et a passione et morte ejus sumunt exordia mutatæ conversationis, dignius liceat baptizare, communionem dare, pœnitentiam imponere, peccata solvere... Censemus ergo monachos prædicare, baptizare, communicare, pœnitentes solvere, juxta constituta trecentorum decem et octo Patrum.* (Vita S. Burchardi, auctore Egilwardo, Mabillonius, *Acta SS. ord. S. Benedicti*, sæc. 3, parte 1, pag. 716). Ibidem Mabillonius, nota *a*, sic habet : *Hoc Gregorii decretum sancitum est in concilio Romano ad annum* 592, *quo anno refertur a Baronio.* Sed ego apud Baronium sub dicto anno decretum illud non inveni.

Si authentica sint citata S. Gregorii Magni verba, en jam iterum sæculo sexto decisum, non tantum digne, sed *dignius* clericatum et clericalia officia monachis exercenda committi.

3° Sequenti sæculo, anno scilicet 610, Bonifacius IV hunc ipsum errorem, quem hic confutamus, compescendum habuit. Jam enim ex tunc, invidia in monachos excitati clerici, negotium ipsis facessebant, objicientes eis, utpote mundo mortuis, interdicta clericalia officia esse censenda. Decretum quo Bonifacius IV errorem hunc compressit, reperies apud Labbe (tomo 5, col. 1618, edit. Parisiis 1671), dupliciter editum. Nos posteriorem textum subjicimus : *Sunt nonnulli stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, aut christianitatem, seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officii*

Digitized by Google

injunctam gratiam. Sed omnino falluntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ sedis compar beatus Gregorius, monachico pollens cultu, ad summum apicem nullatenus conscenderit, cui solvendi ligandique potestas concessa est. Augustinus quoque ejusdem Sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum prædicator egregius, et Pannoniensis Martinus, aliique quamplurimi viri sanctissimi, pretioso monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrharentur. Neque enim Benedictus, monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor ; sed eos sæcularium negotiorum dixit expertes esse debere: quod quidem Apostolicis documentis et sanctorum Patrum institutis, non solum universis (1), *verum etiam canonicis summopere imperatur. Utrisque enim perspicacibus sanctorum Patrum exemplis, ut mundo mortui sint præcipitur. Credimus igitur a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium digne administrari, si tamen digne contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quod evidenter affirmat quisquis statum monachorum et habitum considerat... Decertantes igitur contra monachos in hac re, sacerdotalis potentiæ arcere officio præcipimus, ut ab hujusmodi nefandis ausibus in posterum reprimantur, quia quanto quisque excelsior tanto potentior.* Hæc ultima phrasis in altero codice sic habetur : *Decertantes igitur monachicæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnino præcipimus ut ab hujusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum ; quia quanto quisque celsior, tanto potentior.*

Objicies. — Hoc Bonifacii IV decretum ut apocryphum rejicit Van Espenius ; et Berardo (*Canones Gratiani...* parte 2, tom. 2, pag. 186) visum est tribuendum concilio Nemausensi anni 1096.

Respondeo. — Espenium et Berardum prorsus errasse, et citatum decretum esse revera Bonifacio IV adscribendum ; prout peremptorie probant moderni Bollandiani (*Examen libri*

(1) In altero codice, loco vocabuli *universis*, habetur *monachis*.

Digitized by Google

Mariani Verhoeven, p. 403), ad quos remittimus, ne rem actam agere videamur.

4° Anno circiter 989 scripsit (ut supra dictum est) Egilwardus. Is porro memorat suo etiam tempore nonnullorum fuisse errorem, de quo agimus. Quem ut explodat, primum adducit sacro monachorum ministerio in fide ac religione catholica institutas Franciam, Germaniam, Allemaniam, Burgundiam et Bavariam : « Ipsa quam litteris utcunque tradidi-« mus historia... edocet, sanctorum prædicatorum Kiliani, « Burchardi sociorumque eorum instantia, Franciam orienta-« lem Christo conquisitam ; Germaniam pene universam ma-« gni Bonifacii doctrina in viam veritatis et salutis directam ; « Allemaniam Galli, Burgundiam Columbani, Bavariam Cor-« biniani necnon Ruperti vel Emmetamni fructificatas semi-« nariis. Quos universos, paucissimis exceptis, universali Eccle-« siæ monasticæ professionis atque schematis commendavit « sanctitas : et quo per mundi contemptum in cœlesti theo-« ria facti sunt sublimiores, eo sacerdotali officio digniores, « in prædicationis ministerio apud homines habebantur aptio-« res. » Tum indignans, eos qui interdicta monachis clericalia munia volebant, perstringit in hunc modum : « Cum hæc ita « sint, imo quia ita esse nemo ambigat, miror qua fronte « quidam monachis sacerdotibus quælibet ecclesiastica officia « interdicere præsumant ; si tamen eo ordine quo prædiximus, « per officia regenerationis ab iisdem prædicatoribus initiata, « semetipsos Ecclesiæ filios esse non abnegant. Hi tamen, ne « nos partis nostræ quasi temerarios defensores acrius impu-« gnent, Magni Gregorii decretum, contra idem schisma pro-« mulgatum, necnon Bonifacii, qui quartus ab illo sedem Apo-« stolicam gubernavit, ad idipsum consentientem sententiam « relegant. » Et ibi citat Egilwardus jam a nobis adducta sancti Gregorii Magni, et Bonifacii IV decreta. Et notet lector errorem hunc, de monachis a sacro ministerio arcendis, ab Egilwardo *schisma* vocari. In quod quidem schisma sic suam animadversionem claudit : « Nobis igitur, pauculis insertis,

Digitized by Google

« contra eos duntaxat, qui coram oculis nostris vestigia Patrum « delere, vel laqueos pedibus nostris abscondere moliuntur « (licet multo plures Patrum abundent sententiæ, quæ hujus- « modi repugnent invidiæ), libet stylum ad omissa reflectere. » (Vita sancti Burchardi, auctore Egilwardo, apud Mabillonium, *Acta sanctorum ordinis Sancti Bened.*, tom. 3, pag. 715 et seq., edit. Parisiis 1672.)

5° In concilio Nemausensi anni 1096, sub Urbano II, cui interfuerunt decem saltem Archiepiscopi, et 86 Episcopi et abbates, primo confirmatum fuit decretum Bonifacii IV, quod supra jam transcripsimus, inscripta hac rubrica : *quod male quidam monachis negent sacerdotali officio fungi licere*. Tum ad idem magis inculcandum, hujus synodi Patres, sub rubrica, *quod monachi sacerdotali ministerio rectius fungi possint quam presbyteri sæculares*, sequentem edidere sanctionem : « Oportet « eos qui sæculum reliquerunt, majorem sollicitudinem habere « pro peccatis hominum orare, et plus valere eorum peccata sol- « vere, quam presbyteri sæculares. Quia si secundum regulam « Apostolicam vivunt, et eorum sequentes vestigia communem « vitam ducunt (juxta quod in actibus eorum scriptum est : « *Erat illis cor unum et anima una, et erant illis omnia com-* « *munia*) ; ideoque videtur nobis, ut his qui sua relinquunt pro « Deo, dignius liceat baptizare, communionem dare, pœniten- « tiam imponere, necnon peccata solvere. Unde considerare nos « oportet quantæ virtutis apud Deum sint qui sæculum relin- « quentes, Domini obediunt præcepto dicentis : *Relinque omnia* « *quæ habes, et veni, sequere me*. Unde censemus eos qui Apo- « stolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionem « dare, suscipere pœnitentes, peccata solvere. » (Apud Mansi, tomo 20, col. 934 et 935.)

6° Nimium nota Guillelmi a Sancto Amore et aliquot Sorbonicorum molimina, queis religiosos a sacro exercendo ministerio arcere tentarunt, ut eis commemorandis immorari necesse sit. A sancto Thoma et sancto Bonaventura editæ confutationes in æternum erronei hujusce systematis oppro-

Digitized by Google

brium permanebunt. Et quemadmodum olim Bonifacius IV, ita etiam tunc sedes Apostolica ex invidia et zelo amaritudinis ortam hanc in regulares tempestatem bene intellexit.

7° At toties damnatum errorem iterum excitarunt Jansenistæ; et in synodo Pistoriensi inter doctrinæ catholicæ capita recensere ausi sunt. Quam audaciam perfregit Pius VI celebri sua bulla *Auctorem fidei*, ubi octogesima ex damnatis propositio sic occurrit : « Regula prima quæ statuit universe et indiscri-
« minatim, statum regularem aut monasticum natura sua
« componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pasto-
« ralis muneribus, nec ideo in partem venire posse ecclesiasticæ
« hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ
« monasticæ principiis — falsa; perniciosa; in sanctissimos
« Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum
« clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa; pio,
« vetusto, probato Ecclesiæ mori, summorumque Pontificum
« sanctionibus contraria : quasi monachi, quos morum gravi-
« tas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, non rite,
« nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utili-
« tate Ecclesiæ clericorum officiis aggregentur : ex sancto
« Siricio, epistola decretoria ad Himerium Tarraconensem,
« c. 13. »

Ergo ex antiquitatis documentis, ex Patrum traditione, ex perenni Ecclesiæ praxi, necnon expressis ipsius decretis omnino certa est atque admittenda regularium ad clericalia munia habilitas. Hanc negare non libera inter catholicos opinio, sed apertus et multoties damnatus error. Atque utinam juniores in seminariis clerici hac de re diligenter edocerentur ! Quamvis enim hujusce erroris, utpote toties confixi, et nunquam non ex livore ac invidia excitati, catholicum quemque pudere deberet, adhuc tamen hodiernis temporibus haud pauca videmus a viris etiam ecclesiasticis edi scripta, quæ husjusce systematis virus non parum redolent.

Iis certe scriptoribus oculos aperire debuisset vel illa tam antiqua tamque constans Ecclesiæ praxis, ut religiosi ad

Digitized by Google

summum Pontificatum, ad cardinalatum, atque ad episcopatum evehantur. Ex unica religiosa familia, 40 summi Pontifices numerantur, Cardinales plusquam 200, et Episcopi vel Archiepiscopi fere 6000. Sancivit Sixtus V (bulla *Postquam*, § 9). « ut præter egregios utriusque juris aut decretorum « doctores non desint aliquot insignes viri, in sacra theologia « magistri, *præsertim* ex regularibus et mendicantium ordi- « *nibus* assumendi, saltem quatuor, non pauciores. » Item in romanis Congregationibus suæ certæ regularibus sedes : « Ut « plurimum (inquit Catalanus, *Concil. œcum. illustrata*, tom. 3, « pag. 362) regulares sunt, qui hodieque Romæ in rebus « summis adhibentur : consultores quippe sunt ipsi insignium « Congregationum, Sanctæ Romanæ Inquisitionis, Sacrorum « Rituum, Indicis, Indulgentiarum, Reliquiarumque : iidemque « illos examinant, qui vel ad ordines, vel ad animarum curam « promovendi sunt. »

Si monachis liceat superiora hæc obire munia, cur non inferiora? Cæterum sicut episcopatum, ita et animarum curam in parochiis, necnon prædicandi et confessiones audiendi munus, religiosis committi posse, ex certis Ecclesiæ legibus statutum et definitum infra ostendetur.

CAPUT II

MUNUS PAROCHIALE RELIGIOSI STATUS ESSENTIÆ NEQUAQUAM REPUGNAT.

Inter varios ex infenso in regulares animo exortos errores, haud ultimo recensenda loco est opinio illa, qua contenderunt non pauci (Jansenianæ præsertim sectæ) scriptores, ablegandos prorsus ab exercitio curæ animarum parochialibusque muniis religiosos : alienum id a proprio status regularis fine : nec nisi ex abusu introductum, ut a regularibus parochiæ quamplurimæ, imo et diœceses regerentur. Quam doctrinam hodierni etiam nonnulli auctores amplexati, subversam ex hac

Digitized by Google

regularium in munia parochialia immixtione hierarchiam ecclesiasticam, truncatamque eximiam parochiarum institutionem lamentantur. Est autem opinio hæc omnino erronea ac rejicienda.

Probatur 1°. — Ex natura parochialis muneris et status religiosi. Nam parochiale munus in eo consistit ut certo alicui populo sacramenta cum verbi Dei pabulo ministrentur, ex reciproca obligatione, qua parochus id præstare teneatur, et populus vicissim quoad hæc ad parochum recurrere debeat. Porro ejusmodi officium nequaquam statui religioso aut fini ejus proprio adversatur. Nam essentialis statui religioso finis est, ut per triplicis evangelici consilii votum perpetuum, ad acquirendam christianam perfectionem tendatur. Quod autem instituta religiosa variis modis hunc finem sibi assequendum proponant, alia nempe officiis charitatis erga proximum sese impendendo; alia contemplationi exclusive vacando, id status religiosi essentiæ accidentale est. Nec minus essentiam status religiosi habet ordo, qui per prædicationem, juventutis educationem, sacri ministerii exercitium, pauperumve in hospitalibus servitium ex proprio instituto proximum juvat, quam qui divinis laudibus et orationi seu vitæ contemplativæ se totum addicit. Sunt nempe variæ istæ status religiosi formæ omnino accidentales; et sive cum una, sive cum altera potest status religiosi essentia consistere. Quo semel admisso, jam patet statui religioso et essentiali ipsius fini nequaquam repugnare, ut religiosus deputetur ad ministranda ex officio sacramenta et dispensandum divini verbi pabulum alicui sibi assignato populo. Id enim non repugnat voto castitatis ut patet: neque voto obedientiæ, quia supponitur, religiosum nonnisi ex superioris sui licentia vel mandato, parochiali officio incumbere: neque voto paupertatis, quia, etsi plerumque dicto officio conjungatur beneficium, et sic religiosus evadat beneficiatus, nihil tamen proprii acquirit; sed habet duntaxat usum, administrationem et dispensationem fructuum beneficii, quod voto paupertatis nullatenus repugnat: et tandem non repugnat obli-

Digitized by Google

gationi prosequendæ perfectionis ; quia officia charitatis erga proximum, nedum obstent perfectionis prosecutioni, optimum e contra medium censenda sunt ad christianam perfectionem acquirendam; quod adeo verum est, ut plurima instituta religiosa ejusmodi medium tanquam sibi proprium elegerint. Et ordo Præmonstratensium illud ipsum, de quo loquimur, regendarum parochiarum munus, sibi peculiariter assumpsit. Ergo revera parochiale munus nequaquam status religiosi essentiæ et fini proprio repugnat.

Probatur 2°. — Exemplo religiosorum qui ad episcopatum evehuntur. Certum est in ipsis remanere status religiosi rationem seu essentiam. Si ergo essentiæ status religiosi non repugnet episcopatus, a fortiori non repugnabit officium parochi.

Probatur 3°. — Inconcussis auctoritatibus. Etenim superiori capite adduximus decreta Siricii Papæ, Gregorii Magni, Bonifacii IV, itemque bullam *Auctorem fidei*. Quibus auctoritatibus declarantur regulares, non tantum habiles et digni, sed etiam *digniores* et aptiores ad baptizandum, prædicandum, ministrandum pœnitentiæ sacramentum, ac varia generatim adimplenda clericorum munia. Quæ profecto decreta, nedum parochiale munus excludant, aperte e contra totum quantum includunt.

Probatur 4°. — Ecclesiæ praxi. Quod enim exstent beneficia curata regularia, et animarum cura per regulares quamplurimis in locis exerceatur, est praxis universalis jam a multis sæculis perdurans, ab Ecclesia probata et firmata. Id porro si foret statui religioso repugnans, et ex abusu introductum, nec in suam universalem disciplinam induxisset Ecclesia, nec tolerasset.

Probatur 5°. — Ex Tridentina synodo, quæ sic decernit (sess. 25, *de Regularibus*, c. 11) : *In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium,... tam regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediate, in iis quæ ad dictam curam... pertinent, jurisdictioni, visitationi et correc-*

Digitized by Google

tioni Episcopi. Ibi tanquam certum supponitur posse legitime *tam regulares quam sæculares* exercendæ animarum curæ addici. Nisi ergo regulares apti forent ad legitime exercenda parochialia munia, prorsus errasset Tridentinum concilium; quod dicere non minus impium est quam absonum.

Probatur 6°. — Doctorum auctoritate. Sic habet Engel (in tit. 37, *de Cappellis monach.*, n. 5 et seq.) : « Si beneficia habeant curam *fori externi*, eorum capaces esse regulares « exinde manifestum redditur, quod religiosus etiam possit « eligi in Episcopum, quamvis ecclesia sit sæcularis... Sane si « cura fori externi, multas curas et distractiones a vita religiosa habens annexas, potest committi religiosis, vix apparet « cur non etiam, imo multo magis cura *fori interni*. Experientia quoque comprobat, a fidelibus laicis sacramenta apud « religiosos multo libentius frequentari, de quorum spiritualitate et doctrina magis confidunt... Utique non est inconveniens ut, quod religiosi per exercitia spiritualia in monasterio « didicerant, de eodem etiam alios instruant... Sane non parum « exspectandum est a religioso, circa doctrinam christianam, « consolationem fidelium, præsertim in mortis articulo, qui « per multos annos a vitiis sæculi purgatus, nonnunquam a « puero inter mera pietatis exercitia ac sanctas meditationes « enutritus est. »

Eadem est Suaresii doctrina : « Suppono imprimis, inquit, « religiosum ex vi professionis suæ non esse incapacem ecclesiastici beneficii, etiam curam animarum annexam habentis. Sunt quidem multa antiqua decreta prohibentia, ne « monachi clericorum officia populis celebrare aut ministrare « præsumant, quæ congerit Gratianus 16, q. 1 : verumtamen « illa decreta loquuntur primo secundum antiquam consuetudinem monachorum qui laici erant, et ex vi suæ professionis clerici non erant, neque ad hunc finem instituebantur. « Nunc autem solum asserimus, professionem religiosam per « se et vi sua non reddere personam incapacem ecclesiastici « beneficii ; quod declaratur in hunc modum : nam duo sunt

Digitized by Google

« in beneficio ecclesiastico distinguenda : primum est spirituale « jus ad tale ministerium, quod jus interdum etiam includit « jurisdictionem ecclesiasticam, vel in administratione verbi « Dei et sacramentorum, vel etiam fori contentiosi. Secundum « est temporale commodum, quod ratione officii habet benefi- « cium. Quantum ad primum, constat religiosum non esse inca- « pacem illius juris, quia non repugnat cum aliquo voto substan- « *tiali* religionis... Quoad alteram partem vero de temporalibus bo- « nis, non est de ratione beneficii, ut eorum proprietas acquiratur « habenti beneficium, sed satis est quod ad illum pertineat ad- « ministratio, usus et dispensatio talium bonorum ; imo multi « existimant, beneficiarios sæculares non plus habere : ergo « ex vi paupertatis religiosus non est incapax beneficii. Neque « ex vi voti obedientiæ, quia in obtinendo beneficio servari po- « test obedientia. »

Cæteros probatæ doctrinæ auctores, in admittenda præsenti conclusione nostra, concordare reperies.

Objicies 1°. — Religiosi ex status sui essentia, debent, procul ab omni hominum consortio, orationibus, silentio et pœnitentiæ vacare ; ergo huic statui repugnat parochiale munus. — Respondeo, antecedens esse illud ipsum mendacium, quod perpetuo Jansenistæ decantarunt, ut regulares sacris ministeriis et vitæ activæ ex instituto vacantes de medio tollerent. Qui vitam eremiticam voverunt, aut nomen dederunt alicui instituto, cui proprium est ab omni cum sæcularibus consortio abstinere, hi quidem tenebuntur, non ob status religiosi essentiam, sed ob peculiarem hunc instituti sui scopum a muniis parochialibus declinare. Atvero id dici nequit de statu religioso in genere. Quinimo religiosi ordines multi, non tantum possunt, sed debent cum sæcularibus versari ; quia ex instituto debent prædicare, juventutem edocere, et alia ejusmodi munia instituti sui propria explere.

Objicies 2°. — Prioribus Ecclesiæ sæculis haud licitum monachis fuit sese in munia parochialia immiscere. — Respondeo : hinc colligi duntaxat potest eorum temporum monachos pro

Digitized by Google

speciali instituto habuisse vitam contemplativam. Perperam autem inde concluderetur, essentiæ status religiosi repugnare regulares quibus ex instituto liceat prædicare, baptizare sacramentaque alia ministrare. Posterioris hujus speciei regulares desiderasse videntur sanctus Augustinus et sanctus Eusebius Vercellensis, cum ipsosmet clericos, sacris ministeriis addicendos, sub communi regulà adunarunt, atque in quemdam veluti religiosum ordinem instituerunt. Cæterum etsi tempore sancti Hieronymi haud congruum videretur e claustro exire monachum, sacrisque initiatum procurandæ populorum saluti operam impendere, id postea utile reputavit Ecclesia quæ, non minus posterioribus quam prioribus sæculis, in sua generali disciplina infallibilis est. Quæstionem autem de tempore quo cœperint ipsi etiam monachi munia illa, quæ parochialia vocantur, exercere, hic prætermittimus, ne propositos tractatus hujusce limites excedamus. Liceat tamen hæc Innocentii III, anno 1213 prolata verba subnectere : *Per antiquos canones etiam monachi possunt ad ecclesiarum paræcialium regimen in presbyteros ordinari* (capite *Quod Dei timorem* 5, *de Statu monach.*). Liceat et Siricium Papam commemorare, anno 385 sic decernentem : *Monachos quoque clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut.., in minoribus per gradus singulos promoveantur ordinibus, et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia... perveniant, nec statim saltu ad episcopatus culmen ascendant* (vide textum integrum, superiori capite, n. 1).

In hac ergo quæstione, num a professione religiosæ vitæ alienum sit parochialis muneris exercitium, frustra objicitur contrariam aliquando fuisse disciplinam : esto per aliquot priora sæcula monachi a verbi divini prædicatione administrandisque fideli populo sacramentis abstinuerint : quæstio est an ad id inhabiles fuerint vi status religiosi. Inhabiles eos non fuisse probat subsecuta multorum sæculorum disciplina : probant sancti Dominici et sancti Francisci ordines, in hunc præcipue finem instituti, et ab Ecclesia approbati, ut populis

Digitized by Google

christianis prædicatione, sacramentorum administratione, necnon tradenda in scholis sacra doctrina, succurrant. Vera ergo conclusio est, *per se* aptos, imo et aptiores, ut supra asserentem audivimus Urbanum II, regulares reputandos esse ad sacri ministerii munia, quæ parochialia vocantur : *per accidens* autem, id est, ob peculiarem alicujus instituti (solitudinem præcipue sectantis) finem, vel etiam ob speciales aliquorum temporum aut locorum circumstantias, aptius eos a regendis parochiis arceri.

CAPUT III

AN ET QUATENUS BENEFICIA CURATA REGULARIA POSSINT AUT DEBEANT REGULARIBUS REGENDA COMMITTI.

Duobus paragraphis quæstionem illam expediemus : 1° exquiremus, quodnam fuerit, sive ante Tridentinam synodum, sive a tempore Tridentinæ synodi usque ad celebrem S. Pii V hac de re constitutionem, regularium jus in beneficia curata regularia, seu in parochiales ecclesias ipsorum monasteriis unitas : 2° hodiernum jus commune regularium quoad dictas parochiales describemus.

§ I

Quodnam fuerit ante S. Pium V regularium jus in beneficia curata regularia, seu in parochiales ecclesias ipsorum monasteriis unitas.

Prænotanda. — « 1° Communis divisio beneficiorum est, « quod alia sint sæcularia, alia regularia. *Sæcularia* dicuntur « illa quæ, vel ab initio pro clericis sæcularibus fundata sunt, « vel in quibus ex succedente præscriptione 40 annorum, vel « legitima fundationis (ex auctoritate sedis Apostolicæ) com- « mutatione, sæcularibus clericis jus quæsitum est. *Regularia* « vero beneficia sunt, quæ similiter, vel ex prima fundatione, « vel succedente præscriptione, fundationis commutatione,

Digitized by Google

« aut unione seu incorporatione, regularibus conferuntur. » (Engel, in tit. *de Cappellis monach.*, n. 1.) Item, juxta Leurenium, est beneficium regulare, « quod solis religiosis conferetur, utpote iis solis, ex fundatione, seu institutione, seu consuetudine, vel præscriptione addictum ; ut abbatia, prioratus, canonicatus regularis, et aliquæ parochiæ. Dum autem non constat esse regulare, præsumitur semper sæculare. » (*Forum beneficiale*, parte 1, q. 32, n. 2.)

Ad dignoscendum autem utrum regulare sit, an potius sæculare, præcipua et optima regula est decretalis *Cum de beneficio* (5, *de Præbendis*, in 6). Quando nempe agitur de beneficio sæculari seu (quod idem est) *consueto clericis sæcularibus assignari*, juxta illam decretalem, *de illo debet intelligi, quod tanto tempore ab uno vel pluribus sæcularibus clericis, institutis in eo rectoribus, exstitit continue ac pacifice gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa, etiamsi ante vel post religiosi quandoque ministraverint in eodem.* Et vice versa quoad beneficium regulare.

2° « Quod attinet ad parochias monasteriis unitas et incorporatas, sciendum est, earum quasdam unitas esse tantum *quoad temporalia*, quasdam autem *pleno jure.* Unio *quoad temporalia* tunc censetur facta, quando decimæ aliique redditus parochiæ sunt assignati monasterio, sed jus instituendi rectorem beneficii pertinet ad Episcopum, solo jure præsentandi monasterio relicto... *Pleno jure* dicuntur unitæ seu incorporatæ parochiæ, quando, præter jus percipiendi temporales redditus, etiam administratio spiritualium, scilicet cura animarum, in monasterium translatum est : atque in tali parochia rector principalis censetur esse abbas monasterii. » (Engel, in tit. *de Cappellis monach.*, n. 10). Parochiales ecclesiæ monasterio unitæ *pleno jure*, dicuntur quoque *de mensa* monasterii, atque etiam *membra* monasterii (vide Pignatellum, tom 9, consult. 158).

3° Schmalzgrueber triplicem parochialium monasteriis unitarum speciem distinguit : « Potest ecclesia parochialis uniri

Digitized by Google

« monasterio tripliciter : 1° *quoad temporalia* tantum... 2° etiam « quoad spiritualia *pleno jure*... 3° *plenissimo jure*, ita ut in po- « pulum ecclesiæ unitæ jurisdictionem quasi episcopalem exer- « ceat monasterium. » (In tit. 37, libri 3 Decret., n. 5.)

4° Est et alia parochialium unitarum divisio in præsenti materia attendenda : nimirum, unitarum *subjective*, id est, tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia ; et unitarum *accessorie*, id est, quoad temporalia tantum (vide *Thesaurus resolutionum*, tom. 6, pag. 378-379, edit. Romæ 1741).

5° Reservatio juris patronatus, vel juris nominandi vicarium perpetuum, probat unionem esse duntaxat accessoriam, ac proinde non esse subjectivam, nec pleno jure ; prout recte adnotatur in causa *Spirensi* 18 julii, 17 § *Verum* (*Thesaurus resol.*, t. 30) ; ubi dicitur decreti cujusdam unionis tenorem interpretandum esse « quoad temporalia tantum, ob præser- « vatum jus patronatus et jus nominandi vicarium perpe- « tuum : quæ duæ circumstantiæ repugnant unioni subje- « ctive ; ut de jure patronatus dixit Rota in *Sedunensi paro- « chialis* 10 januarii 1757...; et de vicario perpetuo, in *Valen- «tina vicariæ* 12 februarii 1734... »

6° Quando parochialis monasterio est unita pleno jure, cura habitualis residet penes totam familiam conventus, seu penes capitulum ; ita tamen ut prælatus collegium repræsentet in curæ exercitio. Quod sic adnotatur in causa *Bononiensi* 3 julii 1762 (*Thesaurus resol.*, tom. 31). « Cum omnis ecclesia regu- « laris sit collegiata ; ad tradita per Cardinalem de Luca « (*de Beneficiis*, disc. 63, n. 3), et Rotam... Et ideo putant « curam habitualem residere.. penes totam religiosam fami- « liam conventus.., cum in ecclesiis collegiatis illa pertineat « ad totum ipsius capitulum, ut notant Pignatellus (cons. 150, « n. 1, t. 9), et Rota...

« Prælatus, sive collegii caput, in exercitio curæ repræ- « sentat ipsum collegium, ut tradunt Pitonius.., Rota.., et « censuit hæc S. Congregatio in *Senogalliensi*, 18 novembris « 1753, ad 1 dubium. »

Digitized by Google

7° Institutio distinguitur in *collatitiam* et *autorisabilem*. *Collatitia* est collatio juris seu tituli beneficii; et pro perpetuis beneficiis duntaxat locum habet.

Autorisabilis est collatio curæ seu juris administrandi curam animarum, et hæc proprie locum habet quoad *vicarios curatos perpetuos*. Aliquatenus tamen locum etiam habet quoad vicarios curatos *manuales*, seu non perpetuos. Neque enim temporariis vicariis fas est parochialibus muniis sese immiscere, nisi ex auctoritate Episcopi (vide in causa *Agnagnina*, 7 junii 1834, § *Nedum; Thesaurus resol.*, tom. 94).

His prænotatis, sit

Quæstio I^a^. — *Quodnam fuerit jus commune, ante concilium Tridentinum, quoad parochiales ecclesias, monasteriis unitas?* — Jus illud breviter indicabimus, tum pro casu unionis *pleno jure*, tum pro casu unionis *quoad temporalia* duntaxat. Et quoad utrumque casum exquiremus præcipue, ad quem pertinuerit eligere et nominare presbyterum, qui curam exerceret, et an is foret ad nutum monasterii amovibilis. Quam quæstionem de jure ante Tridentinam synodum vigente præmittendam duximus, quo facilius intelligatur hodiernum jus commune, circa eamdem materiam mox exponendum.

I. *Quodnam fuerit jus commune, ante Tridentinam synodum, quoad parochiales* pleno jure *monasteriis unitas?* — 1° Ad exercendam curam non constituebatur vicarius perpetuus, sed amovibilis ad nutum monasterii; 2° hujus electio et nominatio, pertinebat ad monasterium; 3° pro ejusmodi vicario non erat locus *institutioni* per Ordinarium faciendæ. Non immorabimur in adducendis textibus et auctoritatibus præmissas assertiones firmantibus; quia concordant in iis admittendis doctores. Satis erit unum aut alterum adduxisse. « Quando ecclesia est *de mensa* monasterii, tunc jure non « est locus deputationi vicarii perpetui; sed abbas potest « retinere in illis presbyterum sæcularem, ad nutum amovi- « bilem, qui ipsum coadjuvet in cura... Et quoad hunc « effectum hæc est differentia inter ecclesias *simpliciter*

Digitized by Google

« *unitas*, et ecclesias *de mensa*, ut illæ regi debeant per vi-
« carios perpetuos (juxta caput *Extirpandæ*, *de Præbendis*; et
« caput *de Cappellis monachorum*, eodem titulo, in 6); hæ
« vero minime (juxta glossam in Clementinam I, verbo *Ad*
« *mensam*, *de Excessibus Præl.*; et in Clementinam I *de sup-*
« *plenda negligl. Præl.*), et tradunt fere omnes recentiores... ;
« quia non datur aliquis titulus vacabilis aut conferibilis per
« Ordinarium, nequidem quoad institutionem auctorisabi-
« lem. » (Pignatelli, tom. 9, consult. 157, n. 2.) Addit autem Pignatellus, ita concordare auctores dum expendunt solum jus commune ante Tridentinam synodum vigens. Num enim jus illud a Tridentino concilio immutatum fuerit, est alia quæstio. Vide etiam Garciam (*de Beneficiis*, parte XI, c. 2, n. 3).

Nota. — Quod autem etiam juxta jus antiquum, potuerit exerceri cura per religiosum in ejusmodi parochialibus pleno jure unitis, dubium non est (vide Suaresium, *de Religione*, tom. 4, l. 3, c. 19, n. 4). Poterat nempe monasterium curam exercendam committere, sive religioso, sive presbytero sæculari. Uterque autem ad nutum monasterii revocabilis erat.

II. *Quodnam fuerit jus commune ante Tridentinam synodum quoad parochiales, non pleno jure, sed* in temporalibus duntaxat *unitas?* — In hoc casu, 1° præsentatio vicarii curati pertinebat ad monasterium, institutio autem ad Episcopum; 2° ejusmodi vicarius erat perpetuus, non autem ad nutum monasterii amovibilis; 3° ejusmodi vicaria rationem habebat beneficii, ad cujus etiam titulum clericus ordinari poterat; 4° præsentari a monasterio poterat sive unus de religiosis, sive clericus sæcularis. Satis hæc patebunt ex sequentibus textibus et auctoritatibus : « *In ecclesiis, quæ ad eos pleno jure non*
« *pertinent, instituendos presbyteros Episcopis præsentent,*
« *ut eis de plebis cura respondeant : ipsis vero* (religiosis) *pro*
« *rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Insti-*
« *tutos autem, inconsultis Episcopis, non audeant removere.* »
(Capite *in Lateranensi* 31, *de Præbendis.*)

Digitized by Google

Capite unico *de Cappellis monachorum*, in 6, sic decernitur: *Presbyteri, qui ad curam populi per monachos in eorum ecclesiis præsentantur Episcopis et instituuntur ab ipsis* (*cum debeant esse perpetui*), *consuetudine vel statuto quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeunt ecclesiis* (*nisi per Episcopos et ex causa rationabili*) *amoveri.*

« Vicarius perpetuus canonice institutus, est vere bene-
« ficiatus : capite *Postulasti* 27, *de Rescriptis*, ibi : *Non enim*
« *beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vica-*
« *riæ proventibus est provisum.* Sicque vicarius perpetuus ha-
« bet verum titulum, et potest ad dictum titulum ordinari... ca-
« pite *Ad hæc*, 3 *de Officio vicarii.* » (Ferraris, verbo *Vicarius parochialis*, n. 18.)

Quod potuerit præsentari ad curam unus etiam e religiosis, concludit Suarez, vel ex eo solo quod beneficia hæc sint de numero *beneficiorum regularium* (*de Religione*, tom. 4, l. 3, c. 19, n. 22).

Quæstio IIª. — *Quid juris statuerit Tridentina synodus quoad parochiales ecclesias monasteriis unitas seu annexas?* — Tridentina synodus (cap. 7, sess. 7, *de Reform.*) decrevit in hunc modum : « Beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus,
« collegiatis vel monasteriis, beneficiis seu collegiis aut piis
« locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur,
« ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur ; qui solli-
« cite providere procurent ut per idoneos vicarios, etiam
« perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regi-
« mine aliter expedire videbitur, ab eis... ibidem deputandos,
« animarum cura laudabiliter exerceatur : appellationibus, pri-
« vilegiis... minime suffragantibus. »

Ex hoc decreto duæ potissimum ortæ sunt difficultates, nunc expendendæ : nempe,

I. *An per illud decretum mutatum fuerit jus antea vigens quoad parochiales ecclesias monasteriis* pleno jure *unitas?* — 1° Si verba Tridentina intelligenda sint etiam de parochialibus *pleno jure* unitis, dubium non est quin jus antea vigens

Digitized by Google

mutaverint. Nam antea non poterat Episcopus in ejusmodi parochialibus constituere vicarium *perpetuum;* sed liberum erat monasterio ibi exercendam curam committere vicario, qui esset ad nutum ipsiusmet monasterii *amovibilis*, ut supra vidimus. At decretum Tridentinum facultatem facit Episcopo, constituendi vicarium *etiam perpetuum*. Ergo, si verba hæc intelligenda sint etiam de unitis *pleno jure*, concludendum est intervenisse juris communis mutationem. 2° Canonistæ quidam putarunt agi duntaxat in decreto Tridentino de unitis *quoad sola temporalia;* non autem de unitis *pleno jure*, seu (ut dicitur etiam) de iis quæ sunt *de mensa* monasterii seu *membra*. Inter quos sic Pignatellus (tom. 9, consult. 158, n. 4): « Id non intelligitur nisi de simpliciter unitis, et non de mem- « bris, ut clare loquitur concilium. » Sed opinio hæc admitti nequit. Nam si concilium decernere voluisset duntaxat de unitis *quoad temporalia*, absone Ordinariis facultatem fecisset ponendi vicarios *etiam perpetuos;* siquidem antea de jure communi, non tantum poterant, sed et debebant in ejusmodi ecclesiis constitui vicarii curati *perpetui*. Ergo dicendum est, sub decreto comprehendi parochiales etiam *pleno jure* unitas; imo et propter ipsas tantum posita esse verba *etiam perpetuos*. Proinde relative ad unitas *pleno jure*, jus antea vigens revera immutatum est. Sed, ut mox dicemus, hanc ipsam Tridentinam dispositionem immutavit S. Pius V. Quod autem prædicto modo intelligendum sit Tridentinum decretum tradit Barbosa in hunc modum :

« Religiosis, in ecclesiis quæ pleno jure eis subjiciuntur, « pertinet institutio, ut probat textus in Clementina I *de* « *Excessibus Prælatorum*. In ecclesiis vero quæ pleno jure ad « illos non pertinent, institutio et destitutio ad eos non « spectat; sed presbyteri ab illis præsentati ab Episcopo « sunt instituendi (capite *in Lateranensi*, 31, et capite *de Mo-* « *nachis*, 12, *de Præbendis;* capite *Cum et plantare*, et capite « *in Ecclesiis, de Privilegiis*)... Illud maxime adnotabis, quod « in his ecclesiis quæ non pleno jure pertinent ad religiosos,

Digitized by Google

« sed habent Episcopi institutionem, ponendi sunt vicarii « perpetui (ut decidit textus in dicto capite 1, et in dicto « capite *de Monachis*). In iis vero quæ pleno jure ad religiosos « spectant, possunt ipsi ponere vicarios ad nutum suum amo- « vibiles... Quia in hujusmodi beneficiis institutioni locus non « est, sed principalis titulus est penes ipsum monasterium « seu collegium cui unita sunt, et propterea nunquam vacare « dicuntur... Verum licet prædicta procedant de jure communi « antiquo, hodie tamen aliquam recipiunt mutationem ex de- « creto concilii Tridentini (sess. 7, c. 7, *de Ref.*) quatenus de- « cernit ut Ordinarii deputare possint vicarios etiam perpetuos « in quibuscunque beneficiis curatis, quæ unita reperiuntur « ecclesiis cathedralibus, collegiis, et monasteriis... Quæ verba « comprehendunt quæcunque monasteria exempta, et eccle- « sias quomodocunque eisdem et eorum mensæ unitas. » (Barbosa, *de Potestate Episcopi*, part. 3, alleg. 72, n. 188 et 189.)

II. *An vi præfati decreti liberum semper sit Episcopis vicarios perpetuos in parochialibus unitis constituere?* — « Sunt « plures casus (ait Ferraris, verbo *Vicarius parochialis*, n. 8) in « quibus nequit vicarium perpetuum deputare :

« 1° Quando beneficium est unitum et annexum monasterio « regularium (1). Tunc enim Episcopus non potest deputare « pro ejus servitio vicarium perpetuum, sed solum tempora- « lem, et ad nutum amovibilem, ut declaravit sanctus Pius V, « constitutione incipiente *Ad exequendum*.

« 2° Quando a tempore immemorabili unio facta fuit, ac ex « tunc constat vicarios fuisse ad nutum amovibiles, scientibus et « consentientibus Ordinariis, et nunquam vicarium perpetuum

(1) Debuisset dicere Ferraris *regularium mendicantium aut monachorum*; quia non plus dicit S. Pius V, ut infra videbimus. Et sic non comprehenduntur cætera monasteria, verbi gratia, monialium, militarium ordinum, etc. Non comprehenduntur, inquam, cætera monasteria, *vi Pianæ constitutionis* : nam ex communicatione privilegiorum, vel ex speciali privilegio potest et aliis regularibus dictum jus competere.

Digitized by Google

« fuisse constitutum. Barbosa... Sanchez... Reiffenstuel... et « alii.

« 3° Quando unio facta est per viam pacti et concordiæ a « sede Apostolica approbatæ, cum clausula, *ut deserviri possit* « *per vicarium ad nutum amovibilem...*

« 4° Quando pro bono pacis, et pro tollendis litibus, ac pro « meliori beneficii servitio expedit, per vicarium ad nutum « amovibilem ecclesiam gubernari... Arguitur capite 7 conci- « lii Tridentini ; ubi id non reliquit liberæ Episcopi voluntati, « sed usum est verbis arbitrium boni viri denotantibus, ibi : « *Nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter* « *expedire videbitur.*

5° Quando ex privilegio, *remunerationis causa* concesso, « beneficio est unitum cum clausula, *ponendi vicarium ad nu-* « *tum amovibilem.* Quia in generali privilegiorum derogatione « facta a Tridentino, citato capite 7, non comprehenduntur « privilegia remunerationis gratia concessa...

« 6° Quando ex privilegio Pontificio, post Tridentinum de- « cretum concesso, unitum est beneficium parochiale cum « clausula, *instituendi vicarium ad nutum amovibilem.* Quia « tale Pontificium privilegium post Tridentinum concessum de- « rogaret dicto Tridentino decreto. »

§ II.

Determinatur hodiernum regularium jus quoad parochiales ecclesias monasteriis unitas.

Cum quæstio hæc a sancti Pii V constitutione (*Ad exequendum*, 1 novembris 1567) plurimum dependeat, hujus constitutionis paragraphos 4 et 5, e quibus præcipue probationes desumpturi sumus, in antecessum transcribimus :

« Volumus insuper et ita mandamus : quod dicti vicarii per- « petui, non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad no- « minationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur,

Digitized by Google

« cum ipsorum Ordinariorum (seu eorum vicariorum) prævio « examine et approbatione deputentur. » (§ 4.)

« Si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis regularium « mendicantium, possint a superioribus dictorum monasterio- « rum nominari *ex ipsis mendicantibus :* quos si Ordinarii, « prævio examine (per se aut eorum vicarios faciendo) idoneos « ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis « approbaverint, teneantur in vicarios, *ad nutum tamen supe- « riorum suorum amovibiles*, deputare. Idemque etiam servetur « in regularibus monachis tantum ; dummodo in ea parochiali, « in qua unus ex monachis fuerit, servata forma prædicta, vica- « rius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis « monachis. » (§ 5)

Quæstio Iª. — *An bulla sancti Pii V, quæ incipit* Ad exequendum, *adhuc hodie jus faciat ?* — Cum bulla hæc, die 1 novembris anni 1567 edita, circa præsentem materiam plura determinaverit, maximi interest quorumdam errorem refellere, qui putant eam non esse attendendam, utpote a Gregorio XIII postmodum revocatam. Equidem eam annullavit, et ad juris communis terminos reduxit Gregorius XIII, constitutione sua *In tanta rerum,* 1 maii 1573, pontificatus sui anno 1 ; cui constitutioni in bullario rubrica hæc præfigitur : *Reductio ad terminos juris communis et concilii Tridentini, trium constitutionum a Pio V, pro ordinibus mendicantibus et aliis, editarum.*

Sed sciendum est, postea, vivæ vocis oraculo, revalidatam fuisse præfatam sancti Pii V bullam *Ad exequendum,* ab eodem Gregorio XIII. Id testatur Gonzalez (in regulam 8 cancellariæ, glossa 5, § 3, n. 79) in hunc modum : « Nec dicta constitutio « 47 Pii V est revocata per constitutionem 15 Gregorii XIII, « sub data kalendis maii anno 1, sub titulo, *reductio litterarum « F. R. Pii Papæ quinti pro mendicantibus.* Quia... postea « idem Gregorius XIII ore revalidavit eamdem constitutionem « Pii V, dummodo cum fratre seu religioso vicario, ad nutum « amovibili per monasterium, pro subeunda animarum cura « assignando, unus duntaxat alius religiosus extra claustrum

Digitized by Google

« maneat, et non plures (1) : prout Sacra concilii Tridentini « Congregatio declaravit, pro interpretatione capitis 7 sessio- « nis 7 *de Reformatione*. Et sic memorata constitutio est hodie « servanda. »

Idem tanquam certum tradit Riganti (in 1 partem regulæ 9 cancellariæ, § 2, n. 78, tom. 2, pag. 30, edit. Romæ 1745). Postquam enim adnotavit regulæ 9 subjectos non esse vicarios temporales seu ad nutum amovibiles, ita subjungit : « Et hu- « jusmodi generis sunt vicariæ regularium, in quibus religiosi « ipsi a suis superioribus ad nutum amovibiles pro exercenda « cura animarum nominantur, juxta constitutionem sancti « Pii V (c. 47, § 5), quæ non fuit revocata a Gregorio XIII, in « ejus constitutione 9 ; sed potius revalidata, et solum correcta « in eo, quod unus tantum monachus extra clausuram cum « vicario permaneat, et non amplius quatuor, sicuti in consti- « tutione Piana fuerat statutum (Gonzalez.., Cherubinus, « super eadem constitutione 47 sancti Pii V, scholio 1 ; Nico- « larts, ad concordata Germaniæ, titul. 1, dub. 7, § 7; « Rota...) »

Ut de sententia Rotæ unum e plurimis documentis exhibeamus, sola hæc verba citabimus : « Quod autem dicebatur constitu- « tionem Pianam... fuisse revocatam per constitutionem 15 « Gregorii XIII, nullum habet fundamentum. » (*Recentium*, partis 9 tomo 1, pag. 184, decisione 83, n. 17.)

Item S. Congregatio Concilii, non obstante præfata constitutione Gregorii XIII, S. Pii bullam *Ad exequendum* tanquam regulam omnino servandam constanter habuit. Inter alias ipsius declarationes, juvat citare responsum ad Abulensem Episcopum, anni 1593 ; qui postulabat id ipsum de quo agimus, an nempe bulla Pii V fuisset *invalidata*. En Abulensis Antistitis quæsitum : « An in assignanda portione vicariis, at- « tendenda sit dispositio S. Concilii (sess. 7 *de Ref.*, cap. 7), « an vero bulla Pii V ; et *an illa sit revalidata*, et nominatio

(1) S. Pius V statuerat ut quatuor religiosos socios haberet.

Digitized by Google

« vicarii spectet ad eum, cujus dignitati vel beneficio paro-
« chialis est unita, ut in dicta bulla ? » Responsum est : *Utique servandam esse sanctæ memoriæ Pii V constitutionem.* Documentum illud in extenso refert Garcias (*de Beneficiis*, parte 9, cap. 2, n. 295).

Expressam autem declarationem S. Congregationis Concilii, quod Gregorius XIII non habuerit pro revocata bullam S. Pii V, refert Garcias in hunc modum : *Sanctus Dominus Noster Gregorius XIII non habet pro revocata bullam Pii V de vicariis perpetuis in parochialibus unitis monasteriis regularium ; ubi Episcopus ad nominationem monachorum deputat unum ex ipsis prævio examine approbatum, ad nutum ipsorum amovibilem, et cum vicario sic deputato debet habitare unus duntaxat alius monachus, ne plures extra clausuram maneant* (Garcias, *de Benef.*, parte 11, c. 2, n. 13).

Habenda est ergo bulla *Ad exequendum* tanquam hodiedum vigens, et ad ipsius transitoriam revocationem, a Gregorio XIII factam, non est attendendum, nisi quoad numerum sociorum a Pio V præscriptum (1).

Quæstio IIª. — *An dicta constitutio S. Pii V intelligenda sit solummodo de parochialibus unitis pleno jure ?* — Id in textu ipso constitutionis non exprimitur. Loquitur nempe Pontifex de *parochialibus unitis* (*in quorum ecclesiis ponentur... si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis*), non explicando an intelligat solas unitas *pleno jure*, an vero etiam unitas solummodo *quoad temporalia.*

Videtur autem intelligendus de solis unitis *pleno jure ;* tum in paragrapho 4, ubi nominationem vicariorum perpetuorum iis tribuit, quibus parochiales unitæ fuerunt ; tum in paragrapho 5, ubi mendicantibus et monachis quorum ecclesiis paro-

(1) Quod Gregorius XIII, non obstante sua constitutione *In tanta*, prædicto modo servandam Pii V bullam voluerit, et per S. Congregationem Concilii hæc ipsius voluntas pluries declarata fuerit, testantur alia documenta, a Pignatello relata (tom. 9, consult. 158).

Digitized by Google

chiales unitæ sunt, jus tribuit nominandi ad curam aliquem e suis religiosis ad nutum prælati regularis amovibilem.

Et 1° quidem de solis unitis *pleno jure* intelligendum esse paragraphum 4, satis ostendit Cardinalis de Luca in discursu 10, *de Parochis*, occasione sequentis causæ. Vacante quadam parochiali ecclesia, decanus cathedralis Michaelem clericum nominavit, prætendens illam parochialem fuisse decanatui suo unitam. Episcopus vero Franciscum instituit per concursum, negans prætensam unionem. Rota judicavit in favorem Michaelis. « Cujus resolutionis (inquit de Luca) fundamentum « fuit unio, utpote plenissime firmata. » Postea laudatus auctor tanquam certam regulam tradit, « ut in hujusmodi pa- « rochialibus, alteri ecclesiæ vel beneficio unitis (cum non « agatur de principali rectore, sed potius de vicario depu- « tando ad nudum exercitium curæ, quæ *habitu* residere di- « citur penes eum cui annexa est), non intret dispositio con- « ciliaris (1), sed potius constitutio 47 Pii V (2). » Tum idem Cardinalis, qui in hac causa scripserat, ita subjungit: « Non « impugnabam dictam conclusionem, utpote veram *atque ho-* « *die incontrovertibilem*, quoties constat de formali ac valida « unione, per quam, existente cura habituali penes eccle- « siam vel beneficium, cui facta est unio, agatur de provi- « dendo vicarium pro solo exercitio : cum tunc iste considere- « tur tanquam nudus minister ac famulus, non autem tanquam « ecclesiæ rector et sponsus : secus autem ubi penes provi- « dendum (sive nuncupetur rector sive vicarius, cum vis non « stet in vocabulo, sed in rei substantia) resideat omnimoda et « totalis cura, tam actualis, quam habitualis. »

Ergo, juxta Cardinalem de Luca, quoties unio alicui collegio seu beneficio facta est, ita ut etiam *habitualis cura* ad ipsum pertineat, seu (quod idem est) quoties unio facta fuit

(1) Intellige Tridentinam legem de conferenda parochia per concursum.

(2) Nempe statuens ut *nominatio* curati pertineat ad eos, quorum monasterio seu beneficio parochialis unita fuit.

Digitized by Google

pleno jure, applicandus est paragraphus 4 bullæ S. Pii V; id est, nominatio vicarii curati pertinet ad eos quorum beneficio seu ecclesiæ unio facta est. *Secus autem*, ubi penes curatum (quamvis vicarius dicatur) residet habitualis simul et actualis cura.

2° Pariter constitutionis Pianæ paragraphus 5 intelligendus videtur de solis unitis *pleno jure*, id est, quæ monasterio unitæ fuerunt, non tantum quoad temporalia, sed ita ut etiam cura habitualis penes monasterium resideat. Id reperio adnotatum et auctoritatibus firmatum in causa *Fulginatensi*, 15 decembris 1736 (*Thesaurus resol.*, tom. 7, pag. 355, edit. Romæ 1742) : « Posito quod sæpedictæ parochiales ecclesiæ dicto mo-
« nasterio tam quoad temporalia quam quoad spiritualia unitæ
« probentur, opus non erit ut per concursum conferantur,
« sed ad earum regimen et curam, prævio duntaxat examine
« et approbatione Episcopi, deputari poterunt vicarii perpe-
« tui vel ad nutum eminentissimi abbatis amovibiles, juxta
« expressam legem in constitutione 47 S. Pii V, § 4 et 5...
« Et consonant plures resolutiones Sacræ Congregationis ;
« et signanter in *Burgi S. Sepulchri*, in qua sub diem 15 no-
« vembris 1601, editum fuit hoc rescriptum : *Sacra Congre-*
« *gatio censuit, si hujusmodi parochiales sint ex his quæ de*
« *mensa nuncupantur, et ad abbatiam Bagni* (*ut proponitur*),
« *pertineant, quamvis in titulum perpetuæ vicariæ conferri*
« *consueverint, nequaquam subjacere concursui...*

« Si vero eædem ecclesiæ quoad temporalia duntaxat
« prælaudato monasterio comperiantur adnexæ, et omni-
« modam animarum curam (habitualem scilicet et actualem)
« in earum rectores translatam fuisse appareat, tametsi sub-
« jectiva earum unio probaretur, oportebit ad earum colla-
« tionem concursum inducere, juxta distinctionem, quam
« communiter tradunt canonistæ, inter quos Garcias.., Bar-
« bosa.., Lotterus.., Rota. » Et in causa *Constantiensi* (20 novembris 1734, *Thesaurus resol.*, t. 6, p. 378, edit. Romæ 1741) : « Et quamvis regulares præfici possint parochialibus

Digitized by Google

« Ecclesiis eorum monasteriis unitis, id tamen procedit dun-
« taxat in casu, quo eædem Ecclesiæ *subjective*, nimirum tam
« quoad temporalia quam quoad spiritualia, fuerint dicto mo-
« nasterio unitæ... Secus autem est in casu, quo unio dicta-
« rum ecclesiarum *accessorie* et quoad temporalia tantum facta
« fuerit. »

Quæstio IIIª. — *Quænam sint mendicantium et monachorum jura, a S. Pio V expresse sancita, quoad parochiales ipsorum monasteriis pleno jure unitas ?* — 1° Jus habet superior monasterii aliquem e suis religiosis ad curæ exercitium nominandi. 2° Necesse tamen est ut religiosus ad curam sic nominatus approbetur ab Episcopo. 3° Potest Episcopus per se vel per vicarium suum illum examinare. 4° Si facto examine Episcopus illum idoneum agnoverit, tenetur eum ad curam deputare. 5° Ille autem religiosus in vicarium curatum sic nominatus et deputatus, remanet *ad nutum* prælati sui regularis amovibilis. Hæc omnia expresse decernuntur in paragrapho 5, constitutionis S. Pii V, supra transcripto.

Quæstio IVª. — *An in parochiali pleno jure unita possit prælatus regularis nominare ad curam, non solum unum e religiosis, sed etiam aliquem sæcularem, ad nutum monasterii amovibilem.* — Respondendum est negative. Nam in casu dictæ unionis, decernit quidem Pii V bulla (§ 5), ut a superioribus nominari possint *religiosi* in vicarios ad nutum monasterii amovibiles : at non decernit ut pari modo nominari possint *sæculares*. In præcedenti autem bullæ paragrapho, quamvis Pius V, quoad omnes generatim parochiales unitas, nominationem vicarii curati iis tribuat quibus unio facta est, id tamen restringit ad nominationem vicariorum *perpetuorum*, et de vicariis *temporalibus*, seu ad nutum amovibilibus, nihil dicit.

Unde in casu parochialis unitæ monasterio mendicantium aut monachorum, si nolit superior monasterii religiosum pro cura nominare, jam applicandus non est paragraphus 5 bullæ Pianæ; sed attendendum est jus ex capite 7, sessionis 7 (*de Regul.*) Tridentinæ synodi exurgens. Jam vero, vi hujus Tri-

Digitized by Google

dentini decreti potest Episcopus *procurare* ut in parochialibus quibuslibet unitis *per vicarios idoneos*, *etiam perpetuos*, cura exerceatur. Proinde liberum est Episcopo in istis parochialibus vicariam *perpetuam* erigere, ita ut postea nominari nequeant nisi vicarii perpetui (1). Quod si hoc faciat, nominatio quidem pertinebit ad eos, quorum monasteriis vel beneficiis unio facta est, vi paragraphi 4 bullæ Pianæ ; sed non poterunt nominare nisi vicarios *perpetuos*. Quod si Episcopus abstineat ab erigenda vicaria perpetua (ubi vicaria hæc perpetua de jure non existit, id est, in parochialibus *pleno jure* unitis), tunc quidem adhuc constitui poterit vicarius amovibilis; sed nominatio, vi Tridentini decreti, pertinebit ad Episcopum. Nam Tridentina synodus dando Episcopis potestatem, ut *procurent curam exerceri per vicarios idoneos*, hoc ipso iis tribuit potestatem eos vicarios eligendi et nominandi. Aliunde Pius V hanc vicarios nominandi potestatem Episcopis non abstulit, nisi in duobus casibus : nempe quando nominandi sunt vicarii *perpetui ;* tunc enim voluit nominationem pertinere, non ad Ordinarios, sed ad eos, quorum ecclesiis unio facta est : et quando superior monasterii mendicantium aut monachorum vult in parochiali unita nominare unum *e suis religiosis ;* quia tunc et nominatio pertinet ad monasterium, et vicarius religiosus remanet ad nutum monasterii *amovibilis*. Atvero si agatur de nominando vicario *sæculari amovibili*, nihil est in bulla Piana, quo jus nominandi, a Tridentina synodo Episcopis tributum, auferatur. Unde si nominandus foret vicarius *sæcularis* simul et *temporalis,* nominatio ad Episcopum pertineret, et vicarius remaneret ad nutum Episcopi amovibilis.

Id firmat sequens declaratio S. Congregationis Concilii, anni 1593, quam refert Garcias (*de Beneficiis*, parte 9, cap. 2, n. 295) : « Illustrissimi et Reverendissimi Domini. — Pro parte « Reverendissimi Episcopi Abulensis supplicatur declarari

(1) Id tamen nequit Episcopus in quibusdam casibus, ut dictum est supra, quæstione 3.

Digitized by Google

« sequentia, circa quæ dubitari contingit. *Primum dubium:* « An in assignanda portione vicariis attendenda sit dispositio « S. concilii (sess. 7 *de Refor.*, cap. 7); an vero bulla Pii V; « et an illa sit revalidata ; et nominatio vicarii spectet ad eum « cujus dignitati vel beneficio parochialis est unita, ut in dicta « bulla ? *Secundum...* »

Rescriptum est in hunc modum: « Perillustri et Reveren- « dissimo Domino, uti Fratri, Domino Episcopo Abulensi. — « Perillustris et Reverendissime Domine, uti Frater. — Qua- « tuor dubitationibus, quæ Amplitudinis tuæ nomine per « libellum his litteris adjunctum propositæ fuerunt Illu- « strissimis Cardinalibus, qui Tridentini concilii decretis inter- « pretandis præsunt, ita sigillatim responsum fuit, nempe: « *ad primam*, de assignanda portione vicariis, utique servan- « dam esse sanctæ memoriæ Pii V constitutionem ; et *nomi-* « *nationem* vicariorum *sæcularium ad tempus* in beneficiis cu- « ratis unitis, *spectare ad Amplitudinem tuam : perpetuorum*, « in vim ejusdem constitutionis, spectare ad nominationem illo- « rum, in quorum ecclesiis unitis ponentur : ipsi tamen præ- « vio examine et approbatione, erunt ab Amplitudine tua « deputandi. » Unde, in rigore juris, ut nominatio pertineat ad superiorem monasterii, cui parochialis est unita, necesse est, vel ut nominetur vicarius *perpetuus*, vel ut nominetur unus *de religiosis*. Nominatio autem vicarii *sæcularis* simul et *temporalis*, non obstante bulla *Ad exequendum* Pii V, penes Ordinarium remanere videtur.

Et ita rem fuisse a S. Congregatione Concilii intellectam, colligi potest ex causa *Perusina* 13 junii 1743 (*Thesaurus resol.*, tom. 12, p. 121, edit. Romæ 1743), in qua sic relatum occurrit: — « Quoniam Sacra hæc Congregatio quoad vicarios « parochialium ecclesiarum, monasterio S. Petri civitatis « Perusiæ congregationis Cassinensis unitarum, edixerat « observandam esse constitutionem Pianam, abbas et mo- « nachi supplicarunt S. memoriæ Gregorio XIII, ut decla- « rare dignaretur, iisdem ecclesiis numero decem *posse desser-*

Digitized by Google

« *viri per presbyteros sæculares vicarios, ad nutum superio-* « *rum amovibiles, ab Episcopo approbandos, cum assignatione* « *honestæ portionis, quæ superioribus monasterii et vicariis* « *ipsis placuerit;* non autem præficiendos esse unicuique paro- « chiali ecclesiæ, vel duos monachos, vel sæculares vicarios « perpetuos; ne, si primum fieret, divini cultus ratio in ecclesia « monasterii plurimum decresceret atque negligeretur; si al- « terum, ipsius monasterii mensa gravaretur onere præstandi « scuta 50 pro congrua cujusque vicarii portione. » Cum isti monachi, quibus rescriptum fuerat ut servarent constitutionem S. Pii V, supplicent ut sibi liceat nominare vicarios *sæculares*, ad nutum monasterii *amovibiles*, bene intelligebant hoc sibi non licere juxta bullam Pianam. Intelligebant nempe, ad tenorem hujus bullæ, se non posse nominare in unaquaque parochiali unita, nisi, vel vicarium sæcularem *perpetuum*, cum 50 scutorum congrua, vel unum e suis religiosis cum socio. Utrumque autem devitare volentes, postulabant ut sibi liceret vicarios sæculares nominare ad nutum monasterii amovibiles. Quod eis benigne concessit Gregorius XIII, prout refertur, tum in citata causa, tum fusius apud Pignatellum (tom. 9, consult. 157, n. 9 et seq.).

Quæstio V^a^. — *Quando in parochiali unita monasterio nominatur in vicarium curatum unus e religiosis, an necesse sit cum eo habitare quatuor alios religiosos, prout præscripsit S. Pius V?* — Equidem S. Pius V in bulla sua *Ad exequendum*, § 5, ita sanxerat: *habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis*. Sed ejus successor Gregorius XIII dispositionem hanc mutavit. Voluit nempe ut *unus* duntaxat religiosus vicario curato in socium addiceretur. Quod ita Gregorius XIII rescribendum jusserit Auriensi Episcopo, testatur dicti Episcopi libellus ad S. Congregationem Concilii, cum ejusdem Congregationis responso. Documentum in extenso refert Pignatellus (tom. 9, consult. 157, n. 10, pag. 416, edit. Venet. 1722). Ex eo hæc transcribimus: *Sanctitas Sua Amplitudini tuæ scribi jussit, si in ecclesiis illis parochialibus, unitis monasterio... ordinis*

Digitized by Google

S.Benedicti, superiores ipsius monasterii nominaverint aliquos ex monachis, quos Amplitudo tua prævio examine (per se vel suos vicarios faciendo) idoneos ad curam animarum exercendam invenerit, et ita pro idoneis approbaverit, deputet eos in vicarios, ad nutum eorumdem superiorum amovibiles, dummodo in ea parochiali, in qua unus monachus fuerit vicarius deputatus, habitet secum duntaxat unus alius monachus socius... Datum Romæ, die 24 *junii* 1576.

Cæterum, non in casu tantum particulari, sed pro norma generali statutum fuisse a Gregorie XIII, ut unus duntaxat cohabitaret socius, sic inter alios tradit Reiffenstuel (in tit. 37, libri 3 Decretalium, n. 9) : « Et quidem juxta constitutionem « Pii V... debent esse saltem quatuor religiosi in parochia. « Verum unum sufficere socium, viva voce declaravit Gre- « gorius XIII, ut ex Quaranta (*Summa Bull.*, V. *Vicarius per- « petuus*) refert Pirhing. » Quod autem ex consuetudine licitum esse possit ut nullus cohabitet socius, subjungit ibidem Reiffenstuel, hoc modo : « Imo consuetudine introduci « potest, ut unus solus sit in parochia (arguitur capite finali « *de Consuetudine*) ; prout actu in aliquibus locis introductum « videmus. » Sufficere unum socium tenet etiam Engel (in tit. 37, libri 3 Decretalium, n. 11).

Quæstio VI^a^. — *An vicarius curatus, amovibilis, sive sit religiosus, sive sæcularis, intelligendus sit amovibilis ad nutum monasterii duntaxat, an vero etiam ad nutum Episcopi?* — Hoc ipso quod non sit perpetuus, est amovibilis ad nutum monasterii, non autem ad nutum Episcopi. Id tradit Ferraris (verbo *Vicarius parochialis*, n. 49) in hunc modum : «Vicarius « temporalis nominatus a superioribus regularibus, et a rec- « toribus principalibus, potest ab ipsis ad libitum removeri : « non autem ab Episcopo, nisi ex causa legitima et approbata, « propter quam (etiamsi perpetuus esset) privari posset. S. « Congregatio Concilii apud Barbosam... Et sic etiam Rota... » Idem Ferrarris (ibid., n. 59) ita subjungit : « Vicarii tempo- « rarii, a capitulis et monasteriis destinati curæ animarum in

Digitized by Google

« parochiis illis unitis, *etiam sine causa* removeri possunt ; nec « remotio in synodo prohiberi potest. » In probationem adducit, Ferraris nonnullas Rotæ decisiones.

QUÆSTIO VII^a. — *Quando parochiales sunt unitæ, non monasteriis mendicantium aut monachorum, sed aliis monasteriis collegiisve aut beneficiis, an applicari debeat paragraphus* 5 *bullæ Pii V?* — Respondendum negative. Nam paragraphus 5 bullæ Pianæ respicit duntaxat monasteria *mendicantium et monachorum*, prout clare exprimunt verba hæc : *Idem* (nempe quod de mendicantibus statuerat) *servatur in regularibus monachis* TANTUM. Porro dantur parochiales unitæ aliis monasteriis quam *mendicantium et monachorum ;* verbi gratia, unitæ monasteriis monialium, canonicorum regularium, etc. Item exstant aliæ unitæ capitulis et beneficiis non regularibus. Porro quoad illas parochiales, aliis quam mendicantium et monachorum monasteriis unitas, jus commune intelligendum est ut sequitur :

1° Applicandum venit decretum Tridentinum (c. 7, sess. 7, *de Regul.*), quo facultas fit Ordinario, procurandi ut ibi *per vicarios idoneos, etiam perpetuos deserviatur*. Quæ tamen potestas Episcopi intelligenda est in quibusdam casibus limitata eo modo quo diximus supra (§ 1). Casu autem quo velit Episcopus, ut in ejusmodi ecclesia unita deserviatur per vicarium perpetuum, debet ibi prius vicariam perpetuam erigere ; et solummodo post decretum erectionis poterit deputare vicarium perpetuum. Id passim notant doctores.

2° In eis omnibus parochialibus unitis, nominatio vicariorum *perpetuorum* pertinet ad eos, quorum ecclesiis, monasteriis seu beneficiis illæ parochiales unitæ sunt. Constat ex bulla *Ad exequendum*, § 4.

3° Consequenter quoad ejusmodi vicarias perpetuas (modo constet de unione *pleno jure*) locus non est concursui, siquidem ii vicarii perpetui deputandi sunt *ad nominationem* rectorum principalium, id est, eorum quorum monasteriis, collegiis, etc., parochiales illæ fuerunt unitæ. Secus si unio esset

Digitized by Google

duntaxat *quoad temporalia :* tunc nempe locus foret concursui, ut supra dictum est.

4° Cum tamen ejusmodi vicariæ perpetuæ veris beneficiis accenseantur, ita ut etiam possit clericus ad titulum ejusmodi vicariæ perpetuæ ordinari, datur locus *collationi* et *institutioni ;* sed *conferri* nequit ejusmodi vicaria, nisi nominato ab eis, quorum monasterio, collegio, etc., parochialis unita est. Et pariter institui nequit nisi sic nominatus.

5° An ejusmodi vicariæ perpetuæ subjaceant cancellariæ regulis, quæ vacantium in certis mensibus parochiarum collationem reservant sedi Apostolicæ, controvertitur. Vide illam controversiam apud Riganti (in primam partem regulæ 9, § 2, n. 77 et seq., tom. 2, pag. 30, edit. Romæ, 1745).

Quæstio VIII^a^. — *An expositum jus regularium aliquem e suis nominandi ad curam in parochiali ipsorum monasterio unita, intelligendum etiam sit de casu, quo parochialis illa exstat in loco ipso, in quo degunt regulares?* — Respondendum affirmative. Nam 1° sanctus Pius V generaliter sancivit, ut in dictis parochialibus unitis possint a superioribus monasteriorum nominari *ex ipsis mendicantibus*, ut que idem servaretur *in regularibus monachis* (vide textum supra, initio præsentis paragraphi). Cum non exceptæ fuerint parochiales existentes in loco ubi habitant regulares, parochiales etiam istæ censendæ sunt sub hac generali dispositione comprehendi. 2° Id evincit caput 11 sessionis 25 *de Regularibus* Tridentinæ synodi, in quo sic habetur : « In monasteriis seu domibus virorum seu mu-« lierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcula-« rium.., personæ *tam regulares* quam sæculares hujusmodi « *curam exercentes,* subsint immediate, in iis quæ ad dictam « curam et sacramentorum administrationem pertinent, juris-« dictioni, visitationi et correctioni Episcopi. » Ibi aperte supponit synodus posse in his etiam parochialibus ecclesiis ubi monachi habitant, a regularibus curam exerceri.

Objicies 1°. — Decretalem *in ecclesiis* (*de Cappellis monachorum*), in qua sic decernitur : *In ecclesiis, ubi monachi habi-*

Digitized by Google

tant, populus per monachum non regatur, sed capellanus qui populum regat, ab Episcopo per consilium monachorum instituatur. — *Respondeo :* 1° Dici potest decretalem hanc, quam Giraldi excerptam putat e concilio Claromontano anni 1095, nunquam in jus commune transisse. 2° Si quando juxta hanc decretalem jus commune viguerit, certum est jus illud postea fuisse correctum. « Nec obstat (inquit Reiffenstuel, in tit. 37, « libri 3 Decret., n. 4) caput 1 hujus tituli, ubi in similibus « beneficiis Episcopus capellanum, et quidem sæcularem, « instituit. Respondetur enim id correctum esse jure recentiori « citato, prout (prætermissis aliorum ad dictum caput respon- « sionibus) bene respondet Pirhing, hoc titulo, n. 2. Cui accedit « recepta praxis et consuetudo, quæ est optima legum inter- « pres. » 3° Majus est inconveniens, ut religiosus curam exerceat in loco a monasterio dissito, in quo sejunctus a communitate degat, quam ut eam exerceat in ecclesia monasterio contigua aut proxima, cum in hoc posteriori casu non cogatur extra monasterium residere.

Objicies 2°. — Existimat Fagnanus, caput *In ecclesiis* (*de Cappellis monachorum*), etsi non impediat quin a regularibus regantur parochiæ regulares *a monasterio dissitæ*, impedire tamen si parochia sit *ubi monachi habitant ;* eo quod in hac decretali expresse dicatur, *in ecclesiis, ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur.* — *Respondeo*, in hanc quidem sententiam Fagnanum ivisse (in cap. *In ecclesiis, de Cappellis monach.*); sed hac in re videri deserendum. Nam 1° dicta decretalis, prout jam adnotatum est, haud censenda est in jus commune transisse ; 2° etiamsi olim jus commune constituisset, dicendum foret jus illud commune etiam ante Tridentinam synodum obsolevisse ; siquidem Tridentini Patres, in decreto transcripto, plane supponunt contrarium de jure communi vigere. Atque id fateri ipse Fagnanus cogitur : « Quod tamen, « inquit, male servatur : imo videmus in monasteriis haben- « tibus curam populi, monachos claustrales, ad mandatum « abbatis vel Episcopi, circuire parochiam et ministrare po-

Digitized by Google

« pulo sacramenta... Et forte ad hanc observantiam, seu po-
« lius ad indulta Apostolica respiciens concilium Tridentinum
« (in capite 11, sess. 25 *de Regularibus*) statuit ut *in monaste-*
« *riis*,.. *tam regulares quam*, etc... Et sic admittit concilium
« esse possibile, ut regulares exerceant curam populi monaste-
« riis incumbentem. » 3° Haud videntur solidæ rationes quibus Fagnanus contendit, non adesse inconveniens si monachus extra claustrum manens regendæ alicui parochiæ a monasterio dissitæ præficatur; adesse autem si parochia monasterio contigua regatur a monacho intra claustrum habitante. Inconveniens nempe quoad monachum parochum, si intra claustrum degat, in eo ponit Fagnanus, quod monachus ille debebit frequenter, pro confessionibus audiendis aliisque ad officium suum pertinentibus, parochiam circuire, et mulierum domos visitare; et sic aliter vivere ac alii monachi; quæ diversitas notabitur et noxia erit: « Præsertim vero quia cum monachus « ad curam exercendam non debeat solus exire, sed cum socio « sui ordinis, posset modo unum, et modo alium sibi socium « adjungere; quod esset occasio illis de congregatione vagandi « extra claustra, et domos mulierum visitandi. » Tum adducit Fagnanus antiquos illos canones, in quibus dicitur, debere monachum, utpote *mundo mortuum*, *sedere solitarium* et *tacere*, esse ipsius officium *non docentis sed plangentis*, et similia. Sed revera his intentum suum non probat Fagnanus: nam, vel agitur de regularibus qui ex instituto soli vitæ contemplativæ vacare debent, prout Carthusiani; vel de iis qui activæ simul et contemplativæ vitæ officia consociant. Si prius, neque extra neque intra claustrum degendo debet monachus parochiale officium exercere: si posterius, inconveniens non est quod et monachus animarum curam exercens, et alii etiam de monasterio ad juvandum ipsum et exercendum sacrum ministerium idonei, parochiam frequenter circumeant, pro ministrandis sacramentis, visitandis infirmis, prædicando divino verbo, reducendis peccatoribus, et similibus exhibendis charitatis officiis. Et numquid Franciscani et Dominicani civitates et oppida

Digitized by Google

ex proprii instituti præscripto non circumeunt, ut prædicatione et sacro ministerio populos a vitiis retrahant et divini amoris igne succendant? Si duo hæc instituta, non inconveniens in Ecclesia exstitere, sed tanquam duæ firmissimæ columnæ in robur ipsi et decus accessere, cur iis etiam monachis qui *mixtam* vitam sectantur, non liceat e claustris exire ad similia apostolica atque angelica officia præstanda?

Quæstio IXa. — *An et quatenus religiosus in parochiali unita ad curam deputatus, teneatur prælato suo obedire et regulam servare?* — Tenetur superiori suo obedire et regulam servare, in iis quæ non spectant ad curam : in iis vero quæ ad curam spectant, obedire debet Episcopo. Vide id probatum apud Suarez (*de Religione*, t. 4, c. 19, n. 18).

Loquimur in casu quo remaneat ad nutum superiorum suorum revocabilis. Nam si parochialis unita in vicariam *perpetuam* erecta fuisset, religiosus qui in ea vicarius perpetuus institueretur, jam foret ab obedientia prælati sui liber : « Quia « (inquit Suarez, ibid., n. 22) religiosus in illo (*beneficio perpe-* « *tuo licet regulari*) constitutus non potest ad nutum sui præ- « lati amoveri... Atque hinc infertur religiosum translatum « ad tale beneficium, durante eo statu manere liberum ab « obedientia prælati, et consequenter etiam a jugo regulæ, « et omnium quæ supra dicta sunt de regulari translato ad « Episcopatum, et quæ statim dicemus de translatione ad bene- « ficium sæculare. »

Quæstio Xa. — *Quando religiosus ad curam deputatus, remanet ad nutum superiorum suorum regularium revocabilis, an possit revocari sine causa?* — Respondeo affirmative, regulariter loquendo. Id enim important voces istæ *ad nutum*, prout adnotare solent doctores. Attamen dicimus *regulariter loquendo;* quia si superior ipsum revocaret ex malitia, et ita ut sequeretur infamia (eo quod, verbi gratia, esset consuetudo non revocandi ante aliquod determinatum tempus) posset religiosus, recurrere ad majorem superiorem ; atque is deberet revocationem impedire. Sed extra hunc casum, potest religiosus

Digitized by Google

ille curatus revocari, etiam sine causa. Vide id probatum a Suaresio (*de Religione*, tom. 4, l. 3, c. 19, n. 21).

CAPUT IV.

AN ET QUATENUS RELIGIOSIS POSSINT BENEFICIA CURATA SÆCULARIA SEU PAROCHIÆ SÆCULARES CONFERRI.

Prænotandum. — 1° Religiosos esse capaces beneficii curati sæcularis, eo sensu quod id religiosi status essentiæ non repugnet, est doctrina communiter recepta, atque eam supra, paragrapho 1, firmavimus. « Suppono imprimis (inquit Suarez, « *de Religione*, tom. 4, l. 3, c. 19, n. 1) religiosum ex vi pro- « fessionis suæ non esse incapacem beneficii, etiam curam « animarum annexam habentis. »

2° Item certum est et communiter admissum, religiosos non esse absolute incapaces beneficii curati sæcularis, etiam ad terminos juris positivi; siquidem leges ecclesiasticæ *absolute* ipsos a talibus beneficiis non excludunt; sed accedente saltem Pontificia auctoritate, posse parochias sæculares religiosis legitime conferri, extra controversiam est. « Constat (in- « quit Suarez, loco citato, n. 3), religiosum non esse incapa- « cem beneficii, etiam *secundum jus canonicum*, quia, quantum « ad beneficia regularia, ipsum jus illa permittit et concedit; « ergo supponit per regulares administrari posse et debere... « De sæculari autem beneficio probatur; quia licet jura « prohibeant monachum assumi ad tale beneficium, sine de- « bita facultate et legitimo titulo seu provisione illius qui « potestatem habeat, non tamen absolute prohibent, nec red- « dunt regulares personas inhabiles ad talia beneficia. » Postquam autem (ibidem, n. 26) tanquam generalem regulam tradidit idem Suaresius, non posse religiosum de jure communi ad beneficium sæculare assumi *sine dispensatione Pontificis*, ita subjungit : « Multi vero doctores excipiunt ab hac

Digitized by Google

« generali regula beneficia parochialia vel quæ curam anima-
« rum habent annexam; et consequenter regulam solum pro-
« cedere in beneficiis simplicibus, præbendis, canonicatibus,
« dignitatibus, etc. Fundamentum est, quia religiosus potest
« sine dispensatione transire ad episcopatum, propter curam
« animarum. »

3° Tota ergo difficultas est, an religiosis possint parochiæ sæculares conferri *absque dispensatione Pontificia.* « Cæterum « in hoc (inquit Fagnanus, in caput *Quod Dei timorem, de* « *Statu monach.*, n. 12) maxima est inter doctores varietas « opinionum. »

4° Sub præsenti capite controversiam illam breviter excutiemus : tum scitu magis necessaria subjiciemus de speciali conditione religiosi, cui regenda commissa est parochia sæcularis, seu beneficium curatum sæculare. His prænotatis, sit

Propositio Iª. — *Potuerunt aliquando parochiæ sæculares de jure communi regularibus conferri etiam in titulum.* — Quod jus illud commune *aliquando* viguerit, admittunt doctores quamplurimi (vide inter alios Leurenium, *Forum benef.*, parte 1, p. 51). Nituntur præsertim hisce duobus fundamentis : *primo*, id status religiosi essentiæ nullatenus repugnare; *secundo*, ita revera olim generali disciplina inductum, prout constat ex capite *Quod Dei timorem* (5, *de Statu monach.*), in quo sic expresse affirmat Innocentius III : *Per antiquos canones etiam monachi possunt ad ecclesiarum parœcialium regimen in presbyteros ordinari; ex quo debent prædicationis officium* (*quod privilegium est*) *exercere.* Hunc textum perpendens Leurenius (citato loco) adnotat, nulla dispensatione, etiam Episcopi, indiguisse monachos, ut possent dictis parochiis regendis præfici : « Si enim hac (dispensatione) egerent, nequa-
« quam diceretur, eos *ad regimen parochialium ordinari*
« *posse :* non enim dicitur posse fieri, quod extraordinario re-
« medio, quale est dispensatio, eget. »

An autem jus illud commune, ante Tridentinam synodum, vel per istam synodum correctum fuerit, nunc expendendum.

Digitized by Google

Propositio IIª. — *Jus commune antiquum, vi cujus poterant monachis parochiæ conferri, probabilius correctum non fuit ante Tridentinam synodum, neque per synodi hujus decreta.* — Id ut palam faciamus, ostendemus primo non valere rationes ab opposita sententia adduci solitas : tum ex Tridentina synodo veram ostendemus conclusionem nostram.

I. *Non valent rationes sententiæ contrariæ.* — Adducunt præcipue hujus sententiæ patroni sequentes juris textus : *In ecclesiis, ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur; sed capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per consilium monachorum instituatur, ita ut ex solius Episcopi arbitrio tam ordinatio ejus quam depositio et totius vitæ pendeat conversatio* (cap. *In ecclesiis, de Cappellis monachorum*).

Monachi non pretio recipiantur in monasterio, nec peculium permittantur habere, nec singuli per villas et oppida per quascunque parochiales ponantur ecclesias; sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant; nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent (capite *Monachi, de Statu monach.*, desumpto e concilio Lateranensi anni 1179). Existimant dictæ sententiæ patroni, per hæc decreta, correctum fuisse quod Innocentius III affirmat de *antiquis* canonibus, vi quorum poterant etiam monachi regendis sæcularibus ecclesiis parœcialibus præfici.

Sed præcipue urgent axioma juris, beneficia *sæcularia sæcularibus, regularia regularibus* esse conferenda; quod axioma pluribus juris textibus revera nititur; e quibus in exemplum adduci potest Clementina *Quia regulares, de Supplenda negligentia Prælatorum.* Præscripsit nempe Clemens V in concilio Viennensi ut, negligentibus regularibus Prælatis beneficia ad ipsos spectantia intra debitum tempus conferre, Ordinarii negligentiam supplerent, *beneficia hujusmodi, illa videlicet, quæ consueverunt per sæculares clericos gubernari, sæcularibus clericis; alia vero, quæ religiosis duntaxat committi sunt solita vel conferri, religiosis monasteriorum conferendo.*

Hæc tamen non convincunt. Nam 1° ad caput *In ecclesiis* (*de*

Digitized by Google

Cappellis monach.), sic responderi potest : decretum illud non videtur exprimere disciplinam universalem seu jus commune; sed duntaxat dispositionem particularem, quæ nunquam in jus commune transierit. Id suadet quod tradit Giraldi (*Expositio juris Pontificii*, ad tit. 37, libri 3 Decretalium, sect. 568), decretalem nempe hanc e concilio Claromontano anni 1095, fuisse excerptam : referendam proinde ad Pontificatum Urbani II. Porro supra Pontificem hunc asserentem audivimus aptissimos et dignissimos esse monachos, qui parochialia munia exercerent. Præterea decretalis hæc monachos excluderet ab exercendo parochiali munere etiam *in ecclesiis ubi habitant,* id est, etiam in ecclesiis parochialibus *regularibus*, quæ monasterio annexæ ac subjectæ sunt. Jam vero certum est, id minime viguisse tanquam jus commune ante Tridentinam synodum. Contrarium enim aperte supponit dicta synodus hoc suo decreto (sess. 25, *de Reg.*, capite 11) :

« In monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, « quibus imminet animarum cura personarum sæcularium.., « personæ *tam regulares* quam sæculares *hujusmodi curam* « *exercentes*, subsint immediate in iis quæ ad dictam curam « et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, « visitationi et correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt « sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles deputentur, « nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine, per eum « aut ejus vicarium faciendo : excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis « seu locis, in quibus abbates generales aut capita ordinum « sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates aut alii regularium « superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in « parochos et parochianos exercent. »

Item Clemens V in concilio Viennensi, anno 1537, servari præcipiebat Bonifacii VIII statutum, *quod religiosum quemcunque pluribus præesse prohibet prioratibus aut ecclesiis curam*

Digitized by Google

animarum habentibus, etiamsi cura ipsa non per eum sed per alium habeat exerceri (Clementina, *Quia regulares, de Supplenda neglig. Prælat.*). Ibi pariter tanquam certum supponitur posse regulares de jure communi *per seipsos* curam exercere. Ergo si quando, vi decretalis *In ecclesiis*, de jure communi inhabiles fuerunt religiosi ad exercendam *per seipsos* curam, dicendum est jus illud commune mutatum fuisse ante Tridentinam synodum. Hinc decretalis illa *In ecclesiis* male in præsenti controversia adducitur: exprimit enim universaliter curam *per monachum* exerceri non posse *in ecclesiis ubi habitant monachi*, id est, in ecclesiis etiam *regularibus*, curam habentibus: porro contrarium jus commune viguit longe ante Tridentinam synodum, ut evincit citata Clementina et plurimi alii textus, qui adjungi possent: ergo decretalis *In ecclesiis*, vel nunquam jus commune constituit, vel certe longe ante Tridentinam synodum prorsus obsoleverat.

2° Decretalis *Monachi* (*de Statu monach.*), non prohibet absolute quin monachi *ponantur per parochiales ecclesias*, sed quin ponantur *singuli*, id est, soli. Sensus nempe obvius est, posse eos parochiis præfici, modo maneant vel *in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus*. Unde hæc decretalis, qua supponitur excludi monachos a regendis parœcialibus ecclesiis, contrarium potius probat. Ita intelligendam esse decretalem illam satis aperte innuit caput *Ex parte* (*de Cappellis monach.*), in quo sic ad Venetensem Episcopum rescribebat Honorius III, anno 1220:

Ex parte tua fuit propositum quod, conquerentibus olim abbate et conventu Rivensi Nannetensis diœcesis, quod tu compellere videbaris eosdem, ut instituerent plures monachos in quibusdam suis prioratibus tuæ diœcesis, in quorum singulis singuli monachi hactenus steterunt, cum pluribus facultates non sufficiant eorumdem. Nos abbati S. Albini Andegavensis et collegis ejus per Nostras litteras dedimus in mandatis, ut de ipsorum locorum facultatibus inquirentes, in eorum singulis facerent plures institui monachos, si pluribus eorum sufficiant

Digitized by Google

facultates. Alioqui tibi auctoritate Nostra inhiberent, ne abbatem et conventum prædictos molestares super instituendis pluribus in eisdem...

In singulis iis prioratibus, qui erant simul ecclesiæ parochiales, steterant *singuli* monachi. Cum autem id prohibuisset Lateranense concilium anni 1179, per citatum decretum *Monachi*, Venetensis Episcopus abbatem Rivensem compellebat ut *plures* monachos in dictis prioratibus constitueret. Resistebat abbas objiciendo, deesse facultates ad alendos *plures*. Unde Venetensis Episcopus non incapaces regendarum parochiarum monachos contendebat; sed exigebat tantum ne *soli* in iis degerent, contra Lateranensis concilii anni 1179 præscriptum. Atque in hoc pariter sensu intellectam fuisse ab Innocentio III decretalem *Monachi*, facile colligitur ex capite *Quod Dei timorem* (5 *de Statu monach.*), tenoris hujusmodi.

Licet autem in Lateranensi concilio de monachis caveatur, ne singuli per villas et oppida, per quascunque parœciales ponantur ecclesias, etc.; quia tamen istud de canonicis regularibus specialiter non cavetur, qui, etsi a sanctorum monachorum consortio non putantur sejuncti, regulæ tamen inserviunt laxiori, et per antiquos canones etiam monachi possunt ad ecclesiarum parœcialium regimen in presbyteros ordinari..., sic annuendum duximus postulatis, ut exercens plebani officium, si commode fieri poterit, unum canonicum regularem tecum habeas ad cautelam, cujus, in his quæ Dei sunt et regularis observantiæ, tam consortio quam solatio perfruaris.

Quid ibi memorat Innocentius III monachis a Lateranensi concilio prohibitum? Ne *singuli* per parœciales ecclesias ponerentur. Quid affirmat per *antiquos* canones licuisse? Ut etiam monachi ordinarentur in presbyteros ad parœciarum regimen; nempe ut soli et sejuncti a monasteriis suis, parœcias regere valerent; id enim totus contextus indicat. Quid decernit quoad canonicos regulares? Eos non comprehendi sub illa prohibitione Lateranensis concilii, utpote quoad solos monachos expresse sancita: proinde canonicum regularem *plebani officium* exer-

Digitized by Google

centem, non teneri ad habendum secum sui ordinis socium ; id nihilominus suaderi, *si commode fieri poterit.*

E quibus documentis simul collatis, patet quodnam fuerit jus commune ante Tridentinam synodum : nempe ante decretalem *Monachi* Lateranensis concilii, poterant monachi, vi antiquorum canonum, præfici parochiis etiam soli : post illam decretalem potuerunt adhuc præfici, at cum hac conditione, ut cum aliquibus sui ordinis fratribus degerent : canonici vero regulares huic conditioni rigorose non subjiciebantur.

3° Ad axioma juris, beneficia *regularia regularibus, sæcularia sæcularibus esse conferenda*, et ad varios textus quibus axioma illud innititur, responderi solet : regulam hanc non recipi tanquam certam, nisi de beneficiis *simplicibus :* « Quoad « beneficia *curata* hæc regula non æque procedit. Nam imprimis « si beneficia habeant curam *fori externi*, eorum capaces esse « regulares exinde manifestum redditur, quod religiosus etiam « possit eligi in Episcopum, quamvis ecclesia sit *sæcularis*, per « textum expressum in Clementina 1, *de Electione*... Idque com- « plures extendunt, ut religiosus etiam possit eligi in prælatum « seu præpositum aut decanum ecclesiæ collegiatæ sæcularis... « Quod si beneficia habeant solum curam *fori interni*, uti eccle- « siæ parochiales..., communis est doctorum sententia, religio- « sos de jure generaliter capaces esse beneficiorum sæcularium « curatorum ; et ita, ob favorem curæ et utilitatem spiritualem « animarum, esse exceptionem ab illa regula, quod sæcularia « beneficia tantum sæcularibus conferenda sint. » (Engel, in tit. 37, libri 3 Decret., n. 5 et seq.)

II. *Antiquum jus commune, vi cujus poterant regularibus conferri parochiæ sæculares, adhuc vigens supposuit et reliquit Tridentina synodus.* — Etenim, capite 11 sessionis 14, *de Reformatione*, agendo de regularibus, qui *de uno ad alium ordinem* transferuntur, de ejusmodi translatis sic decernit synodus : *Taliter translatus, etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia sæcularia, etiam curata, omnino incapax existat.* Ibi loquitur synodus de translatis cujuslibet ordinis religiosi, prout

Digitized by Google

evincunt verba hæc : *Etiamsi canonicorum regularium fuerit;* et de ejusmodi translatis decernit eos fore incapaces *ad beneficia sæcularia etiam curata.* Porro si de jure communi regulares fuissent incapaces beneficiorum sæcularium curatorum, absonum fuisset incapacitatem illam speciali decreto sancire quoad translatos. Ergo existimavit Tridentina synodus regulares de jure communi capaces esse beneficii sæcularis curati ; et huic juri communi derogavit solummodo quoad *translatos.* Mirum in modum desudant oppositæ sententiæ canonistæ ut hoc Tridentinum decretum ad alium sensum contorqueant, prout videre est, verbi gratia, apud Pignatelli (tom. 1, consultatione 44). Mihi vero, tum ex illo Tridentino textu, tum ex aliis supra adductis, vera potius videtur altera sententia, quæ apud antiquiores canonistas communior occurrit. Unde, quod hodie nequeant regulares absque indulto Pontificio sæcularibus parochiis præfici, desumendum videtur, non ex Tridentinis decretis, non ex jure communi ante Tridentinam synodum vigente, sed duntaxat e recentioribus sedis Apostolicæ dispositionibus.

Propositio IIIª. — *Omnino certum est, de jure communi hodierno, haudposse parochias sæculares regularibus conferri, absque dispensatione Pontificia.* — Id certum evasit pluribus S. Congregationis Concilii declarationibus, sedis Apostolicæ auctoritate firmatis. Duas sequentes ex Garcia (*de Beneficiis*, parte 7, c. 10, n. 30) transcribendas potissimum duximus, quia in iis indicatur quo ex fundamento Sacra Concilii Congregatio in eam sententiam abierit : *Regulares sunt incapaces beneficii simplicis, etiamsi essent canonici regulares, non autem beneficii curati* (*juxta dispositionem capitis* Quod Dei timorem, de Statu monach.) ; *licet non hodie, cum obstet concilium Lateranense ad concordata, — Quidam clericus, miles sancti Stephani, petiit admitti in concursu cujusdam ecclesiæ parochialis. Congregatio parva censuit significandum datario, concilium* (*Tridentinum*) *non prohibuisse quod regulares possint habere sæculares parochiales : jus etiam vetus non obstare : videat ipse si institutum*

Digitized by Google

militiæ suæ obstet. Sanctissimus noluit; quia dixit prohibere concilium Lateranense in concordatis cum Leone : et ideo rescribendum Episcopo, ne regularem admittat ad concursum. Citatis autem istis declarationibus subjungit Garcias in hunc modum : « Ex quibus declarationibus apparet Papam nolle, quod « regulares, etiam canonici, admittantur ad parochiales ; quia « id prohibuit concilium Lateranense in concordatis ; quæ pro- « hibitio videtur esse titulo de collationibus, § *Voluntas,* quam « Papa extendi vult etiam ad alias partes. » Concordatum inter Leonem X et Franciscum I Galliæ regem attente perlegi, nec alia inveni verba, quæ ad rem facere videantur, præter sequentia : *Et insuper, quod tam graduati simplices quam nominati, beneficia... petere et consequi possint secundum propriæ personæ condecentiam et conformitatem ; videlicet sæculares sæcularia, et religiosi regularia beneficia ecclesiastica : ita quod sæcularis nominatus beneficia regularia..., et e contra religiosus beneficia sæcularia, petere aut consequi minime possint.* (Concilia, Labbe, tom. 14, col. 299, edit. Parisiis, 1672). Et paulo post subjungitur : *Statuimus quoque, quod parochiales ecclesiæ, in civitatibus aut villis muratis existentes, nonnisi personis præmisso modo qualificatis... conferantur.* Quomodo ex illis verbis mutatum jus commune existimaverit S. Congregatio, in allatis declarationibus, non bene intelligo. Cæterum statim finem accepit controversia.

Discussa præcipue fuit quæstio quoad canonicos regulares. « Celebris jamdudum est controversia (inquit Benedictus XIV, « constitutione *Quod inscrutabili,* 9 julii 1745), an canonici « regulares capaces sint obtinendi et retinendi ecclesias paro- « chiales sæculares, absque indulto Apostolico... Sæpe respon- « sum est, absque Apostolico indulto ad sæculares parochias « promoveri non posse. Ita respondit Congregatio Concilii de « anno 1581; ejusque responsum approbatum fuit a Gregorio « Papa XIII. »

Ex qua decisione Gregorii XIII, concludit Fagnanus (in cap. *Quod Dei timorem, de Statu monach.*, n. 17), idem a fortiori

Digitized by Google

esse dicendum de aliis regularibus : « Infertur ut multo minus « assumi possint ad curam animarum personarum sæcularium « regulares aliorum ordinum : nam in canonicis regularibus, « ex multorum sententia, speciale erat ut possent præfici pa- « rochialibus sæcularibus, quia regulæ inserviunt laxiori... « Quare si canonicis regularibus non licet amplius obtinere « parochiales in titulum. vel ad tempus, propter decretum « Gregorii XIII, longe minus id licebit aliis regularibus strictio- « rum ordinum. Hinc cum fuerit quæsitum, an regularis possit « præfici curæ animarum ab Episcopo sine dispensatione Apos- « tolica, Sacra Congregatio Concilii censuit, *non posse, nisi ac- « cedente dispensatione, quæ non videtur concedenda, nisi ins- « tante Episcopo pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ*. Et alias « consulta an ecclesiæ parochiali ex necessitate, nempe ob penu- « riam sacerdotum, regularis perpetuo possit præfici, respondit, « *permitti posse, ita ut deducto victu, quod reliquum fuerit « redditum in utilitatem Ecclesiæ et pauperum convertatur : « ob id autem necessarium esse hodie dispensationem, contra « opinionem antiquorum doctorum, quod ita de stylo servari « consuevit : quod si magis placuerit Sanctissimo, posse quod « petitur ad tempus concedi, quoad scilicet Episcopus provi- « derit de clerico sæculari : nihil tamen concedendum, nisi « instante Episcopo pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ.* »

Ex his et similibus decisionibus præsertim a tempore Gregorii XIII emanatis, certa omnino evasit indulti Apostolici necessitas, ut possint regulares sæcularibus parochiis præfici, ita ut hodie res prorsus sit extra omnem controversiam posita. Consequenter deserendus Engel, qui, non obstante præfata Gregorii XIII decisione, contrarium sustinet (in tit. 37, libri 3 Decret., n. 8); quia nempe eo quo scribebat tempore adhuc disputabatur, num usu recepta fuisset dispositio hæc Gregorii XIII.

Propositio IVª. — *Ipsi etiam canonici regulares, ex hodierno jure communi, Pontificia dispensatione indigent, ut valeant parochiis sæcularibus præfici : Præmonstratenses vero generale*

Digitized by Google

privilegium, a Benedicto XIV confirmatum, quo ipsis licet ejusmodi parochiarum regimen suscipere.

1° Quoad canonicos regulares (Lateranenses nempe et sanctissimi Salvatoris) res disputata fuit usque ad Benedictum XIV. Narrat autem dictus Pontifex (constitutione *Quod inscrutabili*, 9 julii 1745) quanta cura et quam ingenti labore quæstionem expenderit. Sed hac ipsa constitutione definivit, *eosdem canonicos regulares, absque indulto Apostolico, cujuscunque beneficii ecclesiastici sæcularis, sive cum adnexo animarum curæ aut residentiæ onere, sive etiam beneficii simplicis et sine cura,... vere incapaces esse et censeri debere.* Et sic tandem longa hæc, quoad dictos canonicos regulares, controversia finita est. Et a fortiori finita etiam est quoad alios religiosos.

2° Quod autem canonici regulares *Præmonstratenses* absque Pontificio indulto parochias sæculares regere valeant, ob sua antiqua, et a Benedicto XIV confirmata privilegia, constat ex præfati Pontificis constitutione *Oneroso*, 1 septembris 1750; cujus constitutionis dispositionem sufficienter exprimit præfixa ipsi hæc rubrica : « Præmonstratensibus conceditur ex integro « privilegium assequendi et retinendi quascunque parochiales « ecclesias, et vicarias, tam sæculares quam regulares, absque « dispensatione Apostolica. »

3° Vi autem dicti privilegii differt multipliciter conditio Præmonstratensium ab aliorum regularium conditione, quoad parochialium regimen. Nam *primo*, ut dictum est, absque indulto Pontificio, possunt Præmonstratenses parochiales sæculares obtinere : proinde pro ipsis obtinendis concurrere possunt sicut clerici sæculares. *Secundo*, item absque indulto Apostolico, possunt nominari ad vicarias perpetuas, si hæc de iis sint quæ sæcularibus clericis conferri valeant. *Tertio*, consequenter si qua parochialis unita existat (sive pleno jure, sive quoad sola temporalia) ipsi monasterio Præmonstratensium, ita ut nominatio ad monasterium pertineat, poterit monasterium in vicarium nominare seu præsentare aliquem e suis religiosis; prout adnotatur in causa *Augustana* 10 maii

Digitized by Google

1760 (*Thesaurus resol.*, tom. 29) in hunc modum : « Si per « mox relata privilegia redditi sunt Præmonstratenses ha- « biles ad assequendas parochias sæculares, nulla superesse « possit hæsitatio, quominus tales reputandi sint quoad paro- « chias eorum monasterio quomodocunque unitas. » *Quarto*, si monasterium Præmonstratense habeat jus patronatus in aliquam parochialem, quamvis ipsi non unitam, poterit pariter unum e suis religiosis præsentare; quia nempe religiosum Præmonstratensem præsentare posset quilibet alius patronus; ergo id poterit et monasterium, cum ex hypothesi jus patronatus habeat. *Quinto*, quocunque modo religiosus Præmonstratensis parochus seu vicarius curatus constituatur, remanet ad nutum abbatis sui amovibilis; prout in citata causa pariter adnotatur his verbis : « Denegari non posse « abbati facultatem amovendi religiosum curæ animarum « præpositum ; cum satis vindicata remaneat a resolutione « Sacræ Congregationis in *Narniensi* 13 julii 1669 (libro 26 « Decretorum, pagina 257), et..... » Quod autem Præmonstratensis canonicus, sæcularem parochiam seu vicariam curatam obtinens, in iis quæ curam spectant, ordinariæ Episcopi jurisdictioni omnino subsit, prorsus certum est et extra controversiam positum.

Propositio V^a^. — *Quando alicui religioso confertur beneficium sæculare*, 1° *religiosus ille acquirit ecclesiæ, non monasterio ;* 2° *de jure communi, seu nisi aliter statuat proprium institutum a sede Apostolica approbatum, liber fit ab obligatione obediendi prælatis religionis suæ ; itemque ab obligatione observandi regulam ordinis sui, quamvis ex consilio eam observare debeat : nec potest a superioribus religionis ad monasterium revocari.* — Doctrinam hanc, tanquam communiter receptam, tradit Suarez *de Religione*, tomo, 4, tract. 8, l. 3, c. 19, n. 28) his verbis : « Supposita autem translatione legitima religiosi ad bene- « ficium sæculare, quoad paupertatem idem judicium de illo « est, quod de translato ad episcopatum, servata proportione ; « nam acquirit suæ ecclesiæ, quocunque titulo acquirat : ha-

Digitized by Google

« bet tamen dum vivit administrationem talium bonorum. « Deinde quoad obedientiam liber est a prælatis religionis, nec « potest ad eam revocari, nec tenetur in suo regimine eis pa- « rere, sed Episcopo; neo etiam tenetur habere socium religio- « nis (ut docent glossa, Panormitanus et alii doctores, in cap. « *Monachi* et in cap. *Quod Dei timorem, de Statu regularium*). « Denique in rigore præcepti et legis, non tenetur servare par- « ticulares observantias suæ religionis, licet ex consilio illas « servare debeat..... Nam quoad hoc procedit eadem ratio sepa- « rationis perpetuæ talis personæ a corpore religionis; ex qua « nascitur exemptio ab actuali obedientia et legibus ejus. » Eamdem doctrinam vide in *Thesauro resolut.* (tom. 2, pag. 342, edit. Urbini, 1739).

Nota. — Diximus, *nisi aliter statuat alicujus ordinis institutum a sede Apostolica approbatum.* Nam Præmonstratenses, verbi gratia, quorum instituti proprium est ut ad regendas sæculares parochias mitti soleant, etsi in iis quæ parochiale munus spectant, Episcopo plene subdantur, quoad alia tamen multa superioribus suis subjecti remanent, prout in eorum statutis videre est.

Propositio VI^a^. — *Religiosæ congregationes virorum votis solemnibus carentes, non videntur comprehendi sub dicto jure communi hodierno, quo prohibetur ne regularibus, absque indulto Pontificio, sæculares parochiæ conferantur.* — Cum enim prohibitio hæc jus antea vigens restringat, stricte est interpretanda. Regulares nempe exclusi, stricte intelligendi sunt. Porro vox *regulares*, stricte sumpta, solemnium votorum religiosos proprie designat. Proinde religiosi simplicia duntaxat vota ex instituto emittentes, ad regendas sæculares parochias habiles, absque indulto Pontificio, censendi sunt; modo tamen id eis propria quam profitentur regula non interdicat. Hinc bene possunt hodie in Gallia Episcopi ejusmodi congregationum idoneis viris sæculares parochias, citra Pontificiam dispensationem, conferre, modo assentiat eorum superior, cui obedientiam voverunt. Et a fortiori id dicendum venit de congre-

Digitized by Google

gationibus virorum, quæ vota perpetua non habent, quia ejusmodi congregationum presbyteri proprie sunt sæculares, et de corpore sæcularis cleri. Quod autem tanquam possibile hic adnotamus, ad praxim jam a multis annis reduxit Reverendissimus Massiliensis Episcopus.

Propositio VII^a^. — *Ex eo quod hodie regularibus parochiæ sæculares conferri nequeant absque indulto Apostolico, haud sequitur nunquam expedire ut conferantur.* — Equidem curiæ Romanæ praxis est, ut dictum indultum non concedatur, nisi petente Episcopo, et ex causa necessitatis aut utilitatis. Sed nemo non videt facile contingere posse hanc utilitatis rationem, non tantum in regionibus missionum, sed etiam alibi. Quo casu haud certe vituperandus erit Episcopus, qui, indulto postulato et obtento, parochiam alicui regulari conferendam duxerit. Sane hodie in Gallia, ubi variorum ordinum regulares, cum tanto sanctimoniæ fervore et populi ædificatione (Deo favente) reviviscunt, quod nonnullæ ipsis parochiæ regendæ committerentur (verbi gratia, Benedictinis monachis, Dominicanis, Carmelitanis...), mirum videri non deberet. Eæ siquidem esse possunt alicujus civitatis aut diœcesis circumstantiæ, ut Episcopus sibi merito persuadeat, id in summam utilitatem tum diœcesanorum, tum ipsius etiam religiosi ordinis cessurum. Præcipue cum hodie in Gallia fundationibus regulares careant, atque inde ordinum propagatio non parum præpediatur. Non tamen æstimet lector, me quidquam de rei hujusce opportunitate pronuntiare. Posse id legitime fieri, interveniente Pontificio indulto ac utilitatis causa, adnotatum volui: an autem expediat, Episcoporum judicium sit, ac sedis præsertim Apostolicæ.

Ad Præmonstratenses tamen quod attinet, possunt ab Episcopis in parochos assumi, absque indulto Pontificio (ut dictum est), ob ipsorum hac de re privilegium, et peculiarem instituti sui finem. Quem præclarum ordinem, jam Præmonstrati (eo nempe loci ubi a sancto Norberto exordium sumpserat) a moderno Suessionensi Præsule feliciter restitutum, atque eidem

Digitized by Google

parochiale munus, more antiquo, committi cœptum, existimo ego summi momenti rem, catholicæ scilicet religioni in Galliis, propagata familia, summe profuturam.

CAPUT V.

AN ET QUATENUS PAROCHIALES ECCLESIÆ POSSINT MONASTERIIS UNIRI.

Propositio I^a^. — *A tempore Tridentini concilii Ecclesiæ parochiales monasteriis uniri nequeunt.* — Id nempe Tridentini Patres expresse prohibuerunt his verbis : « Ecclesiæ parochiales « monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive « præbendis ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, sive aliis bene- « ficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve, non uniantur. » (Sess. 24, *de Reform.*, cap. 13.)

Propositio II^a^. — *A prædicta prohibitione excipiendus non est casus, quo unio fiat pro fundatione, dotatione aut conservatione monasterii, ad fidei catholicæ defensionem et propagationem, aut bonarum artium cultum.* — Opinionem quæ tenet faciendam esse illam exceptionem reperio apud nonnullos doctores receptam, et in *Thesauro resolutionum* pluries allegatam. Imprimis eam tenet Barbosa. Ad citata enim concilii Tridentini verba, adnotat, « salvari tamen et excipi uniones, quæ fiunt pro fundatione, « dotatione, augmento vel conservatione collegiorum et aliorum « piorum locorum, ad fidei catholicæ defensionem et propagatio- « nem, bonarumque artium cultum. « (In concilium Tridentinum, ad cap. 13, sess. 24, *de Ref.*, n. 11.) Citantur pro eadem opinione nonnulli alii, prout videre est in *Thesauro resolutionum* (*Cracoviensis unionis*, 5 decembris 1739, tomo 9, pag. 187, edit. Romæ 1743).

Sed prorsus errasse dictos auctores, peremptorie probat Leurenius (*Forum beneficiale*, tom. 3, quæst. 890, n. 2). Quem locum si lector adeat, facile perspiciet nulli exceptioni esse

Digitized by Google

obnoxium Tridentinum decretum, quo parochiales Ecclesiæ monasteriis uniri prohibentur.

Nec admittendum hodie saltem, quod dicit Tondut (*QQ. benef.*, p. 3, c. 151, n. 5), Tridentinum nempe quoad dispositionem illam, qua prohibuit ne curata beneficia monasteriis unirentur, non esse in Gallia receptum.

At vero, interveniente auctoritate Apostolica, posse dictas uniones fieri, et ob allegatas rationes revera identidem a summo Pontifice indulgeri, non negamus.

Nota 1°. — Concordatum anni 1801 non videtur obstare quin hodie in Belgio et Gallia fieri possint ejusmodi uniones, accedente facultate Apostolica. Equidem quoad parochias quibus ad terminos dicti concordati præfici nequeunt nisi *gubernio accepti* presbyteri, aliqua exurgit difficultas, ut patet. At quoad succursales, cum Episcopo liberum sit ad eas regendas quem maluerit deputare, neque ullas in hoc partes gubernium habeat, non est cur dicta unio decerni non valeat, modo interveniat, ut diximus, Pontificia auctoritas. Hinc, verbi gratia, si quis Galliæ Episcopus alicui Benedictinorum conventui unam e succursalibus diœcesis suæ unire volens, facultatem ad id a sede Apostolica obtineret, non video cur non posset unionem decernere et ad executionem decretum deducere. Quod autem id in summam utilitatem hodie in Gallia cedere possit, tum religiosorum ordinum, qui sic facilius novos aliquot conventus fundare possent, tum et fidelium, qui regularium parochorum curæ commissi multo magis in vita christiana proficerent, ii forsan facile existimabunt, queis notus præsens hujus regionis diœceseon status. Exemplum unionis quarumdam parochialium novitiatui Patrum societatis Jesu, in Coloniensi diœcesi, anno 1727, reperies in *Thesauro resolutionum* (tomo 9, pag. 53 et 55, edit. Romæ 1743), in causa *Coloniensi*, 7 junii et 20 septembris dicti anni 1727.

Nota 2°. — A decreto Tridentino, quo prohibetur ne parochiales monasteriis uniantur, excipiendas existimant nonnulli doctores eas parochiales, in quas jus patronatus habent mo-

Digitized by Google

nasteria : « Advertendum non loqui concilium de parochiis, « in quibus monasteria jure patronatus potiuntur. Videndum « quid in eo casu interpretentur canonistæ de concilii lege. « Videndus Barbosa (ad concilium, sess. 24, c. 13), Gallemart.., « Gonzalez, in reg. 8, Cancell., Gloss. 5, n. 95. » (*Thesaurus*, tom. 33, in *Gnesnensi*, 15 septembris 1764.)

CAPUT VI.

AN ET QUATENUS REGULARES OBTINERE VALEANT BENEFICIA SIMPLICIA, DIGNITATES VARIAQUE ALIA OFFICIA EPISCOPATU INFERIORA.

Quæstio 1ª. — *An regulares, absque indulto Pontificio, obtinere valeant beneficium simplex sæculare, verbi gratia, canonicatum in cathedrali vel collegiata sæculari?* — Respondendum negative. Regula enim generalis est conferenda esse beneficia *regularia regularibus, sæcularia sæcularibus*. Quam regulam omnino certam faciunt plures juris textus ; atque inter alios supra citata Clementina *Quia regulares, de supplenda negligentia Prælatorum*. Equidem sub hac generali regula non comprehenduntur beneficia *curata*, eo sensu quem supra exposuimus : sed quoad beneficia *simplicia* omnino vim habere regulam illam pro certo tenent doctores unanimiter. « Cessat enim « in his beneficiis (ait Fagnanus, in cap. *Quod Dei timorem*, « *de Statu monach.*, n. 18) ratio curæ animarum, propter « quam regulares jure veteri poterant ad ecclesias sæculares « assumi... Et ita, etiam in canonico regulari, alias respondit « Gregorius XIII : nam cum dubitaretur, an canonicus regu- « laris esset capax beneficii simplicis, Sacra Congregatio dixit, « videri incapacem : quia caput *Quod Dei timorem* loquitur « de parochiali : agendum tamen cum Sanctissimo. Die « 23 julii 1578, Sanctitas Sua dixit, licet Tridentinum conci- « lium non prohibuisset regulares obtinere sæculare benefi- « cium et concilium Lateranense sub Leone ad concordata « tantum restringeretur, tamen jus commune obstare, quod

Digitized by Google

« nonnisi in parochialibus dispensat dicto capite *Quod Dei* « *timorem;* hic autem agitur de simplici. » Congerendis auctoritatibus non immoramur, quia res extra controversiam est. Contrarium concludendum est quoad religiosos earum congregationum, in quibus simplicia duntaxat vota emittuntur; prout videre est in causa *Pineroliensi*, 23 novembris 1833 (*Thesauri* tomo dicti anni, pag. 432 et seq.).

Quæstio IIª. — *An regulares eligi possint in examinatores synodales?* — Respondendum affirmative, prout constat hisce verbis Tridentinæ synodi (c. 18, sess. 24, *de Regul.*) : *Sint vero hi examinatores magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut jure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium.* Possuntque ad id officium eligi regulares, etiam doctoratus et licentiæ gradu carentes, si non existant in diœcesi doctores aut licentiati, vel si doctores et licentiati in diœcesi existentes haud idonei sint (vide Fagnanum, in cap. *Inter cœteras, de Rescriptis*).

Quæstio IIIª. — *An regulares possint esse delegati Papæ?* — Respondendum affirmative, quoad eos qui sunt in dignitate constituti. Tales autem sunt prælati religionis, non habentes in eodem monasterio ullum alium superiorem immediatum supra se. Unde capax est dictæ delegationis prior conventualis; non item prior claustralis, qui subest abbati. Constant hæc ex capite *Statutum* (*de Rescriptis*, in 6), capite *Nisi essent* (*de Præbendis*), et Clementina II *de Rescriptis.* Hinc possunt dicti regulares in dignitate constituti eligi in *judices synodales.* Dicuntur enim judices synodales ii viri, qui in synodo eliguntur et sedi Apostolicæ proponuntur, ut eis possit Papa causas in provincia judicandas delegare. Unde in judices synodales eligi possunt ii omnes qui possunt esse delegati Papæ.

Quæstio IVª. — *An regulares possint esse conservatores?* — Respondendum affirmative, sub conditionibus requisitis in capite ultimo *de Officio delegati*, in 6, et in constitutione Gregorii XV, *de Conservatoribus.*

Digitized by Google

Quæstio Vª. — *An regulares possint esse vicarii generales Episcopi?* — Quæstionem illam in tractatu *de Judiciis*, pagina 391, affirmative resolvimus cum Cardinali Petra, sub his tamen limitationibus: 1° excipiendi sunt Fratres ordinis Minorum; 2° item ii religiosi mendicantes, qui ad ordinem non mendicantium transierunt; 3° necessaria est superioris licentia; 4° insuper hodie, non quidem inspecto mero jure, sed ob sensum et praxim Congregationum Romanarum, requiri videtur facultas Pontificia; quam postulantibus Episcopis concedere solet S. Congregatio Episcoporum et regularium. Cæterum concordes esse non tantum recentiores, sed etiam paulo antiquiores canonistas in admittenda illa regularium habilitate ad vicariatus generalis officium, videri potest apud de Franchis (*Controversiæ inter Episc. et reg.*, pagina ultima operis), ubi citantur tanquam huic doctrinæ adhærentes 21 auctores, cum glossa et Rota, et additur: *Fundamentum hujus opinionis est, quia nullo jure interdicitur.* Quod autem diximus de praxi, quæ invaluit, ut Episcopi quoad id facultatem a S. Congregatione Episcoporum et regularium peterent, confirmatur a citato de Franchis in hunc modum: « In « curia autem Romana observari vidi, quod quoties Episcopus « pro ecclesiæ suæ necessitate alicujus monachi opera indiget « ut sui vicarii officio fungatur..., Sacram Congregationem « regularium consulit, quæ, attenta exposita necessitate, im- « partitur, ut monachum in suum vicarium constituere valeat « (loco cit.). »

Quæstio VIª. — *An religiosus possit esse vicarius capitularis sede vacante?* — Tenet Pellizarius cum Sbrosio (*Manuale regularium*, tract. 8, c. 6, sect. 4, subsect. 3, n. 247) idem quod de vicario generali Episcopi, dicendum esse, et de vicario capitulari sede vacante, et de locum tenente vicarii: « Et pro- « batur quia nullibi interdicitur quod regulares esse non pos- « sint vicarii Episcopi, dummodo id non faciant absque licentia « proprii prælati; hæc enim omnino requiritur. »

Quæstio VIIª. — *An religiosus possit constitui coadjutor pa-*

Digitized by Google

rochi? — Videtur idem dicendum ac de officio parochi ; id est requiri hodie indultum Apostolicum, prout superiori capite requiri diximus, ut religioso conferatur parochia sæcularis. Et ita tenet Pellizarius (loco citato, n. 246).

Quæstio VIII^a^. — *An regulares constitui possint in notarios intra ordinem, etiam pro causis religiosorum?* — Respondendum affirmative, posse nempe religiosos a superioribus religionum creari notarios. Vide Pellizarium (*Manuale regularium*, tract. 8, cap. 6, sect. 4, n. 259). « Illud porro hic advertendum « est, quod, cum juramentum sit tam de essentia notarii quam « testis, illi religioso qui creatur notarius debet injungi jura- « mentum fidelitatis : alias enim processus ab ipso facti non « sunt substantialiter juridici (1).

CAPUT VII.

AN ET QUATENUS REGULARES POSSINT AD GRADUS ACADEMICOS PROMOVERI, ET DOCERE IN PUBLICIS SCHOLIS.

Quæstionem hanc expediemus triplici paragrapho : 1° brevem præmittemus notionem de doctoratu aliisque gradibus academicis ; 2° item breviter adnotabimus quomodo impugnata olim fuerit, tum universitatum studiorum institutio, tum præcipue religiosorum habilitas ad obtinendos gradus academicos, et ad docendum in publicis universitatibus ; 3° ejusmodi muniorum de jure capaces esse religiosos ostendemus.

§ I.

Præmittitur de gradibus academicis notio.

« Quamvis generaliter loquendo nomine *magistri* veniat « quivis cujuscunque disciplinæ præceptor.., tamen ad pro-

(1) Haud periculosum existimavimus, quoad ejusmodi minoris momenti quæstiones, Pellizarium citare : cæterum lectorem monemus hujus auctoris operi, utpote Indice confixo, non esse fidendum.

Digitized by Google

« positum, nomine *magistri* venit omnis et solus ille, qui in « scientia seu facultate theologica, vel juridica, vel medica, « vel philosophica, supremum gradum et insignia legitime fuit « consecutus : in quo sensu a *doctoribus* non distinguuntur...

« Verum quamvis de jure res ita se habeat, consuetudo « tamen, et particularia statuta locorum id fecerunt, quod « alicubi (ut in universitate Sorboniensi, Lovaniensi, Sala- « manticensi, ipsaque curia Romana) supremam lauream « consecuti in theologia, non doctores, sed *magistri in theo-* « *logia ;* supremam vero lauream habentes in jure vel medi- « cina, *doctores* juris civilis, vel sacrorum canonum, vel « utriusque juris, et *doctores* medicinæ vocentur... Alicubi « vero (præsertim in universitatibus superioris Germaniæ) « omnes in præfatis facultatibus, etiam theologica, supremum « gradum assecuti, ordinarie dicuntur doctores.. ; illi autem « qui philosophiæ curriculo confecto supremum in ea gradum « adepti sunt, *magistri philosophiæ* vocantur.

« Magistris et doctoribus affines sunt *licentiati*. Quorum « nomine veniunt illi, qui supremum in aliqua scientia, sive « theologica, sive juridica, sive medica, graduum doctoratus « vel magisterii insignia publice capessendi, quando volunt, « licentiam seu facultatem habent, eo quod pro talibus, post « prævium examen non tantum digni judicati, sed ut *licentiati* « rite et solemniter creati sunt.

« Licentiatis paulo inferiores sunt *baccalaurei*, quorum « appellatione illi intelliguntur, qui in scientia vel facultate « aliqua sui profectus primum testimonium primumque gra- « dum sunt adepti : quod pro locorum diversitate varie con- « tingit. In celeberrima universitate Ingolstadiensi baccalaurei « creantur ad finem primi, vel initium secundi anni philoso- « phiæ. Ex theologia vero ad finem secundi aut initium tertii « anni. » (Reiffenstuel, in titulum 5, libri 5 Decretalium, n. 2 et seq.)

Quænam privilegia *doctoribus* seu *magistris* competant, ibidem citatus auctor enumerat. Præcipua sunt sequentia : 1° in

Digitized by Google

assequendis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, cæteris paribus, doctores præferendi sunt. 2° Doctores actu docentes theologiam vel jus canonicum in aliquo studio generali, id est in aliqua *universitate* proprie dicta, licet absentes, suos faciunt beneficii sui fructus : non tamen distributiones quotidianas. Quod si fructus consistant in quotidianis distributionibus, duas tertias partes consequuntur, tertia parte præsentibus accrescente. Et idem dicendum de studentibus in aliqua universitate. 3° Cum ad varia munia ecclesiastica (verbi gratia, ut quis promoveri possit ad episcopatum) de jure requiratur doctoratus, sequitur munia hæc nonnisi doctoribus committi posse, citra Pontificium indultum.

« In favorabilibus nomine *doctorum* et *magistrorum* veniunt « etiam licentiati. Ratio est, quia privilegia doctoribus et ma- « gistris conceduntur principaliter ob excellentem et legitime « approbatam eorum doctrinam ; et non propter illam solem- « nitatem et cæremonias, quibus doctores inaugurantur. Con- « sequenter cum licentiati illam etiam habeant, etsi ista ca- « reant, eorumdem privilegiorum merito participes reputandi « sunt... Limitatur tamen conclusio in executione litterarum « Apostolicarum, quas, *doctori* vel *magistro* inscriptas, ape- « rire et exequi non potest *licentiatus*. » (Reiffenstuel, loco cit., n. 12).

§ II.

Quinam olim contenderint pravas esse studiorum universitates : item quinam religiosos a gradibus academicis et universitatum cathedris exclusos voluerint.

I. *Error eorum qui pravam esse universitatum institutionem sustinuerunt.* — « Publica studia vocamus ea quæ non solum « sunt ad proprios religiosos instruendos, sed pro omnibus sive « laicis et sæcularibus, sive religiosis cujuscunque ordinis ex- « ponuntur ; quæ tunc *universitates* appellantur, quando privi- « legiis Pontificiis ac regiis muniuntur, ut in eis usque ad litte- « rarios gradus progressus fieri possit. » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 10, l. 5, c. 4, n. 1.)

Digitized by Google

Enarrat citatus auctor quomodo Licinius imperator, Julianus apostata, et Abdalus Syriæ tyrannus, nihil efficacius ad evertendam religionem christianam machinati sint, quam catholicos a litterarum et scientiarum studiis exclusos decernendo. Cui astuto persecutionis modo applicat hæc libri I Regum(c. 13) verba: *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel: caverant enim Philistiim, ne forte Hebræi facerent gladium aut lanceam;* item verba hæc glossæ: *Diabolus per paganos, per hæreticos, et per falsos christianos, studet prohibere ne sint doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant et nobis ad pugnandum tribuant.* Tum subjungit Suarez in hunc modum: « Hoc igitur eodem spiritu motus Wiclef dixit, « universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria, a « Papa et Episcopis esse vana gentilitate introducta; et non plus « Ecclesiæ prodesse, quam diabolum (ut refertur in concilio « Constantiensi, sessione 8 et 29). Quem errorem Lutherus pos- « tea secutus est adeo impudenter, ut dixerit (referente Adriano « Papa, in bulla contra ipsum), scholas christianas esse Sodo- « mas et Gomorrhas et malorum omnium sentinas.

« Verumtamen hic error non solum est contra fidem et uni- « versalem consensum et traditionem Ecclesiæ,.. verum etiam « contra omnem rationem naturalem et contra evidentem ex- « perientiam. »

II. *Error eorum qui tenuerunt alienum a statu religioso esse, ut religiosi fiant doctores, cathedrasque in universitatibus obtineant, et prædicando verbo divino operam dent.* — Hunc errorem Parisiis summo cum strepitu sparsit unus e primis Sorbonicæ domus incolis, Guillelmus a Sancto Amore; cui adhæserunt haud pauci sæculares Parisiensis academiæ doctores. Ea causa fuit, quod tunc temporis Dominicani et Franciscani fratres sæcularibus magistris et doctoribus, in tradenda publice sacra doctrina multo præstarent, majoremque laudem consequerentur. Ut adeo tota hæc ingens in religiosos ordines commota tunc tempestas, non aliunde quam ex invidia et livore orta sit. Erroneam Guillelmi a Sancto Amore et sequacium doc-

Digitized by Google

trinam damnavit sedes Apostolica, et luculenter confutavit sanctus Thomas, celebri opusculo, *Contra impugnantes religionem* inscripto. De quo opere sic adnotat Fagnanus (in cap. *Non magnopere, ne clerici vel monach.*, n. 28) : « Nec est omittendum, « opusculum illud supponi approbatum fuisse a sede Apostolica. Nam, ut legitur in argumento ejusdem opusculi, cum « tempore sancti Ludovici Francorum regis, Guillelmus a Sancto Amore Sygeriusque magistri Parisienses, et multi sequaces, in hunc incidissent errorem, ut religiosorum mendicantium statum damnatum assererent, librumque sacrilegum Clementi IV obtulissent, Pontifex Joanni de Vercellis, magistro ordinis Prædicatorum, dictum librum transmisit, « præcipiens ut eidem faceret responderi per Fratrem Thomam de Aquino. Qui cum eumdem librum erroribus plenum invenisset, alium ipse librum veluti apologiam composuit, qui incipit, *Ecce inimici tui sonuerunt;* et errores « hujusmodi confutavit. Atque hunc librum summus Pontifex « tanquam vere catholicum approbavit ; librumque contrarium « tanquam hæreticum et nefarium damnans, ipsius auctores « cum complicibus deposuit de cathedra magistratus, eosque « de Parisiensi studio omni dignitate privavit. »

Cæterum prorsus inania sunt argumenta quæ tunc temporis a Guillelmo a Sancto Amore, et dein a Jansenistis adducta sunt, ut regulares a prædicatione, gradibus academicis, docentium cathedris, et sacramenti pœnitentiæ administratione arcerent. Reducuntur enim ad solitam illam cantilenam : esse monachatum *statum plangentis, non docentis :* ex ipsa nominis sui etymologia moneri monachum, ut *sileat* et *in solitudine maneat*, etc. Utique, sub specie promovendi spiritualis regularium profectus, voluissent ejusmodi viri religiosos omnes ad deserta et speluncas ablegare ; id est de medio tollere validos illos Ecclesiæ exercitus, ad expugnandas hæreses et vitia, promovendamque populorum sanctitatem aptissimos. Illis ergo ex antiquitatis promptuario desumptis textibus, qui monachis solitudinem, et ab omni cum populis consortio segregationem

Digitized by Google

inculcant, respondetur : id intelligendum esse de iis priorum sæculorum monachis laicis, qui, ex proprio instituto, soli vitæ contemplativæ sese addixerant : non autem de religiosis qui, a remotissima etiam antiquitate, vitam activam seu apostolicam sectati sunt : neque a fortiori de ordinibus mendicantibus, qui ad hoc ipsum instituti sunt ut vitam illam activam exercerent. Sed et monachi Benedictini vitæ mixtæ accensendi sunt : id juris canonici monumenta ; id sanctus Gregorius, Benedictinus et ipse ; id tota ordinis Sancti Benedicti historia testatur. Neque hic etymologia nominis, bene vero institutio ipsa attendenda est.

Præfatos autem Parisienses doctores, qui religiosos a cathedris, gradibusque academicis et prædicatione excludere tentarunt, eo magis pudere debuisset, quod Parisiensis academia Benedictinis monachis ortum debeat : « Plures etiam univer-« sitates (inquit Suarez, *de Religione*, tom. 4, tract. 10, l. 5, « c. 4, n. 6), studio et eruditione virorum religiosorum fun-« datæ sunt. Sufficitque nobis exemplum Parisiensis acade-« miæ, quæ per monachos fundata est. Sic enim ait Antoni-« nus (2ª p. historiali, tit. 14, c. 4, § 12) : *Fuerunt Parisiis* « *fundatores hujus studii quatuor monachi Bedæ discipuli, sci-* « *licet Rabanus et Alcuinus, Claudius et Joannes Scotus* (Be-« nedictinus scilicet, non Minorita). Refert præterea ibidem An-« toninus, ex chronicis metropolis Arelatensis, historiam nostro « instituto valde accommodatam : *Cum in occiduis* (inquit) *par-* « *tibus solus* (scilicet Carolus Magnus) *regnare cœpisset, et stu-* « *dia litterarum jam essent ubique in oblivione, ideoque veræ* « *divinitatis cultura teperet, contigit duos scotos monachos de* « *Hibernia, cum mercatoribus Britanniæ applicare; viros et in* « *sæcularibus litteris et in sacris Scripturis incomparabiliter* « *eruditos ; qui ad convenientes turbas clamabant : Si quis sa-* « *pientiæ cupidus est, veniat ad nos et accipiet eam, nam apud* « *nos venalis est. Quod cum ad aures Caroli pervenisset, eos vo-* « *catos interrogat, si veram sapientiam venalem haberent. Cui* « *illi : Sapientiam, inquiunt, et habemus, et in nomine Domini*

Digitized by Google

« *eam quærentibus dare parati sumus. Quærenti autem regi,* « *quid pro ea peterent? responderunt: Loca tantum opportuna,* « *et animas ingeniosas, et (sine quibus peregrinatio ista transiri* « *non potest) alimenta....* Postea adveniens Alcuinus, et impera- « torem ipsum et totam Galliam doctrina illustravit. »

§ III.

Concluditur habiles esse religiosos ad consequendum gradus academicos et cathedras in publicis etiam universitatibus.

Quæstio Iª. — *An regulares possint promoveri ad gradum doctoratus in publicis academiis?* Respondendum affirmative (accedente tamen superioris licentia), cum id nullatenus alienum sit a statu religioso; prout late probat sanctus Thomas in suo opusculo *Contra impugnantes religionem;* necnon S. Antoninus (parte 3, tit. 5, c. 2, § 3), et confirmat praxis.

Quæstio IIª. — *An regulares possint promoveri ad doctoratum etiam extra publicas universitates, id est, auctoritate prælatorum religionis?* — Respondendum posse, ex privilegio Apostolico. Cujusmodi privilegium datum est Dominicanis ab Innocentio VIII; et societati Jesu a Julio III. Atque ob privilegiorum communicationem, id etiam aliis religionibus competit. Imo Pius IV dictæ societati Jesu concessit, ut doctorare etiam posset sæculares, qui in ipsius collegiis studia peregerint (vide Pellizarium, tract. 8, c. 4, n. 54).

Quæstio IIIª. — *An regulares possint esse professores in publicis universitatibus?* — Respondendum affirmative, nisi obstet proprium ipsorum institutum. Et hoc intelligendum est etiam cum acceptatione soliti stipendii, necnon cum jure præcedendi muneri annexo. Id enim nullo jure regularibus prohibitum probari potest. Ad stipendium enim quod attinet non repugnat voto paupertatis, quia religiosus non sibi, sed monasterio illud acquirit. Et consonat praxis. At vero in societate Jesu posita est limitatio hæc (congreg. gener. 1, de-

Digitized by Google

creto 128) : *Cathedræ publicæ in universitatibus, aut alibi, cum ea disceptatione suffragiorum et oppositione quæ solet fieri, non sunt admittendæ. Si tamen sponte offerantur ab universitatibus aut rectoribus earum, et gratis prælegatur, nec quisquam se opponat cum quo sit disputandum, admitti possent, consulto generali.*

Quæstio IVᵃ. — *An regularis possit esse de collegio doctorum (membre d'un corps universitaire), ita nempe ut valeat ejusdem collegii deliberationibus interesse, suffragium ferre circa admittendos ad doctoratum aliosve gradus academicos, et emolumenta hisce muniis affixa recipere?* — Respondendum affirmative, supposita licentia superioris regularis. Id fuse probat Fagnanus, et refert a S. C. Congregatione decisum (in cap. *Non magno pere, ne clerici vel monachi*). A fortiori autem poterunt regulares cum superiorum suorum licentia, fieri membra societatum illarum, quæ ad promovendam rem litterariam et scientificam instituuntur, quales sunt in Gallia, verbi gratia, *Academia* et *Institutum*.

CAPUT VIII.

AN ET QUATENUS VALEANT REGULARES AD EPISCOPATUM, ET CARDINALATUM, ET SUMMUM PONTIFICATUM ASSUMI.

Quæstio Iᵃ. — *An possit religiosus ad episcopatum evehi?*— Respondendum affirmative ; estque id extra omnem omnino controversiam. Id tanquam certum supponunt plurimi juris textus ; e quibus satis sit adducere Clementinam 1 *de Electione*, in qua sic habetur : *Per hoc autem, quin religiosus in Episcopum sæcularis vel cujuslibet regularis ecclesiæ licite possit eligi, non intendimus prohibere.* Cæterum nullus est catholicus doctor qui in dubium revocet num licite possint regulares ad episcopatum transire : « Non inquiro, ait Suarez, an hic transitus licitus sit, « quia id certum et indubitatum est. » (*De Religione*, tomo 4, tract. 8, l. 3, c. 16, n. 1.)

Quæstio IIᵃ. — *An per se, seu attenta status religiosi natura,*

Digitized by Google

expediat e cœtu etiam regularium Episcopos assumi? — Respondeo affirmative. Quia, ut ait Suarez, loco citato : « Cum sta-« tus religionis sit via ad perfectionem, et status episcopalis sit « quasi terminus seu existentia in statu perfectionis, videtur, « quantum ex hoc capite, valde proportionatus ascensus a « religione ad episcopatum. » Requirit nempe episcopatus viros christianis virtutibus solide fundatos, humilitate potissimum, abnegatione sui, divitiarum et rerum mundanarum contemptu, necnon virili in perferendis adversis patientia. Porro ad instruendos hisce virtutibus clericos, multo de se aptior schola est status religiosus, quam vita in sæculo transacta, ut patet. Item Episcopis, utpote qui lux mundo esse debent, necessaria est, non aliqualis, sed longo et perseveranti studio comparata scientia ecclesiastica. Porro ad eam uberem et solidam acquirendam doctrinam multo magis idoneam esse religiosorum conditionem experientia testatur. Multi enim in singulis ordinibus religiosi ejusmodi addiscendis disciplinis strenue ac per multos annos incumbunt, opportunum ad id otium etiam præbente proprio ipsorum statu : e sæculari autem clero, perpauci.

Objicies. — Religiosi, utpote mundo mortui et a sæcularium consortio segregati, illam non acquirunt expediendorum negotiorum artem atque experientiam, quæ Episcopo maxime necessaria est. — Respondeo niti hanc objectionem falso Jansenistarum supposito, quod regulares sint viri in desertis et speluncis latitantes. Id verum duntaxat aliquatenus foret, quoad regulares, qui *soli* vitæ contemplativæ vacant. Cæteri enim ordines religiosi, id est fere omnes, nequaquam sunt a consortio cum sæcularibus segregati; sed perpetuo cum eis commercio communicant, pro rebus ad instituti sui finem spectantibus. Et eo melius mundanas versutias compertas habere discunt, quo nitidiori oculo pollent ad discernendum verum a falso, a vitio virtutem, et filiorum lucis rectam viam a tortuosa filiorum sæculi calle. Ii certe religiosi qui prioratus, vel provincialatus aliisve similibus muniis functi

Digitized by Google

sunt, haud parvam sæpe administrandi etiam et negotia sapienter expediendi industriam acquirunt. Cæterum haud adeo necessaria æstimanda est illa de sæculi artibus et versutiis scientia, quin facile sanctitate et doctrina suppleatur. Atque utinam frequenter haberemus ejusmodi ex eremo (id est claustri silentio et solitudine) ad episcopatum transeuntes sanctos et eruditos Basilios, etsi adhuc sæculi et pravitatis ejus inscios! Forent hi potentes virtute et opere, ardentes atque lucentes in Ecclesia Dei lampades.

Diximus autem in propositione, *per se seu attenta status religiosi natura :* nam ob peculiares temporum vel locorum circumstantias contingere potest, ut e regulari clero Episcopos assumi haud expediat.

Item fatemur caute in hac re esse procedendum, ne si frequentiores forent alicujus ordinis religiosorum ad episcopale culmen evectiones, ordinem ipsum (ex humana illa fragilitate, qua nec perfectionis status caret) invadat ambitio ; item ne debilitetur ordo, si dum paucos forte habet eximiæ virtutis et doctrinæ viros, ipsorum præsidio atque ornamento defraudetur. Hinc laudabiliter in nonnullarum religionum instituto cavetur, ne valeant religiosi oblatum sibi episcopatum, aliasve sæculares dignitates acceptare.

Quæstio IIIª. — *An requiratur superioris regularis licentia, ut valeat religiosus ad episcopatum evehi ?* — Respondeo affirmative. Constat capite *Si religiosus* (27, *de Electione*, in 6), in quo statuitur : « Si religiosus.., electioni de se ad prælationem « aliquam extra suum monasterium vel suam ecclesiam cele- « bratæ, sui superioris (qui dare ipsam valeat) non petita li- « centia et obtenta, præsumpserit consentire, consensus sic « præstitus non teneat, et... electio eadem ipso facto viribus « vacuetur omnino. » Atque ibidem postea disponitur, ut licentiam hanc dare valeat superior absque consensu capituli sui. Vide Suarezium (*de Religione*, tomo 4, tract. 8, l. 3, c. 16, n. 1).

Quæstio IVª. — *An religiosus factus Episcopus desinat esse*

Digitized by Google

religiosus ? » — Certum est religiosum, cum fit Episcopus, non « amittere substantialem statum religiosi. Ita docet divus « Thomas (2. 2, q. 185, a. 8), et est communis omnium sen- « tentia. » (Suarez, loco citato, n. 4.) Id fuse probat Suarez, ostendendo quomodo remaneat trium substantialium votorum obligatio. Quoad castitatem, patet. Quoad obedientiam, equidem desinit ille religiosus subjici religionis suæ prælato, sed constituitur sub obedientia Papæ : unde non solvitur emissum ab eo votum obedientiæ, sed fit duntaxat mutatio immediati superioris. Item remanet paupertatis votum ; siquidem non magis quam antea potest ullius rei dominium acquirere : sed illud duntaxat intervenit discrimen, quod, cum antea monasterio acquireret, nunc acquirit ecclesiæ suæ, id est, suo episcopatui : item cum antea magis restrictum haberet usum bonorum temporalium, nunc (ob exigentiam status episcopalis) multo latiorem habeat (vide etiam Ferraris, voce *Episcopus*, articulo 7).

Quæstio V^a^. — *An religiosus factus Episcopus adstrictus remaneat, non tantum tribus votis substantialibus, sed aliis etiam religionis suæ votis, aut observantiis, cum episcopatu compatibilibus ?* — Respondendum affirmative. Præter alia quæ id probant, attendenda præcipue constitutio *Custodes* Benedicti XIII, 7 martii 1725, in qua sic habetur : *Iisdem regularibus tam ad episcopatum, quam ad cardinalatum evectis, præcipitur, in virtutesanctæ obedientiæ.., ut singulis suæ regulæ officiis et obligationibus, quæ pontificale... aut cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint.* Hinc dum quidam religiosus ex ordine Minimorum (qui quartum emittunt votum de servanda per totum annum vita quadragesimali examen pro suscipiendo episcopatu subiret, eum interrogavit Urbanus VIII : « An fac- « tus Episcopus teneretur ad votum vitæ quadragesimalis ? « Et cum respondisset, *non teneri*, Papa ei dixit : *Errasti*, « *teneris*. Et parum defuit ut excluderetur : noluit tamen cum « eo dispensare. » (Apud Ferraris, voce *Episcopus*, articulo 7, n. 3.)

Digitized by Google

Quæstio VIa. — *An religiosus factus Episcopus teneatur sui Ordinis habitum deferre?* — Equidem capite *Clerici* (15, *de Vita et hon. cleric.*) statuitur debere Episcopum, si sit monachus, *ferre habitum monachalem.* « Retento tamen colore habitus suæ « religionis, potest se conformare cum Episcopis sæcularibus « in forma seu figura... et sic modo servatur in praxi. » (Ferraris, voce *Episcopus*, art. 7, n. 5.)

Quæstio VIIa. — *Quodnam sit jus religiosi ad episcopatum evecti, quoad bona temporalia ipsi obvenientia?* — 1° Certum est ipsum nullius rei dominium sibi acquirere posse, cum, ex dictis, maneat votum solemne paupertatis, vi cujus incapax est cujuscunque dominii. 2° « Non acquirit monasterio, sed propriæ « mensæ, seu ecclesiæ, *quoad proprietatem;* ad proprium « tamen commodum *quoad usum fructum.* » (Ferraris, voce *Episcopus*, art. 7, n. 11.) Ita declaratum a Sacra Congregatione Concilii, et admissum communiter a doctoribus, vide apud citatum Ferraris, et apud Suarez (*de Religione*, tom. 4, tract. 8, l. 8, cap. 16.) 3° Post promotionem ad episcopatum religiosus recuperat jus successionis ad hæreditatem sibi delatam, quamvis huic juri renuntiaverit, sive in favorem monasterii (quod fieri censetur, per professionem in religione capaci possidendi in communi), sive in favorem alicujus consanguinei vel exteri (prout fit ante professionem in religionibus incapacibus possidendi in communi) : non tamen locum habet hæc recuperatio, si hæreditas alicui tertio jam acquisita fuerit ante promotionem ad episcopatum. Ita doctores communiter ; et fuit decisum a Sacra Congregatione Concilii. Verbi gratia, in *Neapolitana* 3 decembris 1639, postulatum fuit in hunc modum : « I. An regularis professus, incapax bono« rum (1), ad episcopatum assumptus recuperet jus succe« dendi quoad hæreditatem, post assumptum episcopatum « sibi delatum? II. An eidem obstet cessio et renuntiatio hu-

(1) Id est in religione possidendi in communi incapaci, ita ut professus non possit hæreditates acquirere monasterio, prout apud Capuccinos.

Digitized by Google

« jusmodi hæreditatis, facta ad favorem fratris, ad præscriptum « sancti concilii Tridentini capite 16 sessionis 25, *de Regulari-* « *bus?* » — Responsum est :

Ad I, *recuperare jus succedendi ad hæreditates post adeptum episcopatum sibi delatas, ad utilitatem suæ ecclesiæ quoad proprietatem; et ad proprium commodum quoad usum fructum.*

Ad II, *eidem non obstare supradictam cessionem et renuntiationem, quoad hæreditates quæ non sint alteri ante adeptum episcopatum acquisitæ* (apud Ferraris, voce *Episcopus*, art. 7, n. 12). 4° Quod autem religiosus monasterio acquisivit ante adeptum episcopatum, debet monasterio relinquere (vide Ferraris, loco citato, n. 17).

Quæstio VIIIa. — *Quid juris oriatur quoad religiosum Episcopum, si episcopatui renuntiet, vel ab eo deponatur?* — 1° Certum est Episcopum regularem, non magis quam sæcularem, posse renuntiare episcopatui absque licentia Papæ. Constat ex capite *Ad supplicationem, de Renuntiatione;* estque hoc extra controversiam omnem.

2° Ante Benedictum XIII existimabant multi doctores, religiosum, qui episcopatu cessit, vel depositus fuit, non teneri ad monasterium redire. Sed dictus Pontifex, constitutione *Custodes*, contrarium sancivit in hunc modum :*Dimisso episcopatu, seu quacunque alia dignitate ad quam evecti fuerint, vel perfuncto munere sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur, sub pœna privationis usus pontificalium ; et si manserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.*

3° An autem dictus regularis, dimisso episcopatu ad monasterium regressus, subjiciatur regulæ et superioribus ordinis ; item an possit assumi ad aliquam dignitatem aut prælaturam ordinis ; vide apud Ferraris (voce *Episcopus*, art. 7), necnon apud Pellizzarium (tract. 8, c. 6, n. 230).

Quæstio IXa. — *Quid juris quoad religiosum evectum ad cardinalatum?* — « An omnia, inquit Suarez, quæ diximus de « Episcopis, eodem modo locum habeant in Cardinalibus

Digitized by Google

« religiosis ? Ad quod breviter respondetur, eodem modo « omnia accommodanda esse; quia religiosus Cardinalis vere « religiosus manet : eadem enim est de illo ratio; vel certe « major, quia ex vi illius dignitatis non ita constituitur in « statu perfectionis sicut Episcopus. Quare vinculum pauper- « tatis retinet, et incapax est proprii dominii ; et ideo sine « dispensatione testari non potest. Unde quidquid acquirit « post talem dignitatem, ecclesiæ suæ videtur acquirere ; « semper enim habet alicujus particularis ecclesiæ titulum et « regimen : alias acquiret Ecclesiæ Romanæ seu Apostolicæ « sedi. Quod vero ad obedientiam attinet, clarum est soli « Pontifici immediate subesse : retinet tamen idem obe- « dientiæ vinculum. De obligatione vero ad alias observantias « regulæ, eadem ratio exemptionis est... habitum tamen de- « ferre debet. » (*De Religione*, tom. 4, tract. 8, l. 3, c. 18, n. 4.)

Scholium. — In confirmationem eorum quæ diximus de religioso ad episcopatum evecto, juvat hic nonnulla transcribere, ex causa *Firmana renuntiationis* (17 julii 1723, *Thesaurus resol.*, tom. 2, pag. 341, edit Urbini, 1739). Ibi nempe causæ relator sic adnotat : « Juxta receptiorem sententiam, religiosus « ad episcopatum promotus remanet obstrictus voto pauper- « tatis, et proprium habere non potest, juxta divum Thomam « (2, 2, q. 185, art. 8, ad 3). Unde licet paternam vindicet « hæreditatem (juxta textum in canone *Statutum*, 18, q. 1, ibi : « *Statutum est... ut monachus, quem canonica electio a jugo* « *regulæ monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de* « *monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam* « *sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem obti-* « *neat*), hoc tamen intelligitur quoad usum, non quoad pro- « prietatem et dominium, cum hæc ad suam ecclesiam defe- « rantur, uti ponderat divus Thomas, loco citato, ibi : *Proprium* « *autem nullo modo habere possunt; non enim paternam hæ-* « *reditatem sibi vindicant quasi propriam, sed quasi ecclesiæ* « *debitam.* Et hæc semper fuit sententia curiæ Romanæ ; uti,

Digitized by Google

« loquendo de tribunali Rotæ, habetur in decisione 115, « n. 7 et sequentibus, et n. 22 et seq., partis 4, tomi 2, « *recentium*. Et concordant resolutiones hujus S. Congre- « gationis. »

Nota. — Quod valeat regularis ad summum Pontificatum assumi, omnino extra controversiam est, et testatur præterea frequentissima praxis.

Digitized by Google

SECTIO II.

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS.

Quamplurima sunt quæ regularibus, non vi juris communis, sed jure particulari quoad ipsos statuto, competunt. Cujus particularis juris dispositiones omnino attendendæ sunt, ut dignoscatur quamnam in ipsos jurisdictionem habeant locorum Ordinarii. Præsentis autem sectionis scopus non est, omnia illa privilegia, quæ singulis religionibus concessa sunt, describere. Sed, præmissa de privilegiis generali notione, ad illud quod præcipuum est, atque omnibus fere ordinibus commune, ad privilegium nempe *exemptionis* gressum faciemus: tum et de concessa regularibus facultate, conservatores sibi eligendi, nonnulla subnectemus. De cæteris autem ipsorum privilegiis haud adeo utile est in particulari disserere, cum singulis ordinibus et conventibus sat curæ sit ejusmodi Pontificiarum concessionum instrumenta fideliter asservare, atque Ordinariis, ubi ea in dubium revocarent, exhibere.

CAPUT I.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM IN GENERE.

Quæstio Iª. — *Quid sit privilegium ?* — « Privilegium pro-« prie sumptum est supremi principis constitutio specialem « favorem concedens. Unde privilegium dici solet, *lex pri-« vata contra vel præter jus aliquid concedens*... sic in re com-« munis. » (Ferraris, voce *Privilegium*, art. 1, n. 1.)

Privilegium autem non dicitur *lex* eo sensu quod illud

Digitized by Google

obtinentes teneantur eo uti, cum *invito beneficium non detur* (prout dicitur lege *Invito*, ff. *de Reg. juris*) ; sed duntaxat eo sensu, quod aliis prohibitum sit, ne illud impediant.

Nota. — Loco vocis *privilegium*, frequenter in jure usurpantur denominationes istæ : jus singulare, indulgentia, specialis largitas, prærogativa, concessio, constitutio personalis, lex propria, rescriptum, diploma, indultum principale, favor, gratia, immunitas (vide Reiffenstuel, in tit. 33, libri 5 Decret., n. 5).

Quæstio IIª. — *Quænam distingui soleant privilegiorum species?* — « Privilegium dividitur *primo*, in privilegium « contra jus, et privilegium ultra vel præter jus. » (Ferraris, loco cit., n. 3.) Verbi gratia, exemptio a jurisdictione Ordinarii est privilegium contra jus : potestas vero absolvendi a reservatis, vel dispensandi, est privilegium præter jus. Attendenda venit præcipue distinctio hæc, quando agitur de interpretanda alicujus privilegii extensione. Nam privilegium contra jus stricte interpretandum plerumque est : at privilegio præter jus, ut pote meræ gratiæ, lata interpretatio convenit.

« *Secundo*, privilegium aliud est clausum in corpore juris : « aliud est extra corpus juris, seu datum per speciale re- « scriptum principis. » (Reiffenstuel, loco cit., n. 10.) In ea nempe legum ecclesiasticarum collectione, quæ dicitur *corpus juris canonici*, occurrunt plura, in favorem alicujus classis personarum, vel ecclesiarum, vel etiam alicujus religiosi ordinis, contra aut præter leges generales sancita. Quando privilegium est clausum in corpore juris, non tenetur privilegiatus suum privilegium probare, quia non debet judex illud ignorare. Unde si Ordinarius aliquid jubeat contra ejusmodi privilegia, in corpore juris expressa, non tenetur privilegiatus obtemperare. E contra si privilegium non reperiatur in corpore juris, et Ordinarius contra illud aliquid præcipiat, tenetur privilegiatus instrumentum privilegii sui ostendere ; et alioquin potest Ordinarius eum cogere ad obediendum ordinationibus suis.

Digitized by Google

Tertio, privilegium aliud est reale, aliud personale, aliud mixtum ; reale est quod alligatur rei, loco, muneri, dignitati : personale, quod confertur alicui personæ singulari : mixtum, quod rei simul et personæ conceditur ; quale censetur privilegium communitati quatenus tali concessum. Privilegium reale transit ad successores : secus personale, si agatur de persona singulari, non de societate : quod si agatur de persona morali seu de communitate, privilegium perseverat, per se loquendo, quandiu communitas ipsa non extinguitur. Dicitur *per se loquendo*, quia etiam communitas, quamvis non extinguatur, pluribus modis potest privilegium suum amittere, ut dicetur infra.

Quarto, privilegium aliud est *per se*, aliud *ad instar*. Privilegium *ad instar* illud est quod alicui conceditur eo modo quo jam alteri concessum est.

Quinto, aliud est *communitatis*, aliud *privatorum*. Privatus potest quidem renuntiare privilegio suo privato, at nequit renuntiare privilegio communitatis suæ.

Sexto, privilegium aliud conceditur *motu proprio*, aliud *ad preces*. Quando conceditur *ad preces*, impugnari potest ejus valor ex eo quod falsa fuerint exposita, vel omissa quæ exprimi debuissent ; seu ex eo quod sit obreptitium, vel subreptitium (vide Reiffenstuel, in tit. 3, libri 1 Decret., n. 202 et seq.).

Quæstio IIIª. — *An ad valorem privilegii requiratur scriptura?* — 1° Regulariter loquendo non requiritur, sed sufficit illud concedi viva voce. 2° Requiritur quandoque scriptura ad probandum privilegium. Contingere siquidem potest, ut aliter probari nequeat. 3° Ex regula 27 Cancellariæ, *gratiæ* quæ ab Apostolica sede conceduntur, effectum suum in foro externo sortiri nequeunt, antequam litteræ desuper confectæ fuerint. Quod intelligendum est, etiamsi Pontifex in libello supplici scripserit vocem *fiat*. An autem in foro conscientiæ iis gratiis uti liceat ante litterarum expeditionem, disputant doctores. 4° Certum est quoad nonnullas materias requiri scripturam ut valeat privilegium, nempe : *primo* facultas ingrediendi

Digitized by Google

clausuram monialium nulla est, nisi in scriptis obtenta fuerit. *Secundo*, item nulla est beneficiorum collatio, confirmatio et unio, ante litterarum expeditionem. *Tertio*, similiter nulla est facultas non residendi in beneficio curato, nisi scripta sit. Vide quoad hæc omnia Reiffenstuel (in tit. 33, libri 5 Decret., n. 28 et seq.).

QUÆSTIO IVª. — *Quotuplici modo acquiratur privilegium?* — Acquiri triplici modo, nempe : concessione principis, consuetudine legitime præscripta, et communicatione, tradunt communiter doctores. Vide Reiffenstuel (loco cit., n. 38 et seq.).

QUÆSTIO Vª. — *Num privilegium rite concessum habeat effectum suum statim ac confertur, an vero duntaxat quando pervenit ad notitiam privilegiati?* — De hac quæstione inter doctores valde controvertitur. Probabilior videtur sententia quæ distinguit hoc modo : si privilegium concedatur *motu proprio* absque præviis precibus privilegiati, non sortietur effectum antequam privilegiatus de eo certior factus fuerit; quia nempe necessaria videtur acceptatio privilegiati, quæ acceptatio adesse nequit antequam sibi concessum privilegium resciverit. Si vero concessio fiat *ad preces* privilegiati, effectum habebit privilegium statim ac concessum fuerit; quia jam tunc adest dicta acceptatio. Juxta hanc distinctionem, si postulatum ab Episcopo vel a parocho fuerit, ut possit fieri matrimonium coram Titio sacerdote, et contrahatur coram dicto Titio *post concessam* sed *ante cognitam* licentiam, valebit matrimonium, si Titius ipse licentiam per se vel alios postulaverit : secus non valebit. De hac controversia vide Reiffenstuel (in tit. 33, libri 5 Decret., n. 42 et seq.).

QUÆSTIO VIª. — *Quid sit communicatio privilegiorum, et quinam ordines religiosi privilegia sibi invicem communicent?* — 1° Communicari dicuntur privilegia, quando uni ordini religioso concessa, fiunt aliis communia ; seu quando concessio privilegiorum uni facta, ad alios extenditur.

2° « Ordines mendicantes omnes habent inter se absolutam, « perfectam et plenissimam communicationem privilegiorum,

Digitized by Google

« prout omnes doctores hac de re scribentes unanimiter do-
« cent, atque ex variis constitutionibus Pontificiis, præsertim
« Julii II, Leonis X et Pii V manifeste patet. » (Reiffenstuel, in tit. 33, libri 5 Decretalium, n. 55.) Atque intelligendum est etiam de privilegiis concessis societati Jesu, quamvis adsit clausula *ne illis privilegiis per communicationem fruantur cæteri mendicantes;* « quia subsequentes Pontifices de novo absque
« dictis limitationibus plenissimam concesserunt mendicanti-
« bus et confirmarunt communicationem privilegiorum. »
(Reiffenstuel, ibid., n. 64.)

3° « Hæc communicatio privilegiorum currit de prælatis ad
« prælatos, de fratribus privatis (id est sine prælatura) ad fra-
« tres privatos, de conventibus ad conventus, de festivitati-
« bus ad festivitates. » (Reiffenstuel, ibid., n. 59.) Hinc, verbi gratia, si concedatur privilegium magistro generali Dominicanorum, privilegium illud erit simul acquisitum vicario generali Franciscanorum, præposito generali societatis Jesu, etc. Item quod conceditur pro festivitatibus sanctorum unius ordinis, concessum censetur pro festivitatibus sanctorum aliorum ordinum : et sic de aliis.

4° Locum non habet communicatio, si privilegium sit personale alicui religioso : item si concessum fuerit alicui ecclesiæ, ob rationem specialem ; verbi gratia, eo quod ibi ab antiquo soleant fideles aliquam B. Mariæ Virginis imaginem venerari.

5° Quando privilegium alicui ordini concessum, postea quoad illum eumdem ordinem revocatur, revocatio hæc non afficit alios religiosos ordines, qui per communicationem illud privilegium acquisiere (vide Reiffenstuel, in tit. 33, libri 5 Decret., n. 69).

Quæstio VII^a^. — *Quid sit, et quosnam effectus operetur privilegiorum innovatio seu confirmatio ?* — 1° « Confirmatio seu
« innovatio privilegiorum aliud non est quam corroboratio pri-
« vilegii legitime jam habiti. » (Reiffenstuel, loco cit., n. 73.)

2° « Confirmatio est duplex : una videlicet *in forma com-*

Digitized by Google

« *muni* seu ordinaria, alia *in forma speciali* seu *ex certa scien-*
« *tia.* »

3° Confirmatio *in forma communi* seu ordinaria privilegium roborat quale et quatenus hic et nunc existit. Unde, si forte privilegium fuerit ab initio invalidum, vel si aliqua de causa valere desierit, per confirmationem *in forma communi* factam nullatenus reviviscit. Quia nempe confirmatio hæc semper relativa est ad hypothesim, quod hic et nunc existat et valeat privilegium ; nec intendit Pontifex illud tribuere, si forte non exstet. Non ergo jus ullum novum operatur confirmatio *in forma communi* concessa. Estque id extra controversiam apud doctores. Et nihilominus inutilis non est ejusmodi privilegiorum confirmatio (vide Reiffenstuel, in tit. 30 libri 2 Decretalium).

4° At vero si confirmatio fiat *in forma specifica*, seu *ex certa scientia*, non solum roborat privilegium hic et nunc validum, sed illud validum reddit, etiamsi valere desierit. Æquivalet proinde novæ concessioni, et supplet omnes defectus qui suppleri possunt (vide Barbosa, *de Clausulis frequentibus*, clausula *ex certa scientia*).

5° Quod confirmatio facta sit *in forma speciali*, colligitur « ex variis signis, videlicet : si in ipsa confirmatione appo-
« natur clausula *ex certa scientia* , aut clausula *non obstante*
« *quacunque lege et consuetudine in contrarium*, vel clausula
« *supplentes omnes juris et facti defectus ;* aut in litteris confir-
« mationis inseratur tenor totius privilegii aut instrumenti ;
« sic passim doctores. » (Ferraris, voce *Privilegium*, art. 2, n. 6 ; vide ibid., n. 35 et seq.)

Quæstio VIIIa. — *Quomodo interpretari privilegia debeant ?* — 1° Distinguitur interpretatio extensiva et comprehensiva. Interpretatio *extensiva* seu per extensionem est illa per quam legis alicujus decisio extenditur ad alium casum aliasve personas, ultra verba legis, et simul *ultra*, *sed non contra mentem* legislatoris.

Interpretatio *comprehensiva* est illa qua decisio legis exten-

Digitized by Google

ditur ultra ipsius verba, sed non ultra mentem legislatoris (vide Ferraris, verbo *Privilegium*, art. 2, n. 20).

2° Iterum dividitur interpretatio in *auctoritativam*, quæ fit a legislatore aut ipsius superiore, aut ab eorumdem successoribus, et *doctrinalem*, quæ fit a viris doctis (ibid., n. 22). Prior certum facit sensum qui legi tribuitur; et juxta illum sensum lex intelligenda est, sive in judicio, sive extra judicium: posterior plus minusve probabilem facit sensum textui *legis*, seu privilegii attributum, prout major minorve est doctorum interpretantium auctoritas, et gravitas rationum quibus nituntur.

3° « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpre-« tationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio. » Ita glossa in caput *Cum dilectus*, *de Consuet.*, ab omnibus recepta.

4° « Privilegia quæ non sunt contra jus commune, sed so-« lum præter vel ultra, nec cedunt in præjudicium alterius, « sunt late interpretanda : communis. » (Ferraris, voce *Privilegium*, art. 2, n. 27.)

5° « Privilegia autem quæ sunt contra jus commune, et quæ « cedunt in præjudicium alterius, sunt stricte interpretanda : « communis. » (Ibid.)

Quæstio IXª. — *An et quomodo cesset privilegium per revocationem?* — 1° Privilegium sive præter, sive contra jus subdito concessum a principe, potest a concedente vel ab ejus successoribus revocari ; excepto casu quo fuisset concessum tanquam remuneratio, aut haberet vim pacti (vide id probatum a Reiffenstuel, in tit. 33 libri 5 Decretalium, n. 120 et seq.).

2° Duplex distinguitur revocatio : *expressa* et *tacita*. Est expressa quando expresse dicitur privilegia revocari : est tacita quando id non dicitur, sed ponitur a principe aliquis actus privilegio directe contrarius, ita ut actus ille nequeat effectum suum habere, nisi sublato privilegio.

Digitized by Google

3° Revocatio *expressa* subdividitur in *specialem*, qua nempe revocatur aliquod privilegium in specie determinatum; et *generalem*, qua generaliter revocantur privilegia omnia decreto alicui contraria.

4° Revocatio *generalis* iterum subdividitur in *communem*, quæ fit per clausulam communem, *non obstantibus quibuscunque privilegiis;* et *extraordinariam*, quæ fit per clausulam, *non obstantibus privilegiis sub quacunque verborum forma conceptis, etiamsi eorum mentio ad verbum fieri deberet.*

5° Circa revocationem *generalem communem* hæ statui solent regulæ : *primo*, non tollit privilegium in corpore juris clausum. *Secundo*, nec tollit privilegium in corpore juris non clausum, si huic privilegio insertum sit, quod non possit ei derogari nisi facta de ipso *speciali et expressa mentione.* Unde ad tollendum ejusmodi privilegium, opus est vel *speciali*, vel *generali extraordinaria* revocatione.

6° Circa revocationem *tacitam* statui solent sequentes regulæ : *primo*, per legem generalem, privilegiis contrariam, sed de ipsis non loquentem, censentur revocata privilegia in corpore juris contenta. Ratio est, quia legislator censetur cognoscere privilegia in corpore juris clausa. Proinde cum ferat legem ipsis contrariam, merito præsumitur velle iis derogare.

Secundo, per dictam legem non tolluntur privilegia, in corpore juris non clausa : nam legislator censetur illa ignorare : proinde ex eo quod ferat legem ipsis contrariam, immerito concluderetur ipsum velle sublata hæc privilegia.

Tertio, si princeps concedat privilegium contrarium alteri privilegio jam concesso, quin de hoc anteriori privilegio quidquam exprimat, novum privilegium pro subreptitio ac invalido regulariter loquendo habendum est. Dicitur *regulariter loquendo*, quia excipiendus casus quo privilegium anterius foret generale, et posterius speciale (vide Reiffenstuel, in tit. 33 libri 5 Decretalium, n. 130).

Quarto, quando princeps fert sententiam, ex qua sequitur

Digitized by Google

ab ipso non agnosci ut validum aliquod privilegium, non censendus est revocare ejusmodi privilegium; sed potius illud tanquam subreptitium declarare (ibid., n. 132).

Quæstio X^a^. — *Quænam regularium privilegia revocata fuerint per concilium Tridentinum?* — Quæstionem hanc peculiari cura excussit sæpe citatus Reiffenstuel (in tit. 33, libri 5, n. 135 et seq.) : quapropter ipsius doctrinam summatim referemus.

1° Falsum est omnia regularium privilegia fuisse a Tridentino concilio sublata. Imo plurima in suo vigore reliquit, atque etiam confirmavit dicta synodus; prout constat hisce verbis capitis 20 sessionis 25 : *In cæteris omnibus præfatorum ordinum privilegia et facultates, quæ ipsorum personas, loca, et jura concernunt, firma sint et illæsa.* « Ponitur conclusio, in« quit Reiffenstuel, ad juste confundendos quosdam, in hoc « sane imprudentes, qui, dum regulares in certis causis sua « privilegia humiliter et recte allegant, ea statim indiscri« minatim explodunt dicendo, regularium privilegia post « concilium Tridentinum non amplius valere, sed omnia ab « eo fuisse revocata. »

2° Privilegia Tridentinæ synodo anteriora, quæ sessioni 25, *de Regularibus*, adversantur, revocata fuere. Constat dictæ sessionis capite 22 : *Omnia et singula in superioribus decretis contenta observari præcepit... non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis, sub quibuscunque verborum formulis conceptis, ac mare magnum appellatis*, etc. Notet lector verba hæc concilii, *omnia in superioribus decretis contenta*. Dubium non est voces istas *in superioribus decretis*, saltem referendas esse ad decreta illius sessionis 25 : an vero ad aliarum etiam quæ præcesserant sessionum decreta omnia, negat Reiffenstuel cum multis auctoribus *classicis*, ut ipsos vocat.

3° Revocata etiam censenda sunt regularium privilegia, contra quæ Tridentini Patres (in aliis etiam præter memoratam sessionibus) aliquid decreverunt cum clausula derogatoria, *non obstantibus quibuscunque privilegiis*. In aliis nempe præter

Digitized by Google

vigesimam quintam sessionibus, occurrunt decreta, regularium anterioribus privilegiis contraria; et ex his decretis alia habent dictam clausulam derogatoriam, alia non habent. Porro quoad ea decreta Tridentina quæ sic derogant regularium privilegiis, non est difficultas : conceditur perempta fuisse ipsis adversantia regularium privilegia. An autem idem dicendum sit de aliis Tridentinis decretis, hac clausula derogatoria destitutis, affirmarunt nonnulli; sed negant cum Suaresio et Anacleto Reiffenstuel sanioris doctrinæ scriptores. Nempe

4° Tridentina decreta dictam derogatoriam clausulam non habentia, non censenda sunt sustulisse regularium privilegia, quibus adversantur. Nam *primo*, nulla lex generalis censetur derogare privilegiis, nisi id exprimat : atque id ab omnibus tanquam certa regula recipitur. Ergo neque Tridentinæ leges, derogatoria clausula carentes, regularium privilegia sustulerunt. *Secundo*, synodus in aliquibus ejusmodi decretis clausulam derogatoriam adnectit, non in aliis : porro id signum est noluisse synodum per hæc posteriora derogari particularibus locorum aut personarum consuetudinibus, vel privilegiis. *Tertio*, est recepta doctrina synodum per decreta sua, derogatoriam non habentia clausulam, haud derogasse particularibus locorum et personarum consuetudinibus et statutis : ergo nec regularium privilegiis. *Quarto*, Tridentina synodus decretum tulit omnibus omnino regularium privilegiis contrarium; his nempe verbis : *Sciunt universi sacratissimos canones exacte ab omnibus esse observandos* (sess. 25, *de Ref.*); quæ verba procul dubio cuilibet privilegio adversantur : ergo si perimerentur privilegia per decretum absque derogatoria clausula, dicendum foret, a synodo sublata fuisse omnia omnino regularium privilegia. Sed hoc admitti nequit; quia alioquin synodus sibi aperte contradiceret; cum ipsamet sanxerit ut, *in cæteris omnibus... ordinum privilegia firma sint et illæsa* (c. 20, sess. 25, *de Regularibus*).

Objicies.— Synodus præcipit observari *omnia in superioribus*

Digitized by Google

decretis contenta, idque intelligendum est de decretis totius concilii; et ubi hoc dicit, ponit clausulam derogatoriam: ergo cætera etiam decreta clausula illa muniri censenda sunt. — Respondeo: Gratis asseritur verba hæc *in superioribus decretis* intelligenda esse de totius concilii decretis: intelligenda esse duntaxat de decretis illius sessionis 25, satis evincunt deductæ rationes.

5° Clausula (quæ concessioni privilegiorum annecti solet), *dummodo sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non adversentur*, intelligenda est de canonibus et decretis Tridentinis, non aliis; et non de omnibus Tridentinis canonibus et decretis, sed de iis solis quæ clausulam privilegii derogatoriam habent. Quod verba *sacris canonibus* intelligenda sint de Tridentinis, non de omnibus omnino canonibus, seu (quod idem est) de jure communi, patet; siquidem alioquin absona et inutilis foret privilegii concessio. Cum omnia proprie dicta regularium privilegia juri communi adversentur (vide Reiffenstuel, in tit. 33, lib. 5 Decret., n. 113). Quod verba *modo Tridentinis decretis*, etc., intelligenda sint de solis Tridentinis decretis, *derogatoria clausula munitis*, sic tradit laudatus Reiffenstuel (ibid., n. 116): « Plures, iique classici doctores... pro-« babilissime et solide defendunt, quod per præfatæ clau-« sulæ verba illa *dummodo decretis concilii Tridentini non* « *adversentur*, non intendant Pontifices exinanire omnia et « singula regularium privilegia, quæ concilio Tridentino vel « decretis illius qualitercunque adversantur; sed illa dun-« taxat quæ a concilio *expresse* fuere revocata (qualia sunt « omnia quæ contraria sunt decretis sessionis 25 *de Regulari-* « *bus*), sicut et illa quæ adversantur præcedentium sessionum « decretis positis cum clausula *non obstantibus privilegiis*, seu « alia simili privilegiorum derogatoria seu revocatoria: alia « vero sine hujusmodi clausula, merito colligere licet, præ-« fatum concilium Tridentinum quoad hæc decreta..., non in-« tendisse privilegia eis contraria revocare, sed potius inten-« disse ea relinquere in suo valore: alias frustra et superflue

Digitized by Google

« in aliquibus decretis apposuisset derogatoriam clausulam. « Atqui si intendit, quoad memorata decreta, privilegia relin- « quere in suo valore, privilegia decretis hujusmodi proprie « non adversantur, ut consideranti patet. »

QUÆSTIO XI^a^. — *Quomodo intelligendæ sint clausulæ, privilegiis concessis nonnunquam insertæ*, DUMMODO SINT IN USU, DUMMODO NON SINT REVOCATA ? — Præter clausulam memoratam, *dummodo Tridentinis decretis non adversentur*, occurrunt nonnunquam et istæ duæ aliæ.

I. Quod attinet ad clausulam *dummodo sint in usu*, « im- « portat et insinuat, quod Papa privilegia, quæ per non usum « vel usum contrarium amissa fuere, nolit de novo confirmare, « seu confirmando de novo revalidare. » (Reiffenstuel, in tit. 33, libri 5 Decret., n. 108.)

Ut autem dignoscatur, quænam privilegia per *non usum* vel *usum contrarium* amittantur, distinguenda sunt privilegia meræ gratiæ, quæ in aliorum præjudicium non cedunt, et privilegia alicui tertio præjudicium inferentia. Priora per non usum aut usum contrarium nequaquam amittuntur. Posteriora autem amittuntur quidem per non usum aut usum contrarium, sed tunc tantum quando adsunt sequentes conditiones : *primo*, ut fuerit occasio utendi privilegio. *Secundo*, ut negligens uti privilegio suo, quando id poterat, scienter neglexerit, id est sciens se habere tale privilegium. *Tertio*, ut neglexerit libere, id est non impeditus per violentiam. *Quarto*, ut non usus vel usus contrarius intervenerit debito tempore. *Quinto*, ut non usus vel usus contrarius provenerit ab iis, qui privilegio renuntiare potuerunt (vide Reiffenstuel, in tit. 33, libri 5 Decret., n. 100).

II. Clausula *dummodo non sint revocata* vel *sub aliqua revocatione comprehensa*, satis per se intelligitur. Sed notandum est concedi posse valide privilegia post latum decretum illa revocans ; quod solet fieri derogando ejusmodi decreto. Tunc vero si Papa hæcce privilegia confirmet cum clausula *dummodo sub aliqua revocatione non sint comprehensa*, clausula

Digitized by Google

ista confirmationis valori non obstat; quia decretum revocatorium sub quo privilegium confirmatum comprehenditur, anterius fuit privilegio (vide Reiffenstuel, ibid., n. 119).

Quæstio XII^a. — *Quomodo amittatur privilegium per interitum personæ, aut rei privilegiatæ, aut per abusum, damnumve superveniens, lapsum temporis et cessationem causæ.* — Remissive, ad auctores. Videri potest, inter alios Reiffenstuel (in tit. 33, libri 5 Decret., § 8).

Hæc de privilegiis regularium in genere breviter præmittenda duximus. Nunc agendum in specie de præcipuo illo regularium privilegio, quod *exemptionis* nomine designatur.

CAPUT II.

DE EXEMPTIONIBUS REGULARIUM A JURISDICTIONE ORDINARIORUM.

« Exemptio est privilegium, quo persona aut locus ab juris-« dictione Episcoporum seu Ordinariorum liberantur et subtra-« huntur, ac summo Pontifici immediate subjiciuntur. Est « (definitio illa) in re communis : arguitur capite *Si Papa* 10, « *de Privilegiis*, in 6. » (Ferraris, voce *Regulares*, art. 2, n. 1.) « Dicitur *privilegium :* nam quemadmodum extra controver-« siam est monachos, sive quatenus simpliciter tales, sive qua-« tenus in gradu clericali simul constitutos, subjectos primitus « fuisse jurisdictioni Episcoporum, in quorum diœcesibus fun-« data monasteria fuerant; ita pariter indubitatum est, quid-« quid exemptionis ab ordinaria illa Episcoporum auctoritate a « multis jam sæculis religiosi ordines consecuti sunt, id totum « ipsis ex speciali privilegio accessisse (1). »

(1) Hæc Antonius Bianchi (*Potestà della Chiesa*, t. 4, pag. 361, edit. Romæ 1746), cujus verba in latinum transtulimus. Is tamen auctor (pag. 363 et 365) non ad privilegium, sed ad *nativam* ipsiusmet monachismi *libertatem* referendum existimat, quod, a remotissima antiquitate, monachi abbatem suum libere sibi eligere potuerint, et Episcopis haud fas fuerit monachorum quemquam, absque abbatis licentia, in clericum ordinare et diœcesis servitio addicere.

Digitized by Google

A pluribus jam sæculis solemne fuit a catholicis, atque in sedem Apostolicam infensis scriptoribus, in regularium exemptiones acriter insectari. Quotquo recensebis a Guillelmo a Sancto Amore usque ad exortam Jansenianam sectam Pontificiis censuris damnatos ac hæreticali labe infectos auctores, tot fere numerabis exemptionum impugnatores acerrimos. Ast hisce declamationibus oppleti præcipue Jansenistarum libri; quas a doctrina catholica misere errabundus Episcopus Hontheim, sub Febronii nomine, recantare non erubuit. His si credas, ex quo introducta est regularium exemptio, pessumdata res catholica est : alte infixum Episcoporum auctoritati vulnus : omnia in diœcesibus sus deque versa : ipsa etiam religiosorum ordinum collapsa disciplina : quam malorum scaturiginem, Romanorum Pontificum ambitioni adscribunt; qui, nempe, non alia de causa sibi immediate subjectos ubique terrarum regulares voluerint, quam ut per hasce sibi addictas turmas, majorem in singulis regnis et diœcesibus potestatem exererent.

Quid autem Gallicanismi defensores? Accinunt et ipsi perbelle, atque exemptionum abusum lamentantur. De quo exemplum promemus ex libro *Defensionis* Bossuetii, quod opus systematis sui authenticam veluti formulam ipsimet profitentur, et pro palladio habent : « Quidnam ergo illud esse dice-
« mus, quo potestatis Pontificiæ... totus sese fulgor expli-
« cuit? An cum, non jam fere tutandis canonibus, sed
« exemptionibus, dispensationibus, reservationibus, denique
« extraordinariis *arbitrariisque* mandatis et imperiis eminere
« cœpit auctoritas; cum Papa longe positus, tot capitula, tot
« monasteria, de quibus ne cogitare quidem vacat, imme-
« diate regenda suscipit, proprios arcet Episcopos, atque ab
« iis suum quoque clerum avellit; cum episcopalem juridi-
« ctionem in monachos atque in mulieres effundit, aut effusam
« tutatur : cum denique Romana curia Episcopos veluti adver-
« sos habere, in tot exemptis præsidium ac firmamentum po-
« nere voluisse visa est? Hicciné ille est Ecclesiæ Romanæ

Digitized by Google

« fulgor explicitus? An fumus potius? At nos ex illo fumo « dari lucem votis omnibus supplicamus. Id in concilio Tri- « dentino, pro temporum quidem necessitate inchoatum Ec- « clesiæ gratulamur; certoque statuimus, nunquam Ecclesiæ « catholicæ, nunquam sedi Apostolicæ suam dignitatem con- « stituram, nisi defensis canonibus, adscitisque Episcopis, « quos ipse Christus adjutores dederit. » (*Defensio declarationis, corollarium*, n. 11; habetur illud corollarium post ultimum caput libri ultimi tertiæ partis, ante appendicem; tomo 2, pag. 316, edit. Amstelodami 1745.) Verba hæc, si bene intelligamus, nihil aliud sonant, quam a Romanis Pontificibus inductas exemptiones ex superbia, ad explicandum nempe potestatis suæ fulgorem; et de medio tollendas ejusmodi exemptiones, relinquendosque regulares sub Ordinariorum potestate ac regimine. Nec parlamentarii duntaxat, sed et moderati, ut aiunt, gallicanismi querela ea est.

Hæc prænotanda duximus, ut intelligat lector cur non statim ad describendum jus quoad exemptionem regularibus competens accedamus, sed ad tuendam ipsarummet exemptionum æquitatem, antiquitatem, et utilitatem tantisper in antecessum pedem figamus. Utinam aliquando tandem Galliæ clerus ejusmodi in Apostolicam sedem insectationum virus pro comperto habeat, et ea qua par est pietate perhorrescat.

§ I.

Adducuntur documenta quæ antiquissimam demonstrant exemptionum disciplinam.

Solent exemptionum impugnatores eas recentiori ævo inductas contendere: e falsis Isidori decretalibus enatam novitatem hanc declamant; aut si quod forte antiquius hujusce rei vestigium admittant, obscurum illud, rarissimumque, et ita restrictum, ut contrariæ disciplinæ universalitatem haud læserit. Id porro egregium mendacium est, prout abunde testantur sequentia documenta.

Digitized by Google

I. Documentum anni 390. — Dum Jerosolymitanam Ecclesiam regeret Joannes Episcopus, atque in Bethlemitico suo monasterio degeret sanctus Hieronymus, Jerosolymam devotionis causa petiit Salaminæ in Cypro Episcopus sanctus Epiphanius, qui et ipse quondam in hisce Judææ regionibus monasticam vitam egerat. Is videns in monasterio Bethlemitico non adesse sacerdotem qui monachis sacra ministraret (etsi enim presbyteratus ordine insignitus Hieronymus, præ verecundia tamen et humilitate a sacrosancti sacrificii oblatione abstinebat), Paulinum monachum, subdiaconatu jam insignitum, ordinavit in diaconum, et tum postea in presbyterum. Id ægerrime tulit Joannes Jerosolymitanus, illatam jurisdictioni suæ injuriam conquerens. Et revera Nicæni, Antiocheni, Sardicensis et Constantinopolitani concilii canonibus prohibitum fuerat, etiam sub depositionis pœna, ne quis in aliena diœcesi, absque consensu Episcopi loci, quemquam ordinaret. Nihilominus injustas Joannis querelas, et jure factam ordinationem contenderunt sanctus Epiphanius et sanctus Hieronymus; non quidem canonum prohibitionem negando, sed hac sola ratione nixi, quod Bethlemiticum monasterium, etsi in diœcesi Joannis existeret, ipsius tamen jurisdictioni haud subjaceret. En verba sancti Epiphanii in epistola sua ad Joannem, quam ipsemet sanctus Hieronymus in Latinum transtulit: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extorsimus. In monasterio fratrum, et fratrum peregrinorum, qui provinciæ nihil tuæ deberent..., ordinavimus diaconum: et postquam ministravit, rursum presbyterum... Hæc ita acta sunt, ut locutus sum, in charitate Christi, quam te erga parvitatem nostram habere credebam: quanquam* IN MONASTERIO ORDINAVERIM, ET NON IN PARŒCIA (1), QUÆ TIBI SUBJECTA SIT (inter epistolas S. Hieronymi 110, alias 60). Cum tamen eam ob causam desæviret Joannes Episcopus, atque exilio etiam plecti monachos procuraret, vehementer quéritur sanctus Hieronymus id ab eo moliri Anti-

(1) *Parochia* in hujus ævi monumentis idem significat ac *diœcesis*.

Digitized by Google

stite, qui monachus et ipse fuerat : *Monachus, proh dolor! monachis et minatur et impetrat exilium : et hoc monachus, Apostolicam cathedram habere se jactans!* (De tota hac re, vide Bianchi, *Potestà della Chiesa*, tom. 4, p. 366, edit. Romæ, 1746.) Unde, quæso, hæc tam infixa Hieronymi et Epiphanii persuasio, potuisse a quocunque Episcopo monachum in monasterio ordinari, nec diœcesano Episcopo subjectum monasterium fuisse? Non aliam ego causam assignari posse existimo, quam quod jamdudum passim invaluisset ut monasteria hacce exemptionis conditione pacifice fruerentur. Quod si verum sit, ab ipso tempore, quo monastica vita publice existere cœpit, repetenda exemptionum disciplina erit.

II. Documentum anni 455. — Exorta erat controversia inter Faustum Lirinensis monasterii abbatem, et Theodorum Forojuliensem Episcopum. Ad eam sedandam coactum fuit concilium Arelatense III. « Exigebat Theodorus a Fausto ab« bate monasterioque ejus nonnulla, quæ Leontius ejus de« cessor sibi non vindicarat. Ea cum Faustus negaret, inde « ortum inter illos dissidium et contentio. » (Nota Sirmondi, in collectione conciliorum Mansi, tomo 7, col. 909.) Pronuntiavit synodus Arelatensis in hunc modum : « Placuit ergo « Nobis... ut... sanctus ac beatissimus frater Theodorus Epi« scopus... sanctum presbyterum Faustum, abbatem mona« sterii supradicti... in pristina pace toto caritatis affectu « reciperet, et ad insulam ac congregationem ipsi Deo di« spensante commissam, cum sua gratia et caritate remitte« ret... Hoc tamen sibi tantummodo vindicaturus, quod « decessor suus sanctæ memoriæ Leontius Episcopus vindi« caverat : id est, ut clerici atque altaris ministri a nullo « nisi ab ipso, vel cui ipse injunxerit, ordinentur : chrisma « nisi ab ipso speretur : neophyti si fuerint, ab eodem confir« mentur : peregrini clerici absque ipsius præcepto in com« munionem vel ad ministerium non admittantur. *Monasterii « vero omnis laica multitudo ad curam abbatis pertineat : neque « ex ea sibi Episcopus quidquam vindicet, aut aliquem ex illa*

Digitized by Google

« *clericum, nisi abbate petente, præsumat. Hoc enim et rationis* « *et religionis plenum est, ut clerici ad ordinationem Episcopi* « *debita subjectione respiciant : laica vero omnis monasterii* « *congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii, quem sibi* « *ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat; re-* « *gula, quæ a fundatore ipsius monasterii dudum constituta est,* « *in omnibus custodita.* » (Vide acta hujus concilii, apud Mansi, tomo 7, col. 908.) Cum ad Episcopum pertineret duntaxat sacramenti ordinis et confirmationis administratio, chrismatis confectio, clericorumque advenarum ad communionem et ad sacri ministerii exercitium admissio ; cætera vero omnia ad *solam ac liberam abbatis ordinationem dispositionemque pertinerent;* planum est amplissimam fuisse monasterii Lirinensis ab Ordinariorum jurisdictione exemptionem. Cumque id ab Arelatensi concilio, non tanquam novum statuatur, sed tanquam ab ipsis monasterii exordiis servatum supponatur, a multo remotiore antiquitate profecta exemptionum disciplina censenda est.

Documentum anni 517. — Bonifacius, Carthaginensis Episcopus, cujusdam africani monasterii sanctimonialibus rescripsit in hunc modum : « Dilectissimis, atque in Christi « gratia nominandis filiabus meis universis Dei ancillis, Bava- « galianensis Bonifacius, primæ sedis Episcopus, in Domino « salutem. — Vestræ sanctimoniæ libellum recipiens, dum « intente percurrerem, attentius auscultavi quid in se conti- « neret. Quapropter reciprocum præmittens salutationis « obsequium, insinuo, semper servorum Dei vel ancillarum « monasteria liberum habere arbitrium a conditione omnium « clericorum (1). Quorum priscorum Patrum sequentes ritum, « etiam vestrum monasterium hoc habere, et in vobis ma- « nere usque in ævum. Unde per hanc vos auctoritatem duxi- « mus commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis

(1) *Liberum habere arbitrium a conditione clericorum*, idem in Africa fuisse, ac Ordinariorum jurisdictioni non subjici, patebit ex documento sequenti.

Digitized by Google

« spiritualem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem « habentes. Si quis autem contra hoc salubre venire voluerit « præceptum, rigorem illico sentiat ecclesiasticum. Ergo, ut « superius conneximus, hanc vobis attribuimus licentiam, ut « quem velitis vobis corrogetis presbyterum, qui vobis in « monasterio peragat sacrosancta, et illa quæ ad normam per- « tinent unitatis celebranda usque in perpetuum. Et si quis « presbyterorum ibidem in monasterio divina celebraverit « mysteria, ipsius Primatis altario Domini nomen recensea- « tur, ut jurgiorum semina in omnibus careant. — Deus vos « in timore suo conservet, quod oramus. Data sub die kal. « maii XXI gloriosissimi regis Trasamundi. » (Apud Mansi, tom. 8, col. 654.) Citato loco notatum reperies in margine annum 517. Notet lector, per illud africanæ ecclesiæ Primatis diploma, hisce monialibus adeo amplam concedi in perpetuum exemptionem, ut presbyteros quos maluerint pro peragendis in monasterio suo sacris functionibus sibi possent assumere; et paris conditionis fuisse cætera virorum ac mulierum monasteria, idem documentum supponit.

IV. Documentum anni 525. — Provinciæ Bysacenæ, in Africa, primariam sedem occupabat Liberatus Episcopus. Exstabat autem in eadem provincia monasterium quoddam, cui Petrus abbas præerat. Liberatum inter et Petrum gravissima exorta est controversia, de qua pronuntiavit synodus Carthaginensis anni 525, cujus acta reperies apud Mansi, tomo 8, col. 635 et sequentibus. Multi autem interest celebris hujus dissidii causam et circumstantias apprime dignoscere; quia ex iis omnino evincitur Africæ monasteria omnia ab Ordinariorum jurisdictione plene exempta fuisse; neque sexto aut quinto duntaxat sæculo ita dispositum, sed *semper* antea id juris obtinuisse.

Jam ante coactam dictam Carthaginensem synodum, suam contra Liberatum defensionem ad Bonifacium Africæ Primatem direxerant Petrus abbas ipsiusque monachi, in hunc modum : « Perlatum est ad nos quod S. Liberatus, Episcopus

Digitized by Google

« primæ sedis provinciæ Byzacenæ, Beatitudini Vestræ de « nomine nostro querelam movisse videatur... Diceretque « quod conditione Byzacenæ provinciæ teneamur obstricti ; « cum constet nos de diversis locis africanis, vel de transma- « rinis, ad hunc nostrum locum congregatos fuisse, et nun- « quam alicui obnoxios fuisse... Monasterium enim, in quo, « Domino protegente, esse videmur, sumptu parentum no- « strorum, vel aliorum religiosorum fundatum esse firmamus. « Supplicamus ut... a jugo nos clericorum, quod neque nobis « neque patribus nostris quisquam superponere aliquando « tentavit, eruere digneris. Nam docemus, monasterium de « Præcisu, quod in medio plebium Leptiminensis Ecclesiæ « ponitur, prætermisso eodem Episcopo vicino, Vico-ate- « riensis Ecclesiæ Episcopi consolationem habere, qui in lon- « ginquo positus est ; et Baccense monasterium, quod Maxi- « mianensi Ecclesiæ vicinum est, ad consolationem Primatis « Byzacenæ provinciæ se conferre. Nam et de Adrumetino « monasterio nullo modo silere possumus, qui, prætermisso « ejusdem civitatis Episcopo, de transmarinis partibus sibi « semper presbyteros ordinaverunt, id est, Valentium, Epi- « phanium, Victorianum et Paulum. Et cum sibi diversa « monasteria, ut ostenderent libertatem suam, unicuique « prout visum est a diversis Episcopis consolationem quæ- « sierint ; quomodo nobis denegari poterit, qui de hac sede « sancta Carthaginensis ecclesiæ, quæ prima totius africanæ « ecclesiæ habere videtur, auxilium quæsivimus? Ob hoc « obsecramus... ut possimus auxilio hujus sanctæ ecclesiæ « muniti in congregatione in qua sumus cum quiete manere. « Exstant enim venerabilium sanctorum Patrum dicta, liber- « tatem monasteriorum defendentium ; quæ si Vestra jusserit « recensere Beatitudo, præ manibus habentur. Ex quorum « lectione cognoscant hi, qui de nomine nostro apud Beati- « tudinem Vestram talem videntur facere invidiam, quæ con- « gregationibus monachorum fuerint a Domino concessa. » (Apud Mansi, tomo 8, col. 653.)

Digitized by Google

Iterum ad Primatem Carthaginensem Petrus abbas cum suis monachis scripserat in hunc modum :

« In absentia Sacerdotis Carthaginensis (1) ecclesiæ, de « proximo Bonifacium Gratianensem sanctum Episcopum pri- « mæ sedis provinciæ Byzacenæ petiimus, ut quandiu (2) « huic sanctæ ecclesiæ Carthaginensi Rectorem Dominus con- « cessisset, nobis qui divina ministeria celebrarent, ordinaret. « Quod et factum est : ita tamen, ut defuncto Primate, non « successor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, « sicut est moris in subditis. Sed neque plebi nos vicinæ ali- « quando subjecimus, aut Episcopis vicinis, aut interventori « ecclesiæ quæ proxima est nobis : expectantes, ut diximus, « sanctæ hujus ecclesiæ Carthaginensis libertatem. »

Coacto postmodum Carthaginensi concilio, Petrus abbas cum suis monachis ad causam suam defendendam eo se contulit, et Patribus libellum porrexit, in quo hæc præcipue attendenda : « Ex quo huic venerabili sedi (3) libertatem « monasterii nostri commisimus vindicandam, nova subito, « sanctissimi Sacerdotes, adversum nos exsurrexit tempestas « invidiæ. Sanctus quippe Liberatus, Episcopus primæ sedis « provinciæ Byzacenæ, congregationibus Sacerdotum (4) « sæpe collectis, in perniciem nostram multa et multipli- « citer machinatur : dum in nobis quasi quamdam materiam « suæ assumptionis inveniens..., monasterium nostrum gravi « excommunicatione percutere voluisset. Absit enim ut per- « cussisse dicamus ; scientes nos sub vestro velamine consti- « tutos nullis posse jaculis quorumlibet consiliorum pene- « trabiles deseri. Succurrite igitur tandem aliquando, et a « nostris cervicibus jugum quod neque nobis neque patribus « nostris quisquam superponere aliquando tentavit, excutite.

(1) Id est, dum vacaret Carthaginensis sedes.

(2) *Quandiu* ibi idem significat ac *donec*.

(3) Intellige *Carthaginensi*.

(4) *Sacerdotum* nomine tunc temporis Episcopi designari solebant, prout eruditis compertum est.

Digitized by Google

« Nihil contra fidem, neque contra bonos admisimus mores. « Quia si discutiatur ratio, *licet liberis quocunque voluerint* « *pertinere* (1) : si consideratur auctoritas, nulla adversum « nos antiquorum Patrum definitio profertur : si quærantur « exempla, multos ante fecisse irreprehensibiliter docemus « quidquid modo fecisse culpamur. Cæterum quod a pro- « prio subdiacono monasterium (sicut audivimus) dicunt esse « fundatum, quid præjudicat olim mortui persona viventibus ? « Quando etiamsi conditionem clericatus alicui debuit, con- « ditio cum persona defecit... Neque ideo nos eum quia « subdiaconus, sed propterea quia monachus fuit, abbatem « habuimus. Unde etsi forsitan alicui Episcopo aliquando sub- « diaconus, nobis tamen monachus fuit; nec nos hæredes « honoris ecclesiastici, quem eum habuisse nescimus, sed « sanctissimæ professionis exstitimus. » Queruntur postea quod in ipsos tanquam in excommunicatos Liberatus animadverteret : « Cur ecclesiæ simplex prohibetur accessus ? Cur « etiam in ecclesiis positi imprudenter jubemur foras a sa- « cerdotibus pelli ? Timent salutare qui diligunt, etc. » (Apud Mansi, tom. 8, col. 649.)

Causa cecidit Liberatus Episcopus : læsa ab ipso fuisse Carthaginensis sedis jura, atque injuste exagitatos dicti monasterii monachos pronuntiatum est. Sic in actis legitur : « Bonifacius Episcopus dixit :... cognovit sinceritas vestra, « Fratrem Consacerdotemque nostrum Liberatum de levissimis « rebus grave jurgium suscitare ; captaque unius injustissime « querelæ occasione, privilegia hujus sanctæ ecclesiæ moliri « subtrahere..., quotidianis minis Christi famulos inquietans... « Januarius Episcopus... dixit : dolemus satis, audientes quia « reverentiam sanctæ huic sedi debitam Frater Consacer- « dosque noster Liberatus audet in aliquo denegare. Miramur « quæ sic tanta pernicies repente surrexerit, quæ com- « pelleret monasteriorum turbari silentia... Episcopi dixe- « runt : fiat omnibus notum quidquid in hac causa dignoscitur

(1) Hujus phrasis sensus ex modo dicendis patebit.

Digitized by Google

« gestum... Bonifacius dixit : proferantur ex archivo hujus « ecclesiæ scripta quæ direximus, et rescripta quæ sumpsi- « mus, vel quæcunque ad præsentis negotii pertinent firmita- « tem. » Lectis documentis et perpensis rationibus, Patres decreverunt in hunc modum :

Erunt igitur omnia omnino monasteria, sicut semper fuerunt, a conditione clericorum modis omnibus libera; sibi tantum et Deo placentia.

Quid ex hujus synodi actis concludendum veniat circa exemptionem monasteriorum Africæ, melius intelligetur post adductum documentum sequens.

V. Documentum anni 534. — In concilio Carthaginensi anni 534, sub Reparato Episcopo sic decretum fuit : « Felicia- « nus Episcopus ecclesiæ Ruspensis dixit : apud Ruspen mo- « nasterium est a domino Fulgentio præcessore meo constitu- « tum. Peto sanctitatem vestram, ut aliquid de monaste- « riis ordinetur : scire enim volo quid debeam custodire. « Felix Episcopus ecclesiæ Zactarensis, provinciæ Numi- « diæ, dixit : de monasterio abbatis Petri, ubi nunc Fortuna- « tus abbas constitutus est, quæ temporibus sanctæ memo- « riæ Bonifacii in universali concilio, nobis etiam præsenti- « bus, acta sunt, inconvulsa permaneant. Cætera vero monas- « teria etiam ipsa libertate plenissima perfruantur; servatis « limitibus conciliorum suorum in hæc duntaxat, ut quan- « docunque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria mo- « nasteriis dedicare, Episcopus in cujus plebe vel civitate lo- « cus monasterii consistit, ipse hujus muneris gratiam com- « pleat, salva libertate monachorum; nihil sibi in eis præter « hanc ordinationem vindicans, neque ecclesiasticis eos con- « ditionibus ant angariis subdens. Oportet enim in nullo mo- « nasterio quemlibet Episcopum cathedram collocare; aut « qui forte habuerint, habere : nec aliquam ordinationem, « quamvis levissimam facere, nisi clericorum, si voluerint « habere. Esse enim debent monachi in abbatum suorum po- « testate. Et quando ipsi abbates de corpore exierint, qui in

Digitized by Google

« loco eorum ordinandi sunt, judicio congregationis eligan-
« tur : nec officium sibi hujus electionis vindicet aut præsu-
« mat Episcopus. Si qua vero contentio, quod non optamus,
« exorta fuerit, ut ista abbatum aliorum concilio sive judicio
« finiatur : aut si scandalum perseveraverit, ad Primates unius-
« cujusque provinciæ universæ causæ monasteriorum judi-
« candæ perducantur. Inter sacrificia vero ordinatos suos tan-
« tummodo idem Episcopus plebium, ubi monasteria sunt, re-
« citet : hoc enim convenit paci. Confirmetur etiam ab hoc
« sancto concilio, ut sine bono testimonio abbatis vel conces-
« sione, nullus monachum in aliqua ecclesia teneat ad clerica-
« tum vel promoveat ad honorem. » (Collectio conciliorum Mansi, tomo 8, pag. 841.)

Ex tribus ultimis documentis jus quoad exemptiones antiquitus in Africa vigens sic determinari posse videtur :

1° Certum est Africæ monachos jure quodam exemptionis, sub *libertatis* nomine designari solito, fuisse potitos. De hac monasteriorum *libertate* quam frequens recurrat mentio in modo citatis documentis, et quam aperte jus quoddam exemptionis exprimat, facile potuit lector animadvertere.

2° Hocce jus *libertatis* seu exemptionis in eo consistebat, ut clerici nullam omnino potestatem haberent in monasteria, sive virorum, sive etiam monialium. Atque id esse, quod in citatis documentis vocatur *libertas a conditione clericorum*, et *libertas a jugo clericorum*, adeo ex ipso tenore manifestum est, ut probandum non existimemus. Illa vero monachorum *libertas* seu exemptio ipsius etiam Episcopi loci jurisdictionem excludebat : nempe,

3° Carthaginense concilium anni 534, postquam sancivit ut monasteria *plènissima libertate perfruantur*, potestatem Ordinarii seu Episcopi loci reducit ad hæc duo : si monachi *voluerint sibi clericos ordinare vel oratoria monasteriis dedicare*, id muneris explere ad Ordinarium pertinebit. At præter hoc, nihil omnino, et ne *levissimam* quidem *ordinationem* potest circa monachos sibi vindicare. Quia nempe, ut ait synodus,

Digitized by Google

esse debent monachi in abbatum suorum potestate. Et ad particularia descendendo disponit synodus, ne possit Episcopus, in cujus diœcesi extat monasterium, neque in abbatis electione sese immiscere, neque cathedram suam in monasterio erigere, neque de monachorum dissensionibus aut scandalis judicare, neque aliquem monachum, absque consensu abbatis, sibi in clericum assumere aut ad sacros ordines evehere. Monachi porro, sic a diœcesis Episcopo independentes, amplissima, ut patet, exemptione potiuntur.

4° Jus habebant monachi et moniales Africæ quemcunque vellent, etiam transmarinum Episcopum adire, ad habendos, qui in suis monasteriis sacra ministrarent, presbyteros. Et idipsum quod vocabatur *ab aliquo Episcopo consolationem habere*, nihil aliud erat quam ab ipso obtinere, ut aliquem e clero suo ad sacra munia monasterio concederet. Ut autem melius *libertatem* suam tuerentur monachi, solebant, non ab Ordinario loci, sed potius ab aliquo longe posito Episcopo *consolationem habere*. Ex quo facile intelligitur dictum istud Petri abbatis in supra transcripta ipsius defensione, *licet liberis quocunque voluerint pertinere;* licitum nempe est monachis, utpote *liberis*, id est, exemptis, a quocunque voluerint Episcopo dependere pro *habenda consolatione*, id est, pro habendis presbyteris qui sacra in monasteriis ministrent. Quod ut firmaret dictus abbas, multa adducebat exempla monasteriorum, quæ, prætermisso diœcesis Episcopo, ab aliis procul distantibus potius dependere volebant, quoad habendos ejusmodi presbyteros; ne scilicet diœcesanus Episcopus, sub prætextu quod sibi subderetur presbyter in monasterio deserviens, quidquam in monachos sibi vindicare tentaret.

5° Hocce jus *libertatis* seu exemptionis cum ipsomet monachismo in Africa incœperat. Id saltem persuasum omnino fuit concilio Carthaginensi anni 525 : siquidem ita expresse sancivit : *Erunt igitur omnia omnino monasteria*, SICUT SEMPER FUERUNT, *a conditione clericorum modis omnibus libera.*

6° Imo ex ipsa Christi, statum religiosum instituentis, divina

Digitized by Google

dispositione, fuisse hanc libertatem monachis debitam, existimasse videtur dictus Petrus abbas, dum, præsto sibi esse asserens Patrum dicta quibus exemptionem probet, ita subjungit: *Ex quorum lectione cognoscant* (nempe ipsius adversarii) *quæ congregationibus monachorum fuerint a Domino concessa.*

7° Cæterum non ego solus, sed eruditissimi et maximæ in re critica auctoritatis viri æstimarunt, merito prorsus e citatis monumentis argui antiquorum Africæ monasteriorum exemptionem. « Ex iis actis edocemnr, inquit Bianchi, Africæ « monasteria omnia libera fuisse ab ordinaria jurisdictione « Episcoporum, in quorum diœcesi fundata fuerant; libe- « rumque fuisse monasteriis et eorum abbatibus, ut, præter- « misso diœcesis Episcopo, protectionem, sive (ut ipsi dice- « bant) *consolationem* sibi quærerent ab alio Episcopo, etiam « longe posito, qui nempe monachos ordinaret. » (*Potestà della Chiesa*, tom. 4, pag. 370, edit. Romæ 1746.) Nec minus certum id visum est præclarissimo Zaccariæ (*Antifebronio*, parte 2, l. 5, cap. 1).

8° Præfata conciliorum africanorum statuta solebant in Galliis allegari, quando alicui monasterio *libertas*, id est, exemptio concedebatur. De quo abs re non erit nonnulla exempla breviter subnectere.

Anno 647, monasterium Fossatense ab Ordinarii jurisdictione exemptum fuisse, auctoritate Audoberti, Parisiensis Episcopi, narratum occurit in vita S. Baboleni (apud Duchesnes, tom. 1, *Script. Franc.*) in hunc modum : « Contulit « idem Præsul Audobertus sancto Baboleno privilegium suæ « auctoritatis, ut tam ipse quam successores, liberi et securi « ab inquietudine tam ecclesiasticorum quam laicorum ibi- « dem manere possent. Si quis vero contra Patrum statuta « eum fecisse causatur, legat canones a sancto Bonifacio « Carthaginensi Episcopo et aliis Episcopis factos...., et inve- « niet quod monasteria, in quibus regulariter vivitur, libera « esse debeant ab omni infestatione Episcoporum et cleri- « corum. »

Digitized by Google

Pariter, *privilegium libertatis monasterii sancti Dionysii concessum a Landerico Episcopo Parisiensi*, anno 658, africanam disciplinam memorat his verbis : *Quanquam sancta Carthaginensis synodus facta a beatæ memoriæ Domino Bonifacio, ejusque successoribus, non prohibeat monachos sub privilegio proprio vivere*, (vide apud Bianchi, *Potestà della Chiesa*, tom. 4, pag. 373, edit. Romæ, 1746). Iisdem fere terminis *privilegium libertatis monasterio Corbeiensi concessum a Bertefrido Episcopo Ambianensi*, anno 664, mentionem facit de Carthaginensi concilio : *Licet sancta Carthaginensis synodus a bonæ memoriæ Bonifacio ejusque Coepiscopis facta, vel ipsius Sacerdotis epistola ad Liberium* (Liberatum) *porrecta non prohibeant monachos sub privilegio proprio residere* (vide Bianchi, loco citato).

VI. Documentum anni 598. — Exemptum nempe fuit hoc anno monasterium *SS. Joannis et Stephani de Classe*, a jurisdictione Mariani, Ravennatensis Episcopi, auctoritate sancti Gregorii Magni, prout constat ex libro 7 epistolarum dicti Pontificis, epistola 18. Cum autem idem sanctus Gregorius, dispositionem hanc ad omnia monasteria extenderit, in concilio Romano anni 601, statim ad illud percelebre decretum gressum facimus.

VII. Documentum anni 601. — « Concilium Romanum III, « sive Lateranense, tempore Gregorii Papæ I, in quo, anno « Domini 601, pro monachis sequens constitutum edidit. — « Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Epi- « scopis. — Quam sit necessarium monasteriorum quieti « conspicere, et de eorum perpetua securitate tractare, « ante actum nos officium, quod in regimine cœnobii exhi- « buimus, informat. Et quia in plurimis monasteriis multa a « Præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertu- « lisse cognoscimus, oportet ut Vestræ Fraternitatis provisio « de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione... « Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, « et ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis; cujus « vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus ut

Digitized by Google

« nullus Episcoporum aut sæcularium ultra præsumat de red-
« ditibus, rebus vel chartis monasteriorum.. minuere, vel
« dolos vel immissiones facere... Defuncto autem abbate cu-
« jusque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de ea-
« dem congregatione, quem si propria voluntate concors fra-
« trum societas elegerit : et qui electus fuerit, sine dolo vel
« venalitate aliqua ordinetur... Pariter autem custodiendum
« est, ut invito abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad
« ordines sacros, vel clericatus officium, tolli exinde monachi
« non debeant. Descriptiones quoque rerum et chartarum
« monasterii ab Episcopo ecclesiasticas fieri omnino vetamus.
« Obeunte quoque abbate, Episcopus in describendis provi-
« dendisque rebus monasterii acquisitis, vel datis perqui-
« rendis, nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas
« ab eo in cœnobio fieri omnino prohibemus... Neque audeat
« ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem habere
« imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam
« faciendi, nisi ab abbate loci fuerit rogatus; quatenus mo-
« nachi semper maneant in abbatum suorum potestate : nul-
« lumque monachum, sine testimonio vel concessione abba-
« tis, in aliqua ecclesia teneat, vel ad aliquem promoveat
« honorem. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni
« futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus
« illibatamquè servari...

« Universi Episcopi respondere : Libertati monachorum
« congaudemus, et quæ nunc de his statuit Beatitudo Vestra
« firmamus. » (Apud Mansi, tomo 10, col. 486.)

VIII. Documentum anni 628. — Sic Zaccaria, in suo *Antifebronio*, parte 2, libro 5, capite 1, n. 6 : « Anno 628, *Bo-*
« *biense* monasterium molestiis exagitabat *Tortonensis* Episco-
« pus. Qua de causa, cum ad Romanum Pontificem Honorium I
« recurrisset sanctus Bertulfus abbas, privilegia obtinuit
« (prout in ipsa Bertulfi vita refert *Joannes* monachus), vi
« quorum nulli jam Episcopo liceret in dictum monasterium
« quidquam potestatis sibi adscribere : *Privilegia sedis Apo-*

Digitized by Google

« *stolicæ largitus est, quatenus nullus Episcoporum in præfato* « *cœnobio quolibet jure dominari conaretur.* »

IX. Documentum anni 641. — « Duo alia ejusmodi privi- « legia (inquit Zaccaria, citato loco), postulante Clodoveo II « Francorum rege, expedivit Joannes Papa IV : alterum sci- « licet monialibus *sanctæ Colombæ* : alterum vero monasterio « *sancti Colombani*, seu *Luxoviensi*, in Burgundiæ comitatu. « Utrumque monasterium præfatus Pontifex (prout videre « est in diplomatibus a Mabillonio relatis, *Annal. Bened.*, t. 1, « append. 2, n. 17 et 18) sub immediata sedis Apostolicæ juris- « dictione ita reponit, ut in casu etiam quo abbas vel abbatissa « delicti alicujus rei forent, non possent ab Episcopo diœcesano « corrigi, sed deberet totum hac de re judicium ad Romanum « Pontificem remitti : *Si autem et ipse fuerit deprehensus in* « *aliquam vel sinistram partem inclinatus, a sede Apostolica,* « *sub cujus ditione est, constituimus corrigendum : nec enim* « *cuiquam Episcopo damus licentiam, sub obtentu reprehen-* « *sionis, aliquam in monasterio suo extendere dictionem ; sed* « *ejus capiti, id est, Apostolicæ sedi, pertinere cognoscas.* »

X. Documentum anni 674. — « Aliud nobis Gallia sup- « petit exemplum (anno 674) subtracti pariter ab Ordina- « riorum jurisdictione monasterii... Consilium iniit Crotpertus « Turonensis Episcopus, accedente et aliorum Galliæ Episco- « porum assensu, abbatiam sancti Martini a sedis suæ juris- « dictione liberam facere... Crotperti diploma, a cæteris sub- « scriptum Episcopis, Romam detulit abbas Egiricus, ut ei « Adeodatus Papa auctoritate sua vim conferret... Precibus « annuit Adeodatus, ita tamen ut ad Episcopum Turonensem « pertineret sacerdotum et diaconorum ordinatio, necnon chris- « matis consecratio. En ergo ab Episcopis gallicanis agnita « Romani Pontificis auctoritas ab episcopali jurisdictione mo- « nasteria eximendi. Alias enim cur ad Adeodatum recurrissent « pro confirmando Crotperti privilegio ? » (Zaccaria, *Antifebronio*, p. 2, lib. 5, c. 1, n. 6.)

XI. Documenta exemptiones in orientali ecclesia ante

Digitized by Google

ANNUM 700 TESTANTIA. — Brevitatis causa citabimus Thomassinum, qui fateri coactus est, jam a septimo sæculo frequentissimum fuisse in ecclesiis orientalibus, ut monasteria essent ab Ordinariorum jurisdictione prorsus libera et Patriarchæ immediate subjecta : « Inficias ire non possum, ait, quin sæculo « jam septimo essent in patriarchatu Constantinopolitano « bene multa cœnobia, ab Episcoporum diœcesanorum spi- « ritali jurisdictione prorsus absoluta, et uni immediate « subjecta Patriarchæ Constantinopolitano, et exarcho pa- « triarchali (1), quem ille ad omnium omnino monasteriorum « administrationem delegabat. » (*Vetus et nova disciplina*, parte 1, lib. 3, cap. 31, n. 15.) Id Thomassinus variis documentis probat.

XII. DOCUMENTUM ANNI 751. — In decreto, quo Papa Zacharia Fuldense monasterium sedi Apostolicæ immediate subjecit, sic statuitur : *Et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio dictionem ullam habere aut auctoritatem præter sedem Apostolicam, prohibemus* (apud Baronium, anno 751, n. 16; et apud Mabillon., *Annales Benedict.*, tomo 2, l. 22, n. 60). Confirmatum est hocce privilegium a rege Pipino, assentientibus Episcopis et magnatibus in hunc modum : *Ideo hanc nostram præceptionis seriem conscribi jussimus, per quam privilegium sedis Apostolicæ a beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum cunctorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus : præcipientes ut nullus sacerdotum in præfato monasterio jurisdictionem aliquam vindicet, præter sedem Apostolicam* (apud Duchesne, *Hist. Franc.*, t. 1, p. 662).

(1) Hoc *exarchi patriarchalis* nomine vocabatur generalis vicarius a Patriarcha deputatus, ad exercendam jurisdictionem in omnia illa monasteria patriarchatus, quæ Patriarchæ immediate subjiciebantur.

Digitized by Google

§ II.

Exemptio monasteriorum cum ipsis monasteriis enata videtur; et prioribus Ecclesiæ sæculis generalior exemptionis disciplina, quam non exemptionis.

Adducta superiori paragrapho documenta omnino evincunt, non media ætate, non octavo aut nono sæculo, non ex falsis Isidori decretalibus, non ex Romanorum Pontificum ambitione, inductas monasteriorum exemptiones; sed a remotissima antiquitate amplam ejusmodi monachorum libertatem latissime viguisse. Id omnino certum atque tenendum existimo.

Quod autem hic additur, cum ipsismet monasteriis incœpisse exemptionum disciplinam, ita ut monachi primum facti sint, non e subjectis exempti, sed e contra e liberis subjecti, privata mea opinatio est, quam sicut modeste eruditorum crisi subjicio, ita libenter rejici perferam, si minus fundata videatur. Quæ me moverint rationes, subnecto:

I. *Primitus subjecta Ordinariis monasteria fuisse, non evincunt monumenta, ad id probandum adduci solita.* — Præcipuum, ne dicam unicum, ejusmodi monumentum, valde tamen in hac quæstione attendendum, est dispositio œcumenici Chalcedonensis concilii, anno 451 celebrati, quæ subsecutis temporibus frequenter recurrit in conciliis provincialibus Occidentis allegata. Habetur in actis dictæ generalis synodi, actione 6 (apud Mansi, tomo 7, col. 175); estque tenoris sequentis: *Placuit, a nullo monasterium ædificari præter voluntatem Episcopi civitatis; neque in possessionibus, præter voluntatem domini possessionis. Eos vero, qui per singulas civitates atque provincias vitam solitariam agunt, subjici Episcopo, et quietem amplecti, et intendere solum jejunio et orationi; et neque ecclesiasticis, neque publicis rebus sese implicare; nisi forte jubeatur eis, propter necessariam causam, ab Episcopo civitatis. Sed*

Digitized by Google

neque potestatem habere monachos suscipiendi in monasteriis suis servos, aut inscriptitios, præter voluntatem dominorum(1).

Quando moderni auctores, ut probent monasteria primitus Ordinariorum jurisdictioni subjecta fuisse, ad *priorum sæculorum canones* provocant, intelligendi sunt de illo solo canone Chalcedonensi sæculi quinti. Non enim ullos alios, aut anteriores, aut proxime secutos allegant. Jam vero canon ille haud evincit quod volunt, sed potius contrarium. Etenim,

1° Dato, non concesso, per illam phrasim, *eos vero qui per singulas civitates atque provincias vitam solitariam agunt* (μονάζοντες) *subjici Episcopo*, intelligendam esse etiam de monachis in monasterio sub abbatis regimine viventibus, et non tantum de iis solitariis initio hujus tractatus descriptis, qui singulatim et absque superiore, in civitatibus et extra civitates asceticam vitam profitebantur; dici potest, tunc primum subjecta Ordinariis fuisse monasteria, cum antea non subjicerentur. Quam hypothesim multa probabilem faciunt. *Primo*, summis molestiis Chalcedonenses Patres affecerat Eutychetis archimandritæ et ipsius monachorum pertinacia. Imo nonnisi difficillime compelli potuerat hæresiarcha ille, ut e monasterio suo ad concilium citatus se conferret; negabat quippe sub litis initium, posse se, etiam œcumenici concilii auctoritate, e claustro suo abduci. Mirum non foret, ob talem abusum atque impudentiam, adductos fuisse Chalcedonenses Patres, ad auferendum monasteriis, qua antea semper potiti erant, libertatem seu exemptionem. *Secundo*, non invocatur in hoc canone, Patrum aut anteriorum canonum auctoritas, prout fieri solet quando, non nova disciplina instituitur, sed antiqua

(1) Ἔδοξε μηδένα μὲν οἰκοδομεῖν μοναστήριον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως Ἐπισκόπου, μήτε δὲ ἐν κτήμασι παρὰ γνώμην τοῦ δεσπότου τοῦ κτήματος, τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ Ἐπισκόπῳ, καί τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, καὶ πρόσεχειν μόνῃ τῇ νηστείᾳ, καὶ τῇ προσευχῇ, μήτε δὲ ἐν κλησιαστικοῖς ἢ δημοσίοις παρενοχλεῖν πράγμασι, εἰ μή ποτε ἄρα ἐπιτραπεῖαν διὰ χρείαν ἀναγκαίαν ἀπὸ τοῦ τῆς πόλεως Ἐπισκόπου.

Digitized by Google

et vigens urgetur. Atque id innuere videtur mutatam revera tunc fuisse hac in re disciplinam. *Tertio*, constat aliunde, generalem antea fuisse monasteriorum libertatem, prout mox, ex supra citatis documentis deducemus. Unde canon ille Chalcedonensis ad summum probaret, *ex tunc* de jure subjecta Ordinariis fuisse monasteria : quod autem *antea et ab initio* subjecta fuerint, non probat.

2° Dici potest in dicto canone agi de duplici monachorum specie : nempe primo de iis qui in monasteriis manebant, tum et de iis qui singulatim et solitarie *per unamquamque civitatem et regionem* sparsi degebant. De monasteriis primum statuitur ne possint exstrui absque Ordinarii licentia : postea, quasi per oppositionem ad cœnobitas, transit canon ad ascetas solitarie viventes, et de his solummodo statui videtur, ut Episcopis subjaceant : Τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ Ἐπισκόπῳ. Multos exstitisse ejusmodi solitarios, sejunctim absque superiore viventes, tum in civitatibus, tum prope civitates et pagos, et de hoc numero fuisse sanctum Antonium, antequam in eremum secederet, jam diximus supra (parte 1, sect. 4, cap. 2). Quod si admittenda videatur hæc canonis interpretatio, jam ex illo colligi non potest monasteria Ordinariorum jurisdictioni subjecta fuisse, etiam per Chalcedonenses Patres ; siquidem decreta ab ipsis subjectio intelligenda foret duntaxat de ascetis sejunctim degentibus.

II. *Chalcedonensis canon ne probat quidem a quinto sæculo viguisse disciplinam, ut monasteria Ordinariis subjicerentur.* — Diximus per illum canonem haud probari monasteriorum subjectionem *ante Chalcedonensem synodum.* Sed neque per illum canonem subjectio hæc inducta est. Non enim inducta est *de jure*, quia Chalcedonenses canones disciplinares a Romana Ecclesia non fuerunt confirmati, ac proin deficiunt a ratione legis universalis : neque inducta est *de facto*, quia neque in Africa, neque in Gallia, neque etiam in Oriente disciplina hæc recepta fuit. De quo sic Bianchi : « Ad Chalcedo-

Digitized by Google

« nenses canones quod attinet, non fuerunt ii recepti ab « Ecclesia Romana, quæ confirmavit duntaxat id quod in « hac synodo circa dogma definitum fuerat. Insuper, quamvis « Episcopi Occidentis multoties illos canones contra mona- « chos in medium adduxerint, certum est africanam eccle- « siam nihil de iis curasse ; siquidem exemptos a propriis « Ordinariis monachos voluit, et Primati immediate subjectos. « Ipsi quoque Episcopi Galliæ in multis exempta fore mona- « steria, etiam conciliariter disposuere. Sed neque ab orientali « ecclesia canones illi Chalcedonenses in praxim adducti « sunt. » (Bianchi, *Potestà della Chiesa*, tom. 4, pag. 378, edit. Romæ, 1746.)

III. *Antiquitatis monumenta evincere videntur, monasteria ab initio et postea generaliter per plura sæcula, fuisse a jurisdictione Ordinariorum libera.* — Nam 1° jam anno 390 videmus sanctum Epiphanium Salaminæ Episcopum, haud vetitum sibi reputasse monachum cœnobii Bethlemitici in diaconum et postea in presbyterum ordinare, absque licentia Episcopi loci, id est, Jerosolymitani. Et cum is de hoc quereretur, recte factum sustinent S. Epiphanius et S. Hieronymus ex ea sola ratione, quod ordinatus sit monachus *in monasterio*, et non *in parochia* Jerosolymitano Episcopo *subjecta*. Et quamvis monachi Bethlemitici essent in diœcesi Jerosolymitana, nihilominus, tanquam quid extra controversiam positum, fidenter opponunt, factam fuisse ordinationem *in monasterio fratrum qui nihil provinciæ* dicti Episcopi *deberent*. Is argumentandi modus ne in mentem quidem sanctorum Epiphanii et Hieronymi venire potuisset, nisi in Oriente, sicut in Africa viguisset generalis disciplina, ut monasteria forent ab Ordinariorum jurisdictione libera; ita ut nempe nihil Ordinario deberent, et possent pro ordinandis suis monachis ad quemcunque vellent Episcopum recurrere.

2° In Africa, non tantum agnita fuit hæc monasteriorum libertas, et clare determinatum est in quo consisteret, sed expresse a Patribus concilii Carthaginensis anni 517 declara-

Digitized by Google

tur ita *semper* fuisse (vide documenta, superiori paragrapho posita, n. 3).

3° In Gallia pariter antiquius quod habetur hac de re documentum (vide superiori paragrapho, n. 2), eamdem monasteriorum libertatem asserit : *Laica omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque pertineat... Neque ex ea sibi Episcopus quidquam vindicet.* Attributum duntaxat fuit Ordinario, ut ad ipsum solum pertineret, clericos, qui sacra in monasterio ministrarent, ordinare : in Oriente autem et in Africa poterant monasteria quoad hoc quemcunque vellent Episcopum adire. Et forsan hæc libertatis monasteriorum restrictio tunc primum in Galliis inducta est. Sed levissima est, ut patet. Cæterum ab illo concilio Arelatensi anni 455, non exemptum fuisse ab Ordinarii jurisdictione Lirinense monasterium, sed juxta jus commune ab antiquo vigens agnitam et declaratam eam exemptionem fuisse, fatetur ipsemet Thomassinus : transcripto enim conciliari decreto, sic subjungit : « Ejusmodi « erat, non privilegium, celeberrimæ abbatiæ ab Episcopis « concessum, sed *jus commune*, quod tunc temporis in usu « erat. » (*Disciplina vetus et nova*, parte 1, libro 3, capite 26, numero 16.)

4° Item quando S. Gregorius Magnus in concilio Romano anni 601, monasteriorum exemptionem decernit, non tanquam quid novum id facere videtur, sed quasi ad tuendum jus commune ab antiquo vigens ; unde et ipsismet Carthaginensium conciliorum verbis utitur.

5° Ergo evincunt monumenta, monasteriorum exemptionem a remotissima antiquitate *tanquam jus commune* viguisse.

5° Aliunde nullum hucusque afferri potuit documentum quo demonstretur, ante jus illud commune exemptionis, Ordinariorum jurisdictioni subjecta fuisse monasteria ; ita ut dictæ monasteriorum libertatis nullum assignari valeat initium ; nullum designari antecedens tempus, in quo libertas hæc non viguerit.

Digitized by Google

7° Aliunde clamat Africa libertatem hanc monasteriorum SEMPER exstitisse : et idem supponunt allata documenta quæ Orientem et Gallias respiciunt.

8° Ergo revera dicta monasteriorum libertas, cum ipsismet monasteriis exordium sumpsisse potius dicenda est (1). Nec mirum ita se rem habuisse. Quod enim tanquam evidentem hujusce disciplinæ rationem afferebant africana concilia, *esse enim debent monachi in abbatum suorum potestate*, cur æquum et peremptorium non visum fuisset a primis monasteriorum exordiis? Cum monachi, relicto sæculo, sese a negotiis omnibus et sæcularium consortio segregarent, Deo et perfectioni acquirendæ vacaturi, sub eorum magisterio, qui longo exercitio in sancta ejusmodi arte periti evasissent, facile visum est eos esse sibi ipsis relinquendos ; Episcoporum autem et clericorum in monasterii regimine immixtionem, plus turbaturam quam profuturam. Unde nec etiam nimiæ libertatis visum est, ut pro habendis presbyteris qui sacra in cœnobio ministrarent, quemcunque vellent Episcopum adire possent. Ex dictis autem sequeretur, exemptionem in aliquo sensu minus recte *privilegium* vocari. Sonat enim privilegii vox aliquam a lege jam existente exemptionem. Quod si prior fuit exemptio quam non exemptio, et prius tanquam lex seu jus commune exemptiones viguerint, per ipsas legi non fuit derogatum. Eo tamen sensu privilegium dici possunt exemptiones, quod nisi ab initio monasteriorum libertas ab Ecclesia statuta fuisset, hoc ipso remansissent monachi Ordinariorum jurisdictioni et spirituali regimini subjecti.

Objicies. — Contraria est Thomassini doctrina ; siquidem capite 26 (libri 3, partis 1, *Vetus et nova disc.*) totus est in adstruenda monachorum subjectione per priora quinque sæcula. — Lectorem moneo ne Thomassini assertis hac in re fidat ; sed adeat ipsa monumenta, necnon alios auctores,

(1) Queste libertà furono, per così dire, native col monachismo. (Bianchi, tom. 4, pag. 374, edit. Romæ, 1746.)

Digitized by Google

qui cum Thomassino eruditione non cedant, purioris doctrinæ sunt. Integro fere volumine opus foret ad confutanda omnia, quibus veritatem hac in re, meo quidem judicio, Thomassinus intricavit atque obtexit. Quam confutationem haud patiuntur hujusce tractatus limites. Unum adnotabo : totus est Thomassinus, ut exemptionum privilegia, monasteriis ab Apostolica sede concessa, perniciosam novitatem et ab antiqua disciplina deflendum recessum fuisse lectoribus suis persuadeat. Quod Patriarcha Constantinopolitanus, quod Primas Africæ sibi immediate subjecta habuerit aliarum diœceseon monasteria, id non carpit, id ipsi abusus non est. Nec de iis est Thomassinus qui monumenta non noverit. Ast adductis quæ suæ conclusioni adversantur, ita rem contorquet ut inter nubila veritas evanescat. Postquam, verbi gratia, in medium adduxit africana decreta monasteriorum libertatem adeo clare firmantia, quid inde colligit? Primum stupet : « Mirari « libet, inquit, tam amica concilia monachis monachorumque « libertatibus et privilegiis, quibus in arctum sane redigitur « spiritualis Episcoporum potestas... Privilegia quæ hic mo- « nasteriis per Africam omnibus communicantur, et jam pri- « vilegia non sunt, sed libertates communi in Africa jure « confirmatæ *brevissimo gyro* concludunt spiritualem omnem « Episcopi in monachos jurisdictionem. » (*Vetus et nova disc.*, p. 1, l. 3, c. 31, n. 9.) Item, capite 30, memorat *stupendum in Hibernia privilegium, ubi Episcopi se omnes abbati subjecerant*. Quid autem post stuporem? Vult ea omnia nihil probare, quia consentientibus Episcopis fiebant : « Quoquomodo se « res habeat, Episcopi ipsi harum libertatum largitores et dis- « pensatores fuere. » (Ibid., cap. 31, n. 9.) Sed dicam ego : *quoquomodo se res habuerit*, evincunt documenta hæc monasteria ab ipsis suis exordiis et per priora Ecclesiæ sæcula fuisse ab Ordinariorum jurisdictione libera, ita ut pro jure communi, fatente Thomassino, id steterit. Evincunt, ab initio et per priora Ecclesiæ sæcula visum fuisse æquitati et rei catholicæ utilitati prorsus consentaneum, ut monasteria Or-

Digitized by Google

dinariorum potestati non subjicerentur. Eccur ergo perpetua hæc ad antiquitatem provocatio, ut Romanis Pontificibus crimini vertatur, quod optimum ipsa hæc antiquitas reputavit? Si bona sit disciplina hæc quatenus a consentientibus (ut prætenditur) Episcopis inducta, cur bona non erit ab ipso etiam Romano Pontifice promota? An deneganda Romano Pontifici potestas id peragendi, quod antiquitati perutile visum est? Sed falso asseritur ab Ordinariorum consensu dictæ disciplinæ firmitatem accessisse. Nisi id peractum fuisset Patriarchæ, vel Primatis, vel conciliorum auctoritate, cui subjecti forent Episcopi, potuisset quilibet Ordinarius consensum a prædecessore suo datum retrahere, et jurisdictionem in diœcesis suæ monasteria quando placuisset reassumere. Id autem Ordinariis haud licuisse constat. Et Liberato Episcopo, qui aliquid ejusmodi moliebatur, concilium africanum obstitit. Fuit ergo monasteriorum libertas auctoritate Ordinariis superiori in jus commune stabilita. Jam vero quod potuit Primas Africæ, vel Patriarcha Constantinopolitanus, vel concilium aliquod particulare, id non poterit Romanus Pontifex, cui a Christo Domino regenda universalis Ecclesia commissa est? Id certe qui negant, nil aliud quam infensum suum in sedem Romanam animum demonstrant.

§ III.

De æquitate ac utilitate exemptionum a Romanis Pontificibus concessarum.

Exemptionum æquitatem et utilitatem qui negant haud mihi videntur pacato animo rem perpendisse. Alioquin enim vel ex ipsa monasteriorum et congregationum religiosarum natura facile perspexissent quam opportuna, imo quam necessaria sit exemptionum disciplina. Justas ejusmodi exemptionum causas breviter describamus.

Prima exemptionum justa causa. — *Ne regularium congregationum unitas dissolvatur.* — Ante decimum sæculum mo-

Digitized by Google

nasteria plerumque non erant in unum congregationis corpus, sub unico generali capite consociata; sed remanserant ab invicem independentia ac disjuncta. At cum anno 910 in Cluniacensi monasterio mirum in modum refloruisset monachalis status fervor ac sanctimonia, ex illo cœnaculo novis ac novis profectis examinibus, hujusce reformationis monasteria quaquaversum constituta, remanserunt Cluniacensi abbati subjecta; sicque monachismus ad congregationis formam adactus est. Quod quanta cum utilitate inductum sit, experientia testata est. Hinc sæculo decimo tertio, suos mendicantium regulares ordines Franciscus et Dominicus sub eadem congregationis forma erexerunt; ita nempe ut singulorum unius regionis conventuum rectores totius provinciæ superiori subjacerent; ipsi autem provinciales superiores a generali ordinis præposito et capitulo dependerent. Simili norma et cæteræ postmodum enatæ regularium familiæ dispositæ sunt. Quæ congregationis, seu unitatis socialis forma, monachismo quidem utiliter accessit; cæteris vero ad prædicationem et sacrum ministerium institutis ordinibus omnino necessaria censenda est. Hanc regularium superiorum hierarchiam solvas in Dominicanorum, Jesuitarum similiumque ordinibus, et statim corruent.

Jam vero nisi ab Ordinariorum jurisdictione exemptæ fuissent religiosæ congregationes, nec induci, nec permanere potuisset sociale illud vinculum. Hoc ipso enim quod unusquisque conventus Episcopo loci subjaceret, ipsius verus superior foret Episcopus, utpote cui ipse etiam conventus prior subderetur. Nec tantum verus monasterii superior existeret Episcopus, sed et supremus, utpote a quolibet alio Episcopo, et a fortiori a quolibet religiosæ congregationis superiori generali independentem in sua diœcesi jurisdictionem exercens. Hinc tot extarent supremi et ab invicem independentes superiores, quot forent Episcopi, aliquem in diœcesi sua conventum habentes. Id autem si semel induceretur, destructionem earum congregationum, quæ per totum mundum sub

Digitized by Google

unitatis regimine diffundendæ institutæ sunt, ipso facto secum traheret. Ergo revera ne regularium congregationum unitas dissolvatur, seu ne congregationes illæ depereant, non tantum utilis, sed et omnino necessaria fuit ipsas ab Ordinariorum jurisdictione liberas constitui.

Objicies. — Extant plures congregationes, cum simplicibus duntaxat votis, et nullatenus exemptæ, quæ tamen a provincialibus et generali superiori reguntur; neque liberum illud regimen singuli in diœcesibus suis Episcopi impediunt: ergo pariter, cessante omni exemptione, adhuc permanere et convenienter sub unitatis regimine contineri possent religiosi ordines. — Respondeo, frequentes e contra exoriri, quoad ejusmodi congregationes, conflictus. Plura citare possem monialium Galliæ instituta, quæ ex hoc capite haud parum exagitata atque impedita fuerunt. Cum nempe generalis superiorissa in una diœcesi degat, regendi autem ab ipsa varii conventus in aliis diœcesibus existant, contingit facile, ut universalis, juxta instituti sui constitutiones, regiminis munere recte fungi nequeat; contendente scilicet unoquoque, quoad diœcesis suæ conventum, Episcopo, ne possit quidquam præter suam auctoritatem et voluntatem immutari ac disponi, ex iis quæ ordinariæ suæ jurisdictioni subsunt. Ex quo fit, ut in transferendis de conventu ad conventum monialibus, aliisque similibus ad universale regimen necessariis dispositionibus, generalis superiorissa præpediatur. Quæ difficultates crescunt, si Episcopus loci in quo degit generalis superiorissa, a se illam dependere contendat, non tantum quoad illius monasterii, sed etiam quoad totius congregationis regimen, prout et non semel in Gallia contigit. Hinc quædam ejusmodi congregationes Romam recurrerunt, ut sibi de Cardinali protectore, aliove modo provideretur, quo ea saltem, quæ ad generale regimen pertinent, nullius Episcopi ordinariæ jurisdictioni subderentur. Adeo suapte veluti natura, ejusmodi congregationes exemptionem expostulant.

Quod autem Episcopi, id probe intelligentes, jus suum

Digitized by Google

non urgeant, sed liberam gubernationem generali superiorissæ de facto relinquant, sicque pacifice res procedant, id thesim potius probat quam infirmat; siquidem hoc modo, in praxi, et sin minus de jure, at saltem de facto existit et necessaria agnoscitur exemptio.

Secunda exemptionum justa causa. — *Ut fortiori vinculo particulares Ecclesiæ, centro unitatis, sedi Apostolicæ devinciantur.* — Etenim ita vehementibus quandoque tempestatibus impetuntur catholici alicujus regionis populi, ita hujus sæculi potestates, vi ac fraudibus clerum simul et fideles in schisma et hæresim urgent, ut immineat periculum ne ipsæ etiam ecclesiarum columnæ Episcopi convellantur. Quod, eheu! nimium monumenta testantur historica. Solent autem qui sapienter Israel opprimere aggrediuntur, in antecessum procurare, ut vacantibus Antistitum sedibus ii præficiantur viri, quos in intentum finem flexibiles noverint. In his porro ac similibus rerum angustiis, si passim exstent in periclitante regione exemptorum regularium conventus, iis totidem veluti arcibus utetur Apostolica sedes ad propugnandum catholicam unitatem et fidem. Ex his nempe propugnaculis orietur ad fideles, a Romano Pontifice indictus, de periculo clamor: magisque regularibus cum Romano Pontifice perstantibus, quam cæteris in novitatem misere ruentibus, fidentes populi, artes fraudesque omnes deludent. Nec objicias, haud minori zelo atque animi fortitudine Episcopos e cathedra Petri profectam vocem obaudituros et transmissuros. De contraria enim loquimur hypothesi; quam chimericam nullatenus esse haud necessarium existimamus historicis factis probare.

Atque idem dicendum venit de illis erroneis opinionibus ac systematibus, quæ citra ullum sæcularis potestatis molimen quandoque exoriuntur, et sanam doctrinam in discrimen adducunt. Pro illa frequentiori et magis intima exemptorum ordinum cum Apostolica sede relatione, statim e regularium castris procedent ad Domini prælia instructi, qui veritatis hostes strenue repellant atque prosternant.

Digitized by Google

Jam vero fingas eosdem regularium conventus haud esse exemptos, sed ordinariæ Episcoporum jurisdictioni subjectos : vix magis ipsi, quam reliquus sæcularis clerus, ad obsistendum proni erunt ; sed potius errantes suarum respective diœceseon Antistites in errorem et ipsi sequentur.

Tertia exemptionum justa causa. — *Merito inductæ sunt ad conservandam et promovendam disciplinam religiosam.* — « Exemptio monachorum et institutorum religiosorum ab « Episcoporum jurisdictione ad monasticæ disciplinæ conser- « vationem fuit necessaria. » (Bianchi, tomo 4, pag. 363, edit. Romæ, 1746.) E sæculari clero plerumque Episcopi assumuntur ; aut si quandoque regulares ad episcopatum evehantur, non tamen sub omnibus, sed sub una tantum regula militarunt. Porro ad conservandam et promovendam in unaquaque religiosa familia disciplinæ regularis integritatem, necesse est ut ii, quibus id muneris incumbit, diu in ejusdem regulæ palæstra sese exercuerint, ac instituti hujus spiritu imbibiti quodammodo fuerint. Alias, dum meliora etiam sibi æmulare videbuntur, conventum facile in transversum agent. Ergo ad id præstandum apti non sunt regulariter loquendo Episcopi ; tum quia regulam experti non sunt, tum quia pro varietate ingenii multorum in diversis mundi partibus constitutorum, aut in eadem etiam civitate sibi succedentium Episcoporum, moraliter impossibile est eos in spirituali conventuum directione perseveranter concordare. Hæc directionis unitas seu uniformitas, nonnisi per ipsorummet congregationis superiorum hierarchiam firmari potest. Ut autem per congregationis superiores id præstetur, necesse est Ordinariorum arbitrio hanc ipsorum auctoritatem non subjici.

Quarta exemptionum justa causa. — *Merito inductæ sunt ad tuendam religiosorum quietem et arcenda ab ipsis gravamina.* — Vidimus supra (§ 1, n. 7) sanctum Gregorium Magnum ideo ad plenius edicendam monasteriorum exemptionem permotum fuisse, ut *monasteriorum quieti* consuleret, *et quia in plurimis monasteriis multa a Præsulibus præjudicia atque gra-*

Digitized by Google

vamina monachos pertulisse cognoverat. Quamvis autem, attenta episcopalis status excellentia ac celsitudine, haud frequens id incommodi supponi deberet, pro humana tamen fragilitate, non raro illud recurrere sæculorum experientia testatur. Ut adeo ad componendas ejusmodi Episcopos inter et religiosos exortas lites, specialis etiam Cardinalium Congregatio Romæ constituenda visa sit. Et optimo quidem plerumque fine, procurandi scilicet animarum boni, ducuntur in hisce disceptationibus Episcopi : at non raro eos, vel ex laudabili zelo, minus recte sensisse, arguit causarum exitus, quæ ad dictam Sacram Congregationem perferuntur. Hæc qui ex ordinarie contingentibus attente perpenderint, facile concedent, religiosis familiis haud parvas imminere perturbationum et commotionum tempestates, nisi exemptionum tutamine protegantur.

Nota 1°. — Disseruimus duntaxat de exemptionum æquitate et utilitate : non autem probandum existimavimus jus sedis Apostolicæ, ejusmodi exemptionesdecernendi. Est enim jus illud apud catholicos extra omnem omnino controversiam ; nec censuram effugeret qui *validas* negaret a Romano Pontifice concessas exemptiones. Cum autem non omnia quæ licent expediant, et multi exemptionum utilitatem in quæstionem vocaverint, ideo de utilitate exemptionum quæstionem plenius expendendam duximus. Cæterum, ut ait Bianchi, « ad jus « quod attinet sedis Apostolicæ, monasteria ab Ordinariorum « jurisdictione eximendi, non puto ullum existere catholicum « qui illud in dubium revocare audeat. » (*Potestà della Chiesa*, tom. 4, p. 378, edit. Romæ, 1746.)

Nota 2°. — Præclarum testimonium de exemptionum utilitate exhibuit in Tridentino concilio Cardinalis Lotharingius, prout narrat Pallavicinus (l. 24, c. 3, n. 7) in hunc modum : *De regularibus illustre præconium habuit, testatus tria regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse, quod obedientiam Romano Pontifici debitam abjurare noluissent. Quapropter ubi cæterorum clericorum immunitatem ab Episcopis plurimum improbabat, ita*

Digitized by Google

eamdem in regularibus admodum a se comprobari; et Patres cohortabatur, ut illorum privilegia illæsa præstarent.

Objicies 1°. — Auctoritatem sancti Bernardi, Petri Blesensis, Richardi Cantuariensis, Joannis Sarisburiensis, Durandi Mimatensis, Ivonis Carnotensis et Petri Cantoris. Sanctus Bernardus nedum exemptiones probaverit, in eas tanquam in abusum invehitur : *Murmur loquor*, inquit, *et querimoniam ecclesiarum. Truncari sec lamitant ac demembrari. Vel nullæ vel paucæ admodum sunt quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? subtrahuntur abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus... Facitis hoc quia potestis : sed utrum et debeatis quæstio est... Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipsius. Nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiores fiunt... Quod si dicat Episcopus, nolo esse sub Archiepiscopo ; aut abbas, nolo obedire Episcopo ; hoc de cœlo non est* (1). Similia autem scripserunt alii supra nominati auctores.

Respondeo 1°. Fateor divum Bernardum de iis fuisse, qui pro noxio habuerunt exemptionum usum, saltem generaliorem. Id enim evincunt citata ipsius verba. Virum sanctissimum moverat quod quandoque monachi, ex ambitione, non ut facilius et quietius acquirendæ perfectioni incumberent, obtinendo exemptionis privilegio adniterentur.

Respondeo 2°. Divi Bernardi opinioni hac in re anteponenda est auctoritas sancti Gregorii Magni, qui utile duxit monasteria eximere : item auctoritas ecclesiæ africanæ, cujus concilia exemptos permanere monachos, sicut *semper* fuerant, decreverunt : item auctoritas orientalium ecclesiarum apud quas ab antiquo jus commune fuit, ut monasteria quamplurima Patriarchæ Constantinopolitano immediate subjicerentur : item auctoritas plurimorum pietate insignium, et beatorum

(1) *De consideratione*, libro 3, cap. 4, n. 14, 16 et 18. — Similia reperies in epistola 42, ad Henricum Senonensem Archiepiscopum.

Digitized by Google

numero adscriptorum abbatum, qui obtinendæ monasteriorum exemptioni adlaborarunt; quod profecto non fecissent, si pravam et noxiam rem existimassent. « Ego vero, inquit Zac-« caria, etsi Bernardi et Petri Blesensis magna apud me au-« ctoritas est, impetrare tamen a memetipso non possum ut, aut «« disciplinam quam orientalis et africana ecclesiæ habuerunt innocuam atque servarunt, ex eorum sententia veluti episcopali « dignitati inimicam redarguam, aut non esse in potestate Papæ « talia largiri consentiam, qualia Constantinopolitanis Patriar-« chis et africanis Primatibus licuisse compertum est. « (*Antifebronius vindicatus*, diss. 10, c. 4, n. 5.)

Respondeo 3°. Non omnes a divo Bernardo exemptiones respui. Sic enim ipse suam sententiam limitat, loco citato, n. 18: *Nonnulla tamen monasteria, sita in diversis episcopatibus, quod spectatius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad sedem Apostolicam pro voluntate fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis*. Ergo in divi etiam Bernardi sententia, exemptiones de se noxiæ non sunt : si enim tales ex natura sua forent, id non arceret fundatorum voluntas : noxias ergo solummodo voluit Bernardus exemptiones, quæ ex *ambitione subjectionis impatiente* appetuntur. Et utique si ex hoc pravo fine exquirantur, debet summus Pontifex eas denegare.

Respondeo 4°. Sanctum Bernardum exemptiones pro suis monasteriis utiles existimasse et postulasse. Constat ex diplomate inter sancti abbatis epistolas a Mabillonio vulgato (t. 1 operum S. Bernardi, epist. 352), in quo, postquam Innocentius II Bernardi in Romanam Ecclesiam studium laudavit, sic subjungit : *Quamobrem tuis desideriis accommodantes assensum, B. Mariæ Dei genitricis monasterium, cui Deo auctore præsides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, Apostolicæ sedis patrocinio communicavimus*. Et postea prohibet, *ne aliquis Archiepiscopus aut Episcopus Bernardum vel successores ejus, seu aliquem abbatem Cisterciensis ordinis, nisi pro fide, ad concilium vel synodum venire compellat*. Item decernit Pontifex

Digitized by Google

liberam monachis fore abbatis electionem. Denique ab illis decimas *expeti* vel *recipi* vetat.

Respondeo 5°, confutatam fuisse dictam sancti Bernardi opinionem a venerabili Petro, Cluniacensi abbate (epistolarum lib. 1, epist. 28, ad S. Bernardum directa, p. 137, edit. Migne), his valde attendendis verbis : « His additis et multa invectione « extollitis dicendo, quod proprium Episcopum habere re- « fugimus. Nos vero respondemus istud veritati contrarium « opposita fronte existere, quoniam patet nos proprium Epi- « scopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior « Romano Episcopo Episcopus potest inveniri? Nonne ille est « quem cæteris præesse non humana, sed divina auctoritas « sanxit?... Hunc unum solum et maximum nos habere Epi- « scopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus : ab hoc « solo, si causa (quod absit!) exigeret, interdici, suspendi atque « excommunicari possemus. Hoc ipsius sanctæ Sedis irrefraga- « bilis sanxit auctoritas..... Si autem adhuc perstatis, et nos « male agere jactatis, illum quem obtendimus impetite, et no- « bis demissis de his cum ipso agite. Nos enim quia contraire « non debemus, obedire volumus, nec de ejus unquam (quod « nulli mortalium licitum est) judicio judicare. Hoc non soli « Cluniacenses obtinent, sed et quampluribus datum cernimus, « et longe ante Cluniacum conditam..... Quod igitur Ecclesia « Dei tantis temporibus, sub tot et tantis Patribus ratum ha- « buisse cognoscitur, irritum fieri debere quis judicare audeat, « nisi qui se sanctis Patribus meliorem tumente superbiæ spiritu « judicat ? »

Pro responsione ad objectos alios auctores, vide *Antifebronium vindicatum* (dissert. X, cap. 4, n. 5).

Objicies 2°.—Absonum esse ut *Papa longe positus, tot monasteria, de quibus ne cogitare quidem vacat, immediate regenda* suscipiat.

Respondeo, hanc objectionem Bossuetii, id est libri *Defensionis* Bossuetio tributi (vide locum citatum sub initium præsentis capitis) nihil aliud esse quam inanem injuriam, falsa

Digitized by Google

assertione fultam. Falso quippe asseritur, ideo a Papa exemptiones concedi ut monasteria ipse per seipsum regat et administret. Habet Romanus Pontifex qui exempta monasteria regant, superiores nempe regulares : neque exemptionem concedit ut ipse monasterium regat, sed ut Episcopus in hoc regimine se non immisceat, sintque prælati regulares in gubernandis suis subditis liberi et quieti.

Objicies 3°. — Cum sanctus Bernardus aliique docti ac sancti viri pro noxiis exemptiones habuerint, licebit saltem cuique catholico sententiam hanc, utpote liberæ controversiæ relictam, amplecti; neque æstimandus erit quis, ob ejusmodi opinionem, de regularibus aut sede Apostolica sinistre sentire, prout insinuant moderni quidam scriptores, queis pro sua in extrema ruendi prurigine *exaggeratorum* denominatio indita est.

Respondeo : neque id conceditur. Nam haud paucæ opiniones potuerunt olim innocue defendi, quæ postea tamen, re melius explorata, accedentibusque gravissimis auctoritatibus, et prælucente præsertim continua Ecclesiæ praxi, jam omnino derelinquendæ sunt. Pia et excusanda divi Bernardi opinio eo quo scripsit tempore. At fingamus ipsum hodie redivivum, pro explorato habere, a sede Apostolica, non obstantibus omnibus in contrarium declamatis, perutilem existimari exemptionum disciplinam : fingamus ipsi jam pernotum quam perfide ipsius hac de re dictis abusi sint hæretici et quique in sedem Apostolicam infensi scriptores; fingamus ipsius oculis legenda exhiberi hæc recentia dictæ sanctæ Sedis verba : « *Exemptio conservetur, cujus utilitas ecclesiasticis sanctionibus, longaque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæreticorum et incredulorum in illam odio comprobata est* (*in epistola Archiepiscopi Mechliniensis* 15 *januarii* 1836) » : haud dubium quin sententiam suam mutaret, et pro tanta hac, qua in sedem Apostolicam ferebatur devotione, recte conservatam regularium exemptionem propugnaret. Atque idem dicendum et de aliis qui objiciuntur sanctis hujus ævi scriptoribus. Etsi ergo nonnulla

Digitized by Google

reperiri queant ab ejusmodi sanctis viris olim contra exemptiones dicta, haud inde tueri sese possunt moderni scriptores, quin a sana doctrina excedere merito existimentur, quando pestiferam et de medio tollendam exemptionum disciplinam recantant. Quem quidem excessum hic perstringens jam mihi auribus obstrepentem audio *exaggerati* notam. Sed paucos hodie fugit, hoc nomine invidiam iis concitari, qui Romanæ et a sede Apostolica probatæ doctrinæ integritatem defendunt. Cum nempe gallicani systematis propugnatores, soliti *Gallicanorum* nominis aliquando tandem tantisper pudeat, *Romanos* sese, ast utique *moderatos*, profitentur; consequens est ut ipsorum placita haud amplexantes *exaggeratos* vocitent.

§ IV.

Certum est plerosque religiosos ordines ab Ordinariorum jurisdictione exemptos fuisse et hodiedum exemptos permanere.

« Hodie plerique religiosi ordines, præsertim mendican-
« tium, et omnia ipsorum monasteria, pro commodiori eorum
« gubernio, majorique tranquillitate et pace, auctoritate Apo-
« stolica ab Episcoporum jurisdictione, sicque a lege tum diœ-
« cesana, tum jurisdictionis ipsorum, per diversos Romanos
« Pontifices exempti sunt, et immediate sedi Apostolicæ sub-
« jecti, exceptis duntaxat certis casibus...; prout inter alios
« ostendit Barbosa..., omnes exemptos religiosos ordines in
particulari recensens. » (Reiffenstuel, in titulum 31 libri 1
Decretalium, n. 89.) Idem adnotat Benedictus XIV (bulla
« *Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753, § 5): « Inter privi-
« legia, quibus gaudent regulares, cuilibet peculiari ordini a
« summis Pontificibus attributa, illud adnumeratur, per quod
« regulares familiæ ab episcopali vel ordinaria auctoritate exi-
« muntur, vel sanctæ Sedis jurisdictioni immediate subji-
« ciuntur. » Cæterum præsto habent singuli regularium ordines exempti, unde suam exemptionem probent; atque in dubio

Digitized by Google

an aliquis ordo exemptus sit, ipsi incumbit diploma exemptionis exhibere; quia quandiu exemptio non probatur, permanere ordinariam Episcopi jurisdictionem censendum est.

Dictum autem exemptionis privilegium, plerisque religiosis ordinibus concessum, adhuc hodie vigere, generaliter saltem loquendo, existimandum est; cum nec revocatio, nec ulla alia causa intervenerit, qua plerique ordines eo privati fuerint. Unde in istis generalibus terminis posita conclusio difficultatem non habet. Sed ob specialem regularium in nonnullis regionibus conditionem (verbi gratia, in Belgio et in Gallia) dubium menti occurrere potest, an earum regionum conventus, etsi ad exemptos ordines pertineant, exemptionis privilegio potiantur. De qua difficultate sub sequentibus paragraphis agimus.

§ V.

An hodierni conventus Belgii, ad exemptos ordines pertinentes, pro exemptis haberi debeant.

Propositio I^a^. — *Virorum conventus hodie in Belgio existentes, et ad ordines exemptos pertinentes, exemptione potiri censendi sunt.* — Nam 1° admittenda est exemptio hæc, si nulla in contrarium solida ratio adduci valeat. Cum enim horum conventuum respectivi ordines certo exempti fuerint, etiam in Belgio ea exemptione potiri censendi erunt, quandiu contrarium ex aliqua speciali ratione non probabitur. Atqui nulla ejusmodi solida ratio afferri potest. Etenim duæ tantum excogitari posse videntur rationes ad impugnandam hodiernorum Belgii conventuum exemptionem : *primo*, ex eo quod solemnia vota in ea regione emitti nequeant; et consequenter religiosi belgici vere professi non sint eorum ordinum, qui exemptione donati sunt : *secundo*, ex decreto Cardinalis Caprara, quo regulares omnes Galliæ, etiam exempti, Ordinariis subjecti sunt anno 1803, quo tempore sub Galliarum ditione Belgium comprehendebatur. Atqui neutra ratio valet :

Digitized by Google

Primo, falsum est hodie in Belgio non emitti posse vota solemnia. Id supra fuse probavimus; et ostendimus quam inane sit hujusce opinionis fundamentum, quod nempe lex civilis dominii incapacitatem in religiosis non agnoscat, et sic impediat ne vota solemnia emitti possint.

Secundo, neque exemptioni obstat decretum 4 junii 1803, quo declaravit Cardinalis Caprara, « de expresso mandato et « auctoritate Sanctissimi, omnes et singulos utriusque sexus « regulares, etiam exemptos, in territorio Gallicanæ reipu- « blicæ existentes, *in præsenti statu*, ab obedientia suorum « respectivi ordinis superiorum liberos et solutos esse; eosque « in habitu sæculari decente incedentes; firmo tamen singulis « remanente solemni perpetuæ castitatis voto; et servato, quan- « tum in eo statu commode fieri poterit, voto paupertatis, sub « obedientia et jurisdictione Ordinarii (communionem et gra- « tiam sedis Apostolicæ habentis), in cujus diœcesi morari con- « tigerit, immediate subjectos esse et manere, contrariis qui- « buscunque non obstantibus. » Non obstat, inquam, decretum illud hodiernorum Belgii regularium exemptioni. Nam dispositio hæc respicit duntaxat *tempus dispersionis*, statum videlicet in quo tunc regulares Galliæ versabantur. Expulsi nempe e suis conventibus, nequibant cum suis respective superioribus communicare, atque ab iisdem regi. Ad solum tempus dispersionis referri decretum expresse testantur hæc ipsius verba, *in præsenti statu*. Cæterum nemo non videt, quam absone quis sustineret posse hodie regulares Belgii suis superioribus non obedire, et in habitu sæculari incedere, eo quod in præfato decreto ita fuerit dispositum. Ergo revera nulla solida ratio adduci potest quæ dubiam faciat hodiernorum Belgii religiosorum exemptionem.

2° Positive constat, velle sedem Apostolicam, ut exemptione potiantur dicti regulares Belgii. Id testatus est Reverendissimus Mechliniensis Archiepiscopus, epistola die 15 januarii 1836 ad clerum suum directa, in qua sic habetur: « Sanctissimi Domini Nostri voluntas est, ut regularium, quos

Digitized by Google

« in Belgio iterum congregari contigerit exemptio conserve-
« tur ; *cujus utilitas* (sunt ejus verba) *ecclesiasticis sanctionibus*,
« *longaque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæretico-*
« *rum et incredulorum in illam odio comprobata est.* » (*Journal hist. et litt. de Liége*, 23e livraison, 1 mars 1836, tome 2, pag. 574.)

3° Idem constat insuper ex deputatione Reverendi Domini Corselis in visitatorem Apostolicum quoad ordines exemptos virorum in Belgio. Dicti Domini Corselis scripta nonnulla, necnon ad ipsum directas anno 1836 Namurcensis Episcopi litteras, sub sequenti propositione proferemus. Atque ex iis patebit extra omne dubium esse in Belgio religiosorum exemptionem. Item ibi respondetur ab eodem Domino Corselis ad objectionem deductam ex supra memorata ordinatione, qua Cardinalis Caprara Galliæ religiosos et moniales omnes Ordinariis subjecit.

4° Tandem certum est agnosci hodie ab Episcopis Belgii dictam religiosorum exemptionem ; et non tantum theorice extra omnem controversiam jamdudum esse positam, sed et in praxi omnino vigere.

Propositio IIa. — *Monialium conventus hodie in Belgio existentes, et ordinibus exemptis canonice incorporati, pro exemptis haberi debent.* — Præmittemus documenta supra memorata : tum veram esse propositionem concludemus.

1. Epistola Reverendissimi Namurcensis Episcopi ad Reverendum Dominum Corselis, vicarium generalem Brugensis Præsulis, Sanctitatis Suæ prælatum domesticum, atque in Belgio religiosorum visitatorem Apostolicum : « Namur, 17 no-
« vembre 1836. — Monseigneur, — ... Vous savez qu'un bref
« du cardinal Caprara soumet les religieux et religieuses à la
« juridiction des Ordinaires en France, à laquelle nous appar-
« tenions lorsque cette disposition a été prise ; et que les Evê-
« ques ont, je pense, exercé cette juridiction jusqu'à ce
« jour : au moins c'est ainsi à Liége. Dernièrement il a plu
« à Sa Sainteté de vous nommer visiteur général avec d'am-

Digitized by Google

« ples pouvoirs. Nous avions cru d'abord que votre commis-
« sion s'étendait aux ordres exempts des deux sexes ; mais
« peu après nous avons appris qu'elle n'était que pour les
« couvents d'hommes, et que ceux des femmes restaient
« dans le droit commun ; et dès lors il semble que le bref
« de Caprara reste en vigueur à l'égard de ceux-ci. Mais on
« n'est pas d'accord sur ce point. Il existe une espèce de
« confusion, de conflit à ce sujet. Les Carmélites elles-mêmes
« ne savent à quoi s'en tenir, ou du moins elles ne sont pas
« gouvernées uniformément en Belgique. Ainsi, à Liége,
« l'Évêque est leur supérieur immédiat. Ailleurs, ce sont les
« religieux de leur ordre. Je sais que des maisons de Carmé-
« lites correspondent ensemble à ce sujet, et qu'elles sont
« loin d'être tranquilles. Je vous joins copie des lettres
« écrites au nom du général des Carmes, qui d'une part re-
« connaît que le bref de Caprara est encore en vigueur et
« qui cependant ajoute que, pour les affaires majeures, il faut
« recourir à la Congrégation des réguliers. Espèce de contra-
« diction. Il est urgent que cet état d'incertitude finisse et
« qu'on sache à quoi s'en tenir.

« Il me semble que ce serait un grand bien si le Saint-Père
« prenait une mesure analogue à celle qni a été prise pour
« les couvents d'hommes, ou bien qu'il daignât donner pro-
« visoirement des pouvoirs à chaque Evêque pour son dio-
« cèse. Je crois qu'il y a en Belgique quelques religieux Carmes,
« mais je crois qu'ils sont peu nombreux ; Votre Grandeur les
« connaîtra parfaitement, et peut juger si leurs maisons ren-
« ferment assez de sujets capables pour se charger de la di-
« rection des couvents des Carmélites, qui sont déjà bien
« nombreux. Je désire, Monseigneur, connaître là-dessus
« votre avis. Et si vous ne jugiez pas que le moment fût venu
« d'adopter le plan que je vous propose, ne ferais-je pas bien
« de demander au Saint-Siége les pouvoirs nécessaires pour
« ériger et gouverner temporairement un couvent de Car-
« mélites à Namur ?

Digitized by Google

« Si vous aviez des instructions émanées du Saint-Siége « sur cette matière, je serais bien aise de les connaître.

« En attendant une réponse, je vous prie, etc... — JOSEPH NICOLAS, Evêque de Namur. »

II. Postulatio Reverendissimi Namurcensis Episcopi ad sedem Apostolicam directa : «... Hinc est quod infra scriptus « Episcopus Namurcensis enixe rogat, quatenus sibi facultas « benigne concedatur *talem conventum canonice erigendi, juxta « formam et regulas prælaudati ordinis, seu ut personæ in eo « viventes omnibus juribus et privilegiis ordini adnexis frui pos- « sint*... Tandem cum nullus conventus virorum ordinis Car- « meli in hac diœcesi existat, et conventus Brugensis et « Yprensis triginta et amplius leucis a civitate Namurcensi « distent, supplicat idem orator ut sibi facultates necessariæ et « opportunæ concedantur, novum conventum tum in tempo- « ralibus, tum in spiritualibus dirigendi, donec conventus « virorum ordinis Carmeli hic erigatur. »

Hæc Reverendissimo Præsuli concessa sunt ex audientia Sanctissimi die 20 januarii 1837.

III. Transumptum e manuscriptis Reverendi Domini Corselis : « Monseigneur, — C'est pour moi une bien agréable « jouissance de pouvoir être utile en quelque chose à Votre « Grandeur... — Il se trouve maintenant au couvent des « Carmes déchaussés à Gand, deux communautés de Carmé- « lites, l'une de Douai, l'autre de Roubaix, qui ont aban- « donné leurs couvents en France, parce que l'Ordinaire du « lieu, l'Evêque de Cambrai, voulait les soustraire de la ju- « ridiction du provincial de leur ordre pour les soumettre « à la juridiction épiscopale...

« Il est manifeste que les dispositions du Légat *a latere* « sont émanées, *cum currebat tempus destruendi*, lorsque « la hiérarchie des réguliers fut anéantie par la dissolution « violente des communautés religieuses et l'interdit de com- « muniquer avec leurs supérieurs canoniquement établis ; « pour lors, elles furent indispensablement nécessaires *pro*

Digitized by Google

« *servando bono ordine in Ecclesia Dei.* Maintenant que par « la miséricorde de Dieu est reparu le *tempus ædificandi*, et « que les ordres réguliers se rétablissent canoniquement en « Belgique, il me paraît que par le fait même de ce rétablis- « sement, les communautés exemptes de vierges ressuscitées « retournent insensiblement à l'ancien ordre de choses, que, « selon ma manière de voir, la S. C. *super disciplina regu-* « *larium*, indique dans nos instructions par cette phrase.... « *Quoad moniales nempe, a te acceptam delegationem ad illas* « *non extendi, ideoque nihil circa earumdem regimen* JURI COMMUNI « *derogatum esse.* Per id *jus commune* indicari reor, id quod « universaliter pro omnibus conditum fuit : non vero id quod « specialiter pro aliquo regno aut singulari rerum necessi- « tate statutum fuit, qualis erat ordinatio Emin: D. D. Caprara.

« Voici comment cela se pratique ici par rapport aux Car- « mélites. Mgr l'Evêque et le R. P. vicaire provincial des « Carmes concourent ensemble sous certains rapports.

« 1° Le R. P. supérieur des RR. Pères Carmes, préside « *per se vel per suum deputatum*, à l'élection de la supérieure.

« 2° Il fait les cérémonies des vêtures et des professions, « après que les postulantes ou novices sont examinées et « approuvées par l'Evêque ou son délégué, conformément « au saint concile de Trente, sess. 25 *de Regul. et monial.*, « cap. XVII.

« 3° Il présente à l'Evêque des prêtres de l'ordre, qui, les « ayant trouvés capables, les approuve et leur accorde la ju- « ridiction pour les confessions des religieuses soit comme « ordinaire, soit comme extraordinaire, conformément au « droit commun établi par Grégoire XV, Clément X, Ur- « bain VIII, Innocent XIII, Benoît XIII et Benoît XIV, cités « tom. 2, *de Synodo diœcesana*, libro 9, c. 14, n. 8, 9 et 10, « édit. de Louvain 1763.

« 4° Il fait la visite canonique des communautés apparte- « nant à l'ordre. L'Évêque visite la clôture. Pour ce qui « concerne les pauvres Claires de l'ordre de Saint-François

Digitized by Google

« d'Assise, qui appartiennent de droit commun aux Frères « Mineurs Récollets, le P. vicaire provincial de Flandre, n'é- « tant pas encore assez pourvu de religieux, en abandonne « jusqu'ici la direction totale à Mgr l'Evêque. Ainsi, les reli- « gieux exempts rentrent peu à peu dans leurs droits, à raison « de leur avancement dans la restauration de leur ordre et de « leur couvent.

« Le R. P. provincial susdit exerce ses droits de la même ma- « nière sur les communautés des Carmélites dans les diocèses « de Gand et de Tournai.

« Au diocèse de Malines, des pouvoirs particuliers sont ac- « cordés par le Saint-Siége à M. le vicaire général Pauwels « pour la direction de toutes les communautés de Carmélites « établies au diocèse de Malines : c'est Mgr l'Archevêque qui « me l'a déclaré.

« Quod attinet ad quæstionem utrum hactenus adhuc vigeat « dispositio Cardinalis Legati a latere, par laquelle tous les reli- « gieux de l'empire français étaient soumis et assujettis à la « juridiction des Evêques diocésains, il faut distinguer, parmi « les religieux appartenant aux ordres exempts d'hommes, « ceux qui sont réunis en communauté et rétablis canonique- « ment par l'autorité du Saint-Siége Apostolique, et ceux « qui persévèrent à vivre dans la dispersion, isolés des commu- « nautés : les premiers ont récupéré leurs droits d'exemption « de la juridiction des Ordinaires, puisqu'ils sont assujettis à la « juridiction du visiteur Apostolique; les autres, n'étant pas « réunis à quelque communauté et ne reconnaissant pas de su- « périeur régulier immédiat ou local, restent sous la juridic- « tion de leur évêque respectif.

« Les communautés des vierges appartenant aux ordres « exempts, si elles ont un vicaire provincial établi par le Saint- « Siége pour la province où elles sont établies, sont soumises « à la juridiction de leur supérieur régulier, avec les clauses « exceptionnelles dont mention ci-dessus, etc.

« S'il s'agit d'établir une nouvelle ou de rétablir une an-

Digitized by Google

« cienne communauté avec répristination de tous les droits « et priviléges accordés à l'ordre par rapport aux vœux so- « lennels, aux indulgences, à la clôture papale, etc., il est né- « cessaire de remplir les formes prescrites dans les lettres du « très-Rév. Père Honorius, adressées à Sa Grandeur Monsei- « gneur l'Evêque de Liége, et à la prieure des Carmélites de la « même ville, en date du 5 mars 1836. Car sans l'accomplisse- « ment des formalités y énoncées, et sans la commission de « vicaire provincial accordée par le S. S. à quelque autre prê- « tre régulier ou séculier, à défaut d'un religieux de l'ordre « pour gouverner la communauté, elles n'appartiendraient pas « à l'ordre, mais seraient tout simplement une pieuse réunion « de vierges, sans vœux solennels, dénuée de tous les droits et « faveurs accordés par le Saint-Siége à l'ordre des Carmes dé- « chaussés. »

Documentum illud, propria manu a Domino Corselis exaratum, et post ejus obitum inter ipsius scripta repertum, penes me habui ; ut adeo ejus authenticitatem testari possim.

IV. His præmissis documentis, probandum remanet belgicis monialium conventibus revera exemptionem competere, modo ii conventus canonice fuerint erecti, ac ordinibus exemptis rite incorporati.

Probatur 1°. — *Ex eo quod non valeant rationes in oppositum.* — Patebit eas recensendo.

Primo, non valet ratio deducta ex impossibilitate vota solemnia in Belgio emittendi. Quamvis enim lex civilis Belgii incapacitatem dominii in religiosis non agnoscat, stare posse votorum solemnitatem fuse jam probavimus.

Secundo, nec valet ratio deducta ex decreto Cardinalis Caprara, quo regulares Galliæ etiam exempti, Ordinariis subjecti sunt. Quamvis enim sub decreto illo Belgium comprehensum fuerit, minime sequitur hodiernos hujus regionis monialium conventus privilegio exemptionis carere; quia dispositio illa, relativa duntaxat fuit ad *tempus dispersionis;* prout jam quoad virorum conventus dictum est.

Digitized by Google

Tertio, non valet ratio deducta ex eo quod Sacræ Congregationes pluries declaraverint moniales Galliæ non haberi a sede Apostolica tanquam veras religiosas, seu vere professas, sed tanquam pias feminas, Ordinariorum jurisdictioni subjectas; et ex eo quod declarationes istæ videantur Belgio applicandæ ob conditionis similitudinem. Nam 1° quoad moniales Galliæ, fuerat sedi Apostolicæ pluries expositum, emitti ab ipsis professionem, cum *intentione remanendi habiles ad dominium sive retinendum sive acquirendum*. Ex eo forsan motæ potissimum fuerunt Romanæ Congregationes ad rescribendum, solemnia non esse monialium Galliæ vota. Porro modus ille profitendi, nec a monialibus Belgii fuit unquam usurpatus, nec apud sedem Apostolicam de ipsis assertus (vide quæ diximus parte 3, sect. 3, subsect. 2, § 7). Equidem paris conditionis sunt hodiernæ Belgii et Galliæ moniales relative ad legem civilem, eo sensu quod non magis in Belgio quam in Gallia lex civilis incapacitatem dominii in religiosis, quantumvis solemniter professis agnoscat. Sed monialium Galliæ vota non fuerunt declarata simplicia ob eam legis civilis dispositionem : alioquin simplicia etiam forent virorum vota, quod falsum esse et ab ipsa Romanæ curiæ praxi rejici omnino constat. Unde ex eo quod Romanæ Congregationes monialium Galliæ vota simplicia declaraverint, non inferri potest simplicia etiam esse vota monialium Belgii. Proinde ex eo quod, juxta dictas declarationes, moniales Galliæ non sint nisi piæ feminæ, Ordinariorum jurisdictioni subjectæ, haud inferri potest exemptas non esse moniales belgicas. 2° Si objiciatur quædam responsio Sacræ Pœnitentiariæ 11 decembris 1854, quam retulimus supra (parte 3, sectione 3, subsect. 2, § 7, prop. 6), ubi dicitur vota monialium Belgii *æquiparari* votis monialium Galliæ, respondemus a nobis ibidem adducta fuisse alia ejusdem S. Congregationis responsa, quæ contrarium supponunt. Unde revera hoc argumentum *a pari*, si bene perpendatur, vim non habere comperietur.

Probatur 2°. — *Ex praxi jam in Belgio pacifice vigenti.* —

Digitized by Google

Ex præmissis enim documentis, constat plures in Belgio monialium conventus, non diœcesis Episcopo, sed prælatis regularibus subjici; eos nempe, qui canonice fuerunt erecti, et pars sunt alicujus ordinis religiosi exempti. Id præcipue palam facit, tum citata Namurcensis Episcopi ad dominum Corselis epistola, tum ejusdem Præsulis ad sedem Apostolicam directa supplicatio, qua postulat sibi ordinariam concedi jurisdictionem in conventum virginum Carmelitarum, in sua diœcesi erigendum, *donec conventus virorum ordinis Carmeli hic erigatur.*

§ VI.

An hodierni regulares Galliæ, ad exemptos ordines pertinentes, pro exemptis haberi debeant.

Propositio Iª. — *Negari non debet regularium Galliæ exemptio, ex eo quod hodie in Gallia dari nequeant vota solemnia, nec proinde veri professi ordinum exemptorum.* — Nam supra fuse probatum est emitti posse in Galliis vere solemnia vota.

Propositio IIª. — *Negari non debet regularium Galliæ exemptio ex eo quod exemptiones a Romanis Pontificibus concessæ vim in Gallia non habeant.* — Nam 1° certum est exemptiones in Galliis viguisse, tum ante Tridentinam synodum, tum etiam postea, usque ad politicam anni 1793 tempestatem. Equidem sæculo decimo septimo, Episcopi Galliæ multas hac de re querelas emisere : imo et sedi Apostolicæ quoad nonnullas ejusmodi exemptiones quandoque obstitere (absit autem ut in hoc laudandi videantur); non tamen eo unquam processerunt, ut valere in Galliis exemptionum privilegia negaverint. 2° Etiamsi revera olim in Gallia receptæ non fuissent exemptiones, quid inde argui posset, quam scandalum oblivione sepeliendum? « Quemadmodum, inquit Benedictus XIV, in« feriori non licet legem abrogare a superiore latam, ita nec « privilegiis derogare cuipiam a superiore concessis. Quo« circa S. Gregorius Magnus (epist. III, l. 9, indict. 2) : *Cura est*

Digitized by Google

« *sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete monachorum* « *religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio* « *negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare.* Et In- « nocentius IV, in concilio generali Lugdunensi (relato in capite « 1, *de Privilegiis*, in 6) : *volentes libertatem, quam nonnullis* « *Apostolica sedes privilegio exemptionis indulsit, sic integram* « *observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi ejus limites* « *non excedant.* » (*De synodo diœces.*, lib. 9, cap. 15, n. 1.)

Propositio IIIª. — *Regulares Galliæ ordinum exemptorum pro exemptis haberi debent, nisi contrarium sedes Apostolica expresserit.* — Cum enim, ex hypothesi, ordines sint exempti; valeatque exemptio etiam in Gallia, ex propositione 2; atque insuper regulares potuerint per votorum solemnium emissionem fieri ordinum exemptorum vera membra, seu veri professi, nulla est ratio cur sub exemptione non comprehendantur, nisi sedes Apostolica eos expresse a privilegio excluserit.

Propositio IVª. — *Trappistæ Galliæ, quamvis ad exemptum Cisterciensium ordinem pertinentes, Episcoporum jurisdictioni ex parte subjecti sunt, ab anno* 1834. — Dicto enim anno emanavit decretum, in quo sic expresse (articulo 10) statuitur : *Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione Episcoporum exempta sint, ea tamen ob peculiares rationes, et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorumdem Episcoporum subsint, qui procedant tanquam Apostolicæ sedis delegati.*

Propositio Vª. — *Cæteri, præter Trappistas, Galliæ religiosi ordinum exemptorum, pro exemptis haberi debent.* — Nam restrictio quoad solos Trappistas locum habuit. Ergo cæteri virorum conventus, qui pars sunt alicujus ordinis exempti, vere et ipsi exemptione potiuntur.

Nota 1°. — Id intelligendum etiam est de religiosis societatis Jesu, non obstante hujus societatis suppressione, a Clemente XIV decreta. Nam per bullam Pii VII, qua ordo ille denuo restitutus fuit, revixit ipsi exemptionis privilegium.

Nota 2°. — Nec etiam dubium est, quin novæ Solesmensium Benedictinorum congregationi exemptionis privilegium com-

Digitized by Google

petat. Plane siquidem id liquet ex tenore constitutionis qua dicta congregatio erecta est.

Propositio VI^a. — *Moniales Galliæ, etsi pertineant ad instituta exempta, non sunt pro exemptis habendæ.* — Nam pluries a Romanis Congregationibus declaratum est ipsarum vota esse duntaxat simplicia, utpote quæ a sede Apostolica pro solemnibus non acceptantur; proinde ipsas non esse veras religiosas professas eorum ordinum, quorum regulam sectantur. Ergo nec vere pertinent ad ordines exemptos; ergo ipsis exemptio non competit. Equidem nonnulli objiciunt, dictas declarationes esse relativas ad falsum expositum, quo generaliter assertum fuit, omnes Galliæ moniales vovere cum intentione retinendæ habilitatis ad dominium; proinde ad has declarationes non esse attendendum : sed hanc opinionem amplecti non audemus ; nec eam probabilem existimamus. Unde ut hodie aliquis conventus monialium in Gallia ordinariæ Episcopi jurisdictioni non subjaceret, opus foret speciali dispositione sedis Apostolicæ. Non ergo potest Patrum Carmelitarum Galliæ provincialis superior ullam sibi vindicare jurisdictionem in conventus monialium ejusdem ordinis. Et idem dicendum de Franciscanis Patribus, relative ad moniales sanctæ Claræ. In Belgio e contra dari possunt, et revera existunt monialium conventus, ab Ordinariorum jurisdictione exempti.

§ VII.

De potestate Episcoporum in regulares exemptos, seu quibus in casibus regulares exempti, Ordinariorum jurisdictioni subjiciantur.

Exemptionis privilegium regularibus concessum, nequaquam impedit quin regulares illi Episcoporum jurisdictioni in multis casibus subjaceant. Nam exemptio hæc, *per se*, seu nisi aliter a sede Apostolica expresse disponatur, intelligenda est *cum exceptionibus a jure statutis*. Ejusmodi autem exceptiones nonnullæ jam ante Tridentinam synodum a jure com-

Digitized by Google

muni inductæ fuerant. Sed Tridentini Patres in plurimis aliis casibus Episcopi loci jurisdictioni subjectos fore regulares, quamvis exemptos, decreverunt. Et post Tridentinam synodum ad nonnullos adhuc casus episcopalis jurisdictio per varias Pontificias constitutiones extensa est. Ii nunc casus accurate describendi.

« Porro ejusmodi casus quadraginta septem refert et explicat « Fagnanus (in cap. *Grave, de Officio Ordinarii*, n. 37 et « *seq.*)...; eisque idem auctor plures alios præmittit, qui con- « cernunt regulares curam animarum habentes. Barbosa vero... « enumerat universim quinquaginta duos tales casus.» (Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decretalium, n. 110.)

Nos ejusmodi casus ad certa quædam capita, sub forma quæstionum referimus, nempe :

Quæstio Iª. — *Quid possit Episcopus circa regulares extra claustrum delinquentes?* — 1° Regulares *degentes* extra claustra possunt ab Episcopo, tanquam a sede Apostolica delegato, visitari, puniri et corrigi. Constat ex synodo Tridentina (sess. 6, c. 3, *de Ref.*). — 2° *Degere* extra claustra censendi sunt ii qui permanentem habitationem habent extra monasterium (prout contingit, v. g., studiorum causa); non autem ii qui per duos aut tres etiam menses, ad prædicandum, vel recreationis causa, vel ob aliud ejusmodi motivum, extra monasterium versantur (V. Reiffenstuel, loco cit., n. 111 et seqq.). — 3° Dicta potestas Episcopi animadvertendi in regulares extra claustrum *degentes*, non impedit, quin eos etiam punire possit ipsorum superior regularis (Reiffenstuel, ibid., n. 115). — 4° Si regularis degens *intra* claustra, delictum patret *extra* monasterium, ita ut oriatur inde scandalum, potest Episcopus ipsius superiori tempus præfigere ad puniendum delinquentem. Et tenetur superior de inflicta punitione certiorem facere Episcopum. Quod si negligat superior regularis debitam pœnam intra præfixum tempus infligere, tunc potest delinquens ab ipso Episcopo puniri. Si delinquens impunitus transmissus fuerit extra diœcesim, debet revocari ad monasterium in quo degebat quando

Digitized by Google

deliquit, et ibi puniri (Trid., sess. 25, c. 14 *de Regul.*, et constitutione *Suscepti muneris* Clæmentis VIII. Vide etiam Reiffenstuel, loco cit., n. 116 et seq.).

Quæstio IIª. — *Quid possit Episcopus circa regulares apostatas, ejectos, vel absque scripta licentia extra monasterium peregrinantes?* — Ii omnes subsunt jurisdictioni Episcopi. Quoad apostatas et ejectos constat decreto S. Congregationis Concilii 21 septembris 1624, quod refertur in constitutione 28 Urbani VIII, tomo 4, bullarii romani : quoad alios, constat sessione 25 (capite 4 *de Regularibus*) Tridentinæ synodi.

Quæstio IIIª. — *Quid possit Episcopus circa regulares qui ipsius jurisdictionis exercitium impediunt?* — Potest eos coercere et punire. Vide Reiffenstuel (in tit. 31 libri 1 Decretalium n. 122).

Quæstio IVª. — *Quid circa regulares, qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt?* — Potest Episcopus eos excommunicatos publice denuntiare, ita ut evadant vitandi (ibid., n. 123).

Quæstio Vª. — *Quid circa novorum conventuum erectionem?* — Necessaria est licentia Episcopi ut novus in ipsius diœcesi conventus erigi valeat (Trid., sess. 25, c. 3 *de Reg.*).

Quæstio VIª. — *An teneantur regulares exempti, publicare in suis ecclesiis censuras et interdicta Episcopi, atque iis sese accommodare?* — Tenenter eorum publicationem facere in suis ecclesiis, si mandet Episcopus ; atque item tenentur iis obsequi (Trid., sess. 25, c. 12 *de Reg.*) : « Unde sequitur quod « regulares, quantumvis exempti, non solum teneantur servare « Episcoporum interdicta, ita ut non celebrent scienter in loco « interdicto (nisi quatenus super hoc sunt privilegiati, aut a « jure conceditur capite *Is qui*, 18, *de Sententia excomm.*, « in 6) ; sed nec possint facere quod ab aliis celebretur in locis « ita interdictis ; neque possint excommunicatos ad divina, vel « ecclesiasticam sepulturam admittere. » (Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decretalium, n. 126.)

Quæstio VIIª. — *Quid possit Episcopus circa regulares quoad*

Digitized by Google

publicas processiones? — Dicemus 1° quatenus possit Episcopus eos cogere ut ejusmodi processionibus intersint, et controversias de præcedentia quoad easdem processiones dirimere: 2° quomodo regulares parochi aut Episcopi licentia indigeant, si velint ejusmodi processiones extra claustrum facere.

I. *Quatenus ad interessendum cogi valeant ab Episcopo.* — 1° Potest Episcopus exigere ut iis intersint (Trid., sess. 25, c. 13 *de Reg.*). — 2° Id tamen exigere nequit a regularibus qui sub strictiori clausura degunt (Trid., ibid.). — 3° Neque id potest exigere ab iis qui dimidio milliari a civitate distant (vide Reiffenstuel, loco cit., n. 129). — 4° Neque ab iis qui speciale privilegium quoad hoc habent, prout sunt Patres societatis Jesu, et nonnulli alii ordines. — 5° Controversias omnes *de præcedentia,* relative ad ejusmodi processiones, prout et in associandis defunctorum corporibus, potest Episcopus dirimere; neque ab ipsius hac de re sententia datur appellatio cum effectu suspensivo (Trid., sess. 25, c. 13 *de Regularibus*).

II. *Quatenus regulares licentia parochi aut Episcopi indigeant ad faciendas processiones extra claustrum.* — Hac de re sic adnotatur in causa *Cremonensi*, 12 januarii 1726 (*Thesaurus resol.*, tomo 3, pag. 256, edit. Urbini, 1739): « Nota sunt huic « Sacræ Congregationi decreta circa processiones quæ fiunt a re- « gularibus extra suas ecclesias et claustra. Et signanter celebre « est illud..., quod ita se habet: « *Sacra Congregatio mandavit* « *servari decretum in Congregatione particulari, de ordine Sanc-* « *tissimi jam firmatum, tenoris sequentis: Sacra Congregatio* « *censuit regularibus, et confraternitatibus in regularium eccle-* « *siis erectis, permissum esse processiones facere, intra eorum* « *ecclesias et claustra tantum, et non extra. Si vero ecclesiæ clau-* « *stro careant, eisdem regularibus et confraternitatibus licere* « *processiones facere intra ambitum duntaxat earumdem eccle-* « *siarum, hoc est, prope muros ecclesiæ; sive exeundo a janua* « *ecclesiæ et intrando per aliam, sive per eamdem; et semper* « *prope muros ecclesiæ et non extra dictum ambitum, nisi de* « *licentia, consensu aut cruce parochi: non obstantibus quibus-*

Digitized by Google

« *cunque consuetudinibus vel præscriptionibus etiam immemo-*
« *rabilibus : privilegiis tantum Apostolicis sacro concilio Tri-*
« *dentino posterioribus in suo robore permanentibus, quibus*
« *per hoc decretum minime censeatur derogatum.* »

Adducitur postea ibidem decisio (in causa *Nepesina* 3 augusti 1686). Ad dubium nempe, *an solius Episcopi accedente licentia possint regulares processionem facere, quamvis parochus contradicat, et consentire recuset*, Sacra Congregatio respondit, *sufficere licentiam Episcopi.* Ex his patet quomodo solvenda sit proposita quæstio. Nimirum 1° ad faciendam processionem intra claustra, aut (deficiente spatio) intra ambitum ecclesiæ, nulla licentia regulares indigent. 2° Ad faciendam processionem extra ambitum, licentia indigent; sufficit autem licentia parochi. Item sufficit licentia Episcopi, etiamsi parochus consentire renuat.

Quæstio VIIIª. — *Quid circa Chrisma et consecrationes ecclesiarum ?* — Regulares, quoad habendum Chrisma et consecrandas ecclesias Ordinario subjiciuntur (vide Reiffenstuel, loco citato, n. 131).

Quæstio IXª. — *Quid circa ordines sacros regularibus conferendos ?* — 1° Superior regularis potest subditis suis concedere dimissorias litteras. Constat ex decreto S. Congregationis Concilii 15 Martii 1596, *super ordinatione regularium*, quod decretum confirmavit Clemens VIII : in eo siquidem ita disponitur : *Congregatio Concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissoriales concedere.* Idem deducitur ex capite *Abbates* (3, *de Privilegiis*, in 6), in quo superioribus regularibus tribuitur jurisdictio *quasi episcopalis* in subditos : item ex capite 10 sessionis 23 (*de Reformatione*) Tridentinæ synodi ; ubi, dum prohibentur abbates dimissoriales *sæcularibus clericis* concedere, aperte supponitur id eos posse quoad suos religiosos (vide Reiffenstuel, in tit. 11 libri 1 Decretalium, n. 134). 2° Quem autem Episcopum adire teneantur regulares pro suscipiendis sacris ordinibus (secluso

Digitized by Google

speciali privilegio adeundi quem voluerint), statuitur in citato decreto, ubi post transcripta verba, hæc subsequuntur : *Ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis ad quos pertinet is regularis positus fuerit : et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum : dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam : et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus diœcesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes* (vide illud decretum apud Reiffenstuel, loco citato, n. 133).

Cæteroquin idem argui posset ex ipso textu Tridentinæ synodi (sess. 23, c. 10 *de Ref.*). Citatum autem decretum Clementis VIII fuit a Benedicto XIV confirmatum in constitutione *Impositi*, 27 februarii 1746. Vide in tomo 70 *Thesauri resolutionum*, causam *Melevitanam*, 4 februarii 1804.

Quæstio X^a^. — *Quid possit Episcopus in regulares, quoad ipsorum ecclesias parochiales, et quoad personas curam animarum in eis exercentes ?* — Cum multæ difficultates hac de re orirentur, ad eas præcidendas, edidit Benedictus XIV constitutionem suam *Firmandis*, 6 novembris 1744, cujus summa hæc est. Præmittit Pontifex quid Tridentina synodus statuerit : « Animarum curam in sæculares personas exercentes in iis « ecclesiis, quæ monasteriis seu domibus vivorum aut mulie- « rum adnexæ sunt, sive ipsi regulares sint sive sæculares, « sacri Tridentini concilii præscripto (sess. 25, c. 11 *de Reg.*) « subesse debent *immediate, in iis quæ ad dictam curam et sacra- « mentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visita- « tioni et correctioni Episcopi, in cujus diœcesi* (prædicta monas- « teria) *sunt sita;* exceptis duntaxat iis monasteriis seu locis, « *in quibus abbates generales, aut capita ordinum sedem ordi- « nariam principalem habent; atque aliis monasteriis seu do- « mibus, in quibus abbates aut alii regularium superiores ju- « risdictionem episcopalem et temporalem in parochos et « parochianos exercent.* » (§ 2.) Postea sequentia decernit :

Digitized by Google

1° Tenentur regulares in suis ecclesiis parochialibus recipere missionarios, qui solent ab Episcopo visitationem peragente præmitti : possunt nempe ii missionarii in dictis regularium ecclesiis prædicare, sacramentum pœnitentiæ et eucharistiæ ministrare, et alia sibi ab Episcopo demandata peragere (§ 6).

2° Potest Episcopus sacramentum confirmationis administrare in ecclesiis regularium, sive parochialibus, sive non parochialibus (§ 6).

3° « In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum « parochialium, quæ a regularibus administrantur, minime « quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum hujusmodi altaria « visitare : sed illud duntaxat, in quo sanctissimum euchari- « stiæ sacramentum asservatur, et consequenter sacrum « ipsum tabernaculum : fontem quoque baptisterii, si adsit : « item confessionale, in quo parochus ad audiendas confes- « siones residere solet ; pulpitum ecclesiæ, e quo parochus « jus habet verbi Dei annuntiandi : sacrarium pariter eccle- « siæ, ad inspiciendum locum in quo asservatur sacra supel- « lex, pro sacramentis tam intra ecclesiam quam extra illam « decenter administrandis : sepulchrum excipiendis subdi- « torum parochiæ corporibus addictum : cœmeterium paro- « chianorum humandis cadaveribus destinatum : turrim cam- « panariam, dummodo in ea sint campanæ ad parochiam pro- « prie spectantes : ac demum omnia sacra vasa, quibus vel « particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea sive in « baptismo, sive in extrema unctione adhibenda, vel aqua « baptisterii, vel alia rite benedicta, quæ pro ingredientium « aspersione ad ecclesiæ fores poni consuevit. » (§ 7.)

4° « Quidquid Episcopus a parocho sæculari exquirere « atque exigere solet ac debet, id omne, *regulari observantia* « *unice excepta*, a parocho regulari exquirere et exigere po- « test. » (§ 10.) Potest proinde in eum pœnis animadvertere, si in officio suo parochi deliquerit.

5° Parochus ille regularis amoveri potest, tum a superiore

Digitized by Google

regulari sine consensu Episcopi, tum ab Episcopo sine consensu regularis superioris, et neuter remotionis causam alteri aperire tenetur (§ 11).

6° Si abbas aut superior habeat jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos, nequit Episcopus visitationem facere aut ullum jurisdictionis actum, sive in parochos, sive in parochianos exercere (§ 12).

7° Si monasterium et ipsi annexa parochialis ecclesia, sint ordinaria sedes seu residentia superioris generalis totius ordinis, Episcopus nullum jus habet visitationis, correctionisve, nullamque jurisdictionem, sive in illam ecclesiam sive in parochum. Nihilominus retinet jurisdictionem in parochianos ; nec potest superior regularis aliquem deputare ad curam exercendam, nisi prius ab Episcopo examinatum et approbatum, etiamsi curatus ille deputaretur ad nutum monasterii amovibilis. Quod si existimet Episcopus curatum illum officio suo haud recte fungi, poterit superiorem monasterii commonere ut illum amoveat; et nisi superior annuat, poterit Episcopus rem ad sedem Apostolicam deferre. Dictum autem exemptionis privilegium intelligendum est de sola ecclesia monasterii in quo generalis totius ordinis superior residet, non autem de aliis parochialibus huic unitis (§ 13 et seq.).

Nota. — De potestate cumulativa Episcopi et prælati regularis, in concernentibus animarum curam et sacramentorum administrationem. — Ex dictis, Episcopus habet jus visitationis et correctionis in exemptos, quoad ea quæ spectant ad animarum curam ; et insuper quoad ea quæ pertinent ad sacramentorum administrationem, ut dicetur quæstione sequenti. Hinc vero difficultas oritur, num simul idem jus habeat prælatus regularis; et quatenus potestas in utroque cumulative resideat, quomodo debeant in ea exercenda concordare. Ad cujus difficultatis solutionem sat erit subjicere, quod notatum reperimus in *Thesauro resolutionum* (in *Vulturariensi*, 19 novembris 1729, tom. 4, pag. 368 et 369, edit. Urbini, 1740) ;

Digitized by Google

« Quod hoc jus visitandi, in concernentibus curam anima-
« rum spectet cumulative ad Episcopos jure delegato, et ad
« priores jure ordinario, late discusso articulo firmavit Rota,
« in *Toletana jurisdictionis* 10 januarii 1679, impressa apud
« Cardinalem de Luca, *de Jurisdictione*, discursu 1; et ibi etiam
« firmat Cardinalis de Luca, discursu 4, n. 5. Qui etiam sub-
« dit, quod hæc cumulativa non est intelligenda de alterna-
« tiva cum jure præventionis, sed de simultanea et compa-
« tibili; quod nempe possit uterque, sive prius sive postea, sua
« jurisdictione uti; ut male se gerens in exercitio curæ subja-
« cere possit duplici punitori.

« Attamen hæc Sacra Congregatio sæpe resolvit, quod si
« decreta et ordinationes Episcopi discrepent ab illis supe-
« rioris regularis, prævalere et observari debent decreta
« Episcopi. Et præcipue resolutum fuit in *Hispalensi visita-*
« *tionis*, 18 augusti 1696, ad *sextum* dubium; et in aliis relatis
« apud Barbosam... et Monacellum..., ita ut, si Episcopus
« prævenerit in visitatione, et aliqua decreta servari manda-
« vit, non potest ordinarius (1) visitator illa infringere, cor-
« rigere, seu mutare, vel contrarium decernere; ut eadem
« Congregatio resolvit in *Miletensi*, 17 novembris 1703.....
« Quoties vero ordinarius prævenerit in cognoscendo, inqui-
« rendo et corrigendo delinquentem, nec etiam valeret Epi-
« scopus causam reassumere, ac ordinario inhibere, nisi ex
« justis causis recensitis in decretis generalibus, editis per
« Sacram Congregationem *super statu regularium...*, et trans-
« criptis apud Fagnanum in caput 4, n. 42, *de Officio Ordi-*
« *narii.* »

Quæstio XI^a. — *Quid possit Episcopus in regulares, quoad sacramentorum administrationem?* — Non tantum regulares curam animarum exercentes, quoad ejusmodi curam Episcopo subjiciuntur; sed omnes etiam alii, si sacramenta administrent, quoad eam administrationem. Ita Gregorius XV

1) Per *ordinarium* ibi intelligas superiorem regularem.

Digitized by Google

in constitutione quæ incipit *Inscrutabili*, nonis februarii 1622 (refert hanc constitutionem Ferraris, V. *Regulares*, a. 2, n. 3).

Quæstio XII^a. — *Quid circa dies festos?* — « Dies festi, « quos in diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, « ab exemptis omnibus etiam regularibus, serventur. » (Concil. Trid., sess. 25 *de Regul.*, c. 12.) « Verumtamen Sacra « Congregatio Concilii censuit, hoc ita esse intelligendum, ut « regularium ritus illis festis semper permaneant, quoad mis- « sas et cætera divina officia. » (Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decretalium, n. 127.)

Quæstio XIII^a. — *Quid circa audiendas confessiones sæcularium?* — 1° Regulares exempti nec licite nec valide possunt sæcularium confessiones audire, nisi aut habeant beneficium parochiale, aut fuerint ab Episcopo approbati. Constat ex concilio Tridentino (sess. 23, *de Ref.*, cap. 15); item ex propositione ab Alexandro VII damnata : *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.*

2° Dicimus confessiones *sæcularium ;* nam possunt regulares licite et valide suorum religiosorum confessiones audire, absque ulla licentia aut approbatione Episcopi, modo facultatem a suis regularibus prælatis acceperint.

3° Et non tantum fratrum sui ordinis qui professionem emiserunt, sed etiam novitiorum, oblatorum, necnon famulorum qui intra septa et sub regularium obedientia degunt. Vide probatum infra, capite 5, quæstione 14.

4° Non tamen possunt absque Ordinarii approbatione audire confessiones monialium, quamvis sint ejusdem ordinis, et ipsis subjectæ, ut dicitur infra.

5° Episcopus nequit pro arbitrio omnes simul unius conventus confessarios jam approbatos facultate confessiones audiendi privare. Vide probatum infra (capite 5, quæstione 14).

Quæstio XIV^a. — *Quid circa eucharistiam et missæ sacrificium ?* — 1° Regulares delinquentes contra decretalem *Statuimus* (1, *de Custod. euchar.*) Innocentii III, qua præcipitur ut

Digitized by Google

eucharistia fideliter custodiatur *clavibus adhibitis*, possunt puniri non tantum a suo superiore, sed etiam ab Episcopo (vide Benedictum XIV, *de Synodo diœc.*, l. 9, c. 15, n. 4).

2° « Sacra Congregatio censuit non licere regularibus, « etiam in eorum propriis ecclesiis, sanctissimum eucharistiæ « sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa « publica quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem pri- « vata posse, dummodo sanctissimum sacramentum e taber- « naculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa sacra « hostia videri non possit. » (Hanc decisionem reperies apud Benedictum XIV, loco citato.) Quomodo autem intelligendum sit indigere regulares licentia Episcopi ad exponendum sanctissimum sacramentum, expenditur infra, c. 5, quæst. 13.

3° « Ne patiantur (*nempe Episcopi*) privatis in domibus, atque « omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum de- « dicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, « sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus qui- « buscunque peragi... Non obstantibus privilegiis, exemptioni- « bus, etc... » (Tridentina synodus, sess. 22, *de Observandis et vitandis in celebratione missæ.*) Hoc tamen decreto non comprehendi oratoria privata regularium, vide infra, c. 5, quæst. 4.

4° « Singuli Episcopi in suis diœcesibus interdicant, ne cui « vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat. » (Tridentina synodus, ibid.) Vi hujus decreti posse Episcopum regularibus exemptis injungere, sub pœna etiam suspensionis ipso facto incurrendæ, ne quempiam exterum sacerdotem in suis ecclesiis celebrare permittant sine prævia Ordinarii licentia, docet Benedictus XIV (*de Synodo diœces.*, l. 9, c. 15, n. 5). De quo binas declarationes S. Congregationis Concilii memorat Ferraris (verbo *Missæ sacrificium*, art. 4, n. 24).

Quomodo tamen, pro variis casibus, qui occurrere possunt, intelligenda sit licentiæ ab Episcopo obtentæ necessitas, expenditur infra, capite 5, quæstionibus 1, 2, 3 et 4.

5° Nequeunt regulares, extra diœcesim in qua ordinati sunt, celebrare, nisi Ordinario aut ejus vicario exhibuerint superio-

Digitized by Google

rum suorum testimonia, quibus constet ipsos esse sacerdotes, et nullo canonico impedimento irretitos. Quod sic declarat Benedictus XIV in constitutione sua *Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753 : « Institutum canonicum est, sacri Chalcedo-« nensis auctoritate firmatum, nemini advenæ in sacris con-« stituto licere ordinem, quo se insignitum asserit, exercere, « adeoque sacrum peragere, nisi litteras authenticas Ordi-« narii palam faciat, testimoniumque exhibeat, se nullo sus-« pensionis vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita canon 7 « distinctionis 71. Cui apprime consentit S. concilium Triden-« tinum sessione 22 *de Sacrificio missæ*; decreto *de Observandis* « *in celebratione missæ*; et capite 13 sessionis 23 *de Reforma-* « *tione*. Porro hujusmodi præscriptum regulares etiam respicit, « quoties extra diœcesim versantur, in quo ad sacros ordines « promoti fuere; proindeque susceptum ordinem exercere mi-« nime possunt, præsertim in ecclesiis quæ ad propriam sodali-« tatem non spectant, nisi prius Episcopis, aut vicariis genera-« libus vel foraneis, superiorum suorum documenta proferant, « quibus et obtenti ordinis testimonium, et libertas ab omni « canonico impedimento irregularitatis vel suspensionis per-« specta fiant. »

6° Postquam Tridentina synodus in citato decreto, plura disposuit circa missam et eucharistiam, Episcopis generaliter potestatem facit ut *quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi... etiam ut delegati sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris ecclesiasticis aliisque pœnis quæ illorum arbitrio constituantur, fidelem populum compellant; non obstantibus exemptionibus...* Vi horum verborum, posse Episcopum præter illa quæ Tridentino decreto statuuntur, alia quoque observanda præcipere, exemptis etiam regularibus, concludit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 9, c. 15, n. 5); modo tamen Episcopi ordinationes pertineant ad finem a synodo intentum, id est, « ad majorem illius « ineffabilis mysterii decorem et cultum, » ut ait laudatus Benedictus XIV.

Digitized by Google

Quæstio XV^a. — *Quid possit Episcopus in regulares, quoad monialium confessiones? Remissive.* — Cum magni momenti sit materia hæc, et de ea tractandum veniat sectione sequenti, capite 3, quæstione 23, lectorem ad hunc locum remittimus, ubi totam rem diligenter expendere conati sumus.

Quæstio XVI^a. — *Quid possit Episcopus in regulares, quoad monialium clausuram?* — 1° Episcopis mandavit Tridentina synodus (sess. 25, c. 1 *de Regul.*) *ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria; in aliis vero, sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium ubi violata fuerit diligenter restitui, et ubi inviolata est conservari maxime procurent: inobedientes... per censuras aliasque pœnas compescentes.*

2° Gregorius XV (constitutione *Inscrutabili* 5 februarii 1622, § 4), quoad regulares exemptos statuit ut, « *si deliquerint* circa « personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa « bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam « regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter, tanquam « ad hoc sedis Apostolicæ delegato, puniri et corrigi va- « leant. »

3° Ad dubium an voces *si deliquerint* intelligendæ forent de omnibus delictis, an vero solum de notoriis aut scandalum excitantibus, Sacra Congregatio Concilii respondit intelligendas esse de omnibus (ad dubium 13, inter decisa quæ referuntur post constitutionem *Inscrutabili*, in bullario editionis Cocquelines, tomo 5, parte 5, pag. 4).

4° Prohibentur regulares etiam exempti, et quidem sub gravi, ne absque obtenta Episcopi et superioris sui licentia, colloquantur cum monialibus etiam sibi subjectis. Atque id intelligendum est de collocutione etiam per *quodcunque modicum* temporis spatium; et etiamsi adesse videatur rationabilis causa. Ita variis temporibus fuisse auctoritate Apostolica statutum, vide apud Benedictum XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 15, n. 7).

5° Translatio monialis ab uno monasterio ad aliud, et licentia egrediendi e conventu, concedi nequit nisi a sede Aposto-

Digitized by Google

lica; exceptis tamen casibus (utpote moram non patientibus) incendii, infirmitatis lepræ, et pestis. In dictis autem repentinis casibus, præter licentiam superioris regularis, necessaria etiam est licentia Ordinarii, quamvis moniales regularibus subjiciantur. Ita statutum a sancto Pio V, vide apud Benedictum XIV (*de Synodo diœces.*, l. 9, c. 15, n. 8).

Quæstio XVII^a. — *Quid possit Episcopus in regulares, quoad admissionem Tertiariarum ad habitum sui ordinis?* — Nequeunt jam regulares habitum sui ordinis mulieribus Tertiariis conferre, absque licentia Episcopi. Quæ licentia concedenda non est antequam Episcopo constet, *primo*, regularibus datum esse privilegium a sede Apostolica sui ordinis habitum concedendi ejusmodi feminis collegialiter non viventibus : *secundo*, feminas habitu induendas, esse bonis moribus præditas : *tertio*, exactos ab ipsis fuisse annos 40 : *quarto*, ipsis necessarios ad vitæ sustentationem redditus propriis bonis suppetere : *quinto*, ipsas non cohabitare cum aliis personis, quam sibi in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctis (vide Benedictum XIV, *de Syn diœc.*, l. 9, c. 15, n. 11).

Quæstio XVIII^a. — *Quid possit Episcopus in monasteria monialium, sedi Apostolicæ immediate subjectarum, et quæ regularium prælatorum gubernio non fuerunt subditæ?* — Monasteria illa regi debent ab Episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis, ex capite 9 sessionis 25 (*de Regularibus*) Tridentinæ synodi. Sed hoc inelligendum « de gubernio *spirituali*, non de *temporali*, refert decisum Barbosa. » (Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decretalium, n. 142.)

Quæstio XIX^a. — *Quid possit Episcopus in regulares, quoad librorum impressionem?* — Sic decrevit Tridentina synodus (sess. 4, *de Editione librorum*) : « Nullique liceat imprimere, « vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris..., nisi « primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœ- « na anathematis et pecuniæ, in canone concilii novissimi « Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra exami-

Digitized by Google

« nationem et probationem hujusmodi, licentiam quoque a « suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos « libris, juxta formam suarum ordinationum. »

In concilio Lateranensi, sub Leone X, sic statutum fuerat : « Nullus librum aliquem, seu aliam quamcunque scriptu- « ram... imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius, « in Urbe per Vicarium Nostrum et sacri palatii Magistrum, « in aliis vero civitatibus et diœcesibus, per Episcopum (vel « alium habentem peritiam scientiæ libri seu scripturæ hujus- « modi imprimendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandum), « ac inquisitorem hæreticæ pravitatis, civitatis sive diœcesis « in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter « examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem « (sub excommunicationis sententia gratis et sine dilatione « imponendam) approbentur. » Et in contravenientes decernitur, inter alias pœnas, excommunicatio ipso facto incurrenda. Initio decimæ ex regulis quæ *Indicis* dicuntur, sic præcipitur : « In librorum aliarumve scripturarum impres- « sione servetur quod in concilio Lateranensi sub Leone X, « sessione 10, statutum est. »

In instructione vero Clementis VII, dictis regulis adjecta (de impressione librorum, § 2) occurrit monitio hæc : « Re- « gulares, præter Episcopi et inquisitoris licentiam (de qua « regula decima dictum est), meminerint teneri se, sacri con- « cilii decreto, operis in lucem edendi facultatem a prælato « cui subjacent obtinere. Utramque autem concessionem, « quæ appareat, ad principium operis imprimi faciant. »

Tandem in observationibus Alexandri VII, ad regulam decimam Indicis adjectis, sic disponitur quoad auctores in statu Pontificio degentes, et libros suos alibi imprimendos mittentes : « Observandum est circa regulam decimam, quod « degentes in statu sedi Apostolicæ mediate vel immediate « subjecto, non possunt transmittere libros a se compositos « alibi imprimendos, sine expressa approbatione et in scri- « ptis Eminentissimi ac rev. Cardinalis Vicarii, et Magistri

Digitized by Google

« sacri palatii, si in Urbe; si vero extra Urbem (1) existant, « sine Ordinarii loci illius... facultate et licentia, operi infigenda. » (Documenta hæc reperies in recentioribus editionibus libri indicis.)

His præmissis, videtur obligatio regularium, quoad imprimendos suos libros, sic paucis determinari posse : 1° Ab ipsis ea omnia servanda sunt ad quæ tenentur scriptores sæculares. 2° Tenentur insuper licentiam habere a superioribus sui ordinis. 3° Necessaria est regularibus utraque licentia, non tantum pro imprimendis *libris de rebus sacris*, de quibus duntaxat loquitur Tridentina synodus, sed ad imprimendum librum aut scripturam *qualemcunque;* quia id sequitur ex Laterano decreto, quod servandum decernit regula decima Indicis. 4° Si regularis in statu Pontificio degat, et librum alibi imprimendum mittere velit, observanda insuper ab ipso erit supra adducta Alexandri VII dispositio. Unde tandem ad jus Episcopi quod attinet, dici potest jus illud idem esse quoad regularem, ac quoad sæcularem scriptorem.

Objicies. — In dictis decretis non fit mentio de regularibus *exemptis*, nec occurrit clausula *non obstantibus exemptionibus;* ergo regulares a jurisdictione Ordinarii immunes ejus facultatem ad imprimendum impetrare non tenentur. — Respondeo : cum fere omnes religiosi ordines sint exempti, inutile fuisset regulares Ordinario quoad istam licentiam subjicere, nisi id intelligendum etiam foret de exemptis. Nec ullum reperi canonistam, qui exemptos ab hac subjectione excipiat, aut difficultatem illam moveat.

Quæstio XX^a^. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad indulgentiarum publicationem?* — Nequeunt regulares, absque Ordinarii licentia, indulgentias, quas a sede Apostolica impetrarunt, publicare : quod tamen intelligendum est, non de antiquis indulgentiis, sed de noviter concessis (id vide probatum apud Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decretalium, n. 145).

(1) Intellige, *sed in statu Pontificio.*

Digitized by Google

Quæstio XXIª. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad officium prædicationis?* — 1° Nequeunt regulares prædicare extra ecclesias sui ordinis absque obtenta Ordinarii licentia. 2° In ecclesiis sui ordinis prædicare possunt post pet tam Episcopi benedictionem, etiamsi eam non obtineant, modo tamen Episcopus non contradicat. 3° Si Episcopus non tantum a concedenda dicta benedictione abstineat, sed prohibeat ne prædicetur, regularis ne in sui etiam ordinis ecclesia prædicare poterit. Constant tria hæc ex Tridentina synodo (sess. 5, c. 2, et sess. 24, c. 4, *de Ref.*). 4° « Si prædicator errores aut « scandala disseminaverit, etiamsi in monasterio sui vel alte- « rius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem inter- « dicat... Curent autem Episcopi ne quis prædicator, vel ex « falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, jus- « tamve de eis conquerendi occasionem habeat. » (Trid. synodus, sess. 5, c. 2, *de Ref.*). 5° Asserta sub quatuor præmissis numeris intelligenda sunt etiam de regularibus exemptis. Id constat ex constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV, 5 februarii 1622, in qua sic habetur : « Sane Tridentinæ synodi decretis « provide cautum est... ut regulares in ecclesiis suorum « ordinum prædicare volentes, se coram Episcopo præsen- « tare, et ab eis benedictionem petere teneantur : in ecclesiis « vero, quæ suorum ordinum non sunt, nullo modo prædi- « care possint sine Episcopi licentia : contradicente autem « Episcopo, nulli, etiam in suorum ordinum ecclesiis, prædi- « care præsumant... Habeat Episcopus tanquam dictæ Sedis « delegatus, auctoritatem coercendi ac puniendi *quoscunque* « *exemptos* tam sæculares quam regulares, qui in alienis eccle- « siis aut quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi « licentia ; et in ecclesiis suis aut suorum ordinum, non petita « illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præ- « sumpserint. » (Alia multa de hac re, vide sequenti sectione, cap. 5, § 2.)

Quæstio XXIIª. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad causas fidei?* — Certum est regulares etiam exem-

Digitized by Google

ptos, in causa hæreseos, et aliis ad tribunal Sancti Officii spectantibus, subjacere tum inquisitoribus, tum etiam Episcopis tanquam a sede Apostolica delegatis (capite *Ad abolendam*, § ultimo, *de Hæreticis;* et capite *Ut officium*, § *Denique, de Hæreticis*, in 6).

Quæstio XXIII^a^. — *An possit Episcopus abbates et alios regulares exemptos obligare, ut diœcesanæ synodo intersint?* — Sic a Tridentina synodo statutum fuit (sess. 24, c. 2, *de Ref.*): « Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas « exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione inter« esse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, acce« dere teneantur : ratione tamen parochialium aut aliarum « sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii qui « illarum curam gerunt, quicunque illi sint, synodo interesse. » Quo attento decreto solvenda est proposita quæstio in hunc modum :

1° Regulares qui curam habent alicujus ecclesiæ parochialis aut alicujus ecclesiæ sæcularis, ad synodum accedere tenentur, quamvis sint exempti, et quamvis capitulo generali sui ordinis subjiciantur.

2° Regulares exempti, quibus dicta cura non incumbit, si subdantur capitulo generali sui ordinis, non tenentur synodo interesse.

3° Regulares exempti qui non subduntur capitulo generali sui ordinis (1), quamvis nullius ecclesiæ parochialis aut sæcularis curam habeant, tenentur Episcopo, eos ad synodum vocanti, obedire. Nam Tridentina synodus excipiendo eos, *qui subduntur capitulis generalibus*, ab obligatione veniendi ad synodum, hoc ipso subjectos illi obligationi constituit eos qui *non subduntur*. « Cum enim (ait Benedictus XIV, *de Synodo diœces.*, « l. 3, c. 1, n. 8) exceptio firmet contrariam regulam pro non

(1) Regulares, capitulo generali non subjecti, ii sunt quorum monasterium non coalescit cum aliis monasteriis in unum corpus seu in unam congregationem, cui tanquam suprema potestas aliquod capitulum generale ex instituto præficiatur.

Digitized by Google

« exceptis, manifestum inde fit, regulares generali capitulo non « subjectos, nulla ratione posse se a synodo subducere, sicuti « optime perpendunt Fagnanus..., Cardinalis de Luca..., Cardi- « nalis Petra... »

4° Hinc patet solutio ad quæstionem, an ipsi etiam abbates exempti teneantur synodo diœcesanæ interesse. Non tenentur, si generali capitulo subjiciantur : secus tenentur. Quod sic exponit Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 3, c. 1, n. 8) : « Si « vero abbates una cum monasteriis quæ regunt, sunt omnino « ab Episcopi jurisdictione exempti, non ideo tamen sunt sta- « tim liberi pronuntiandi ab obligatione interveniendi synodo « episcopali : sed considerandum est an simul cum aliis sui or- « dinis monasteriis coalescant in unum corpus, seu conficiant « unam communitatem, cujus singula membra subdantur ca- « pitulo generali ejusdem ordinis : vel potius monasteriis præfi- « ciantur, quorum quodlibet solitarium est, nullam nimirum « habens cum aliis ordinis monasteriis conjunctionem, nullam « societatis et mutuæ communicationis vinculum; atque ideo « eorumdem monasteriorum prælati nullum superiorem gene- « ralem agnoscunt, cujus capitulo subjiciantur; cujus generis « monasteria non pauca extra Italiam reperiri, exploratum est « omnibus. Primi non coguntur accedere ad Episcopi syno- « dum : secundi omnino accedere debent; illos siquidem, et non « istos exemit Tridentinum. »

5° Expositam doctrinam hodiernis Galliæ religiosis applicando, dicendum est, Patres Carmelitas, Dominicanos et societatis Jesu, cogi non posse ut diœcesanæ synodo intersint. Nam hi omnes et sunt exempti, et generali sui ordinis capitulo subjiciuntur.

De Benedictinis autem Solesmensibus contrarium dicendum est quandiu eorum congregatio tria saltem monasteria non habebit. Nam sicut tres saltem requiruntur monachi, ut constituatur particulare monasterii capitulum, ita tria saltem requiruntur in aliqua congregatione monasteria, ut exurgat *generale* ordinis seu congregationis capitulum. Cum ergo dicti

Digitized by Google

Benedictini Solesmenses, generali capitulo nondum subjiciantur, de iis sunt quos Tridentina synodus, non obstante exemptione, subjectos voluit obligationi accedendi ad episcopalem synodum. Cui obligationi subest ipsemet Solesmensis abbas, ex eadem ratione. Statim autem ac tribus saltem monasteriis constabit, præfata congregatio (et faxit Deus ut in multo plura crescat et multiplicetur novella plantatio, quæ tam eximios jam fructus protulit!) ab ista obligatione hoc ipso immunis evadet.

Quæstio XXIVª. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad ipsorum novitios?* — 1° Nequeunt novitii bonis suis valide renuntiare absque licentia Episcopi aut ipsius vicarii generalis, et infra duos menses ante professionem. 2° Si novitius abeat, omnia quæ sua erant debent ipsi a conventu restitui, et (si opus sit) potest Episcopus regulares ad id censuris compellere. 3° Ad Episcopum pertinet explorare voluntatem puellarum religionem ingredientium. Varias quæstiones de hoc Episcoporum circa novitios et novitias jure, vide supra, parte IV, ubi ex professo de hac materia disseruimus.

Quæstio XXVª. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad causas nullitatis professionum?* — Judicium in causis ejusmodi pertinet ad Episcopum, non quidem solum, sed conjunctim cum superiore religiosorum (vide id evolutum supra, parte IV).

Quæstio XXVIª. — *Quid circa pulsationem campanarum in sabbato majoris hebdomadæ?* — Nequeunt regulares, quamvis exempti, campanas ecclesiæ suæ pulsare, antequam pulsetur campana cathedralis vel majoris ecclesiæ (constitutione Leonis X *Sacra approbante*). « Unde in casu quo ecclesia inferior « dicto sabbato sancto citius absolvit actum solemnem illius « diei, citiusque sub missa incipit *Gloria in excelsis*, quam « ecclesia cathedralis vel major illius loci, non potest ad *Gloria* « *in excelsis* pulsare campanam majorem (bene tamen tintinna- « bulum intra parietes ecclesiæ), sed debet expectare donec cam- « panæ in ecclesia majori pulsentur; et tunc primum cum illa

Digitized by Google

« campanam majorem pulsare. » (Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decret., n. 161.)

Quæstio XXVII^a. — *An possit Episcopus regulares exemptos compellere ad habendum professorem Scripturæ sacræ?* — Id potest Episcopus tanquam sedis Apostolicæ delegatus, modo commode fieri possit (Tridentina synodus, capite 1 sessionis 5, *de Ref.*).

Quæstio XXVIII^a. — *Quid possint Episcopi in regulares exemptos, quoad executionem decretorum concilii Tridentini?* — Tridentina synodus (capite ultimo sessionis 25 *de Regularibus*) disposuit ut, si regularium capitula provincialia aut generalia non procurent observari dictæ sessionis 25 decreta, providere valeat *concilium provinciale*, aliquos ad id deputando (vide Fagnanum, in cap. *Grave*, *de Officio Ordinarii*, n. 73).

Quæstio XXIX. — *An possit Episcopus regulares cogere ut intersint casuum conscientiæ collationibus?* — 1° Cogere ad id potest regulares curam animarum exercentes. 2° Cæteros vero regulares compellere nequit, etiamsi sint confessarii. Nec liberum est Episcopo, dum regulares approbat pro confessionibus sub ea conditione eos approbare, quod casuum collationibus intererunt. Constant hæc pluribus S. Congregationis Concilii decisionibus.

1° Quod compelli valeant regulares curam exercentes, sic adnotatur in causa *Trevirensi* (2 aprilis 1729, *Thesaurus resol.*, tom. 4, pag. 278) : « Adsunt etiam plura decreta ejusdem « Sacræ Congregationis, quibus præcipitur quod curati seu « vicarii parochialium monasteriis unitarum accedant ad con- « gregationes casuum conscientiæ, et renuentes possint juris « remediis ab Episcopo compelli ut præcipue in *Laudensi*..., « pluribus aliis relatis per Monacellum, *Formularium legale*, « parte 1, tit. 6, formula 20, n. 15. »

2° Quod cæteri regulares, quamvis pro sæcularium confessionibus audiendis approbati, compelli ab Episcopo nequeant ut dictis collationibus intersint, decisum etiam fuit pluries, verbi gratia, in causa *Aquipendii* (12 martii 1718, tomo 1 *Thesauri*

Digitized by Google

resol.), posito dubio, *an in casu de quo agitur permissum esse valeat Episcopo concedenti sacerdotibus regularibus facultatem audiendi confessiones sæcularium, injungere ut intersint congregationibus casuum conscientiæ,* responsum est : *Negative, et detur decretum in Forosemproniensi* 12 *maii* 1688. In illa autem causa Forosemproniensi, ad dubium : *An prædictos confessarios regulares cogere possit ad interessendum præfatæ congregationi casuum conscientiæ?* Sacra Congregatio respondit *negative*. Quæ decisio refertur in citata causa Aquipendii (*Thesaurus*, tom. 1, pag. 30, edit. Urbini, 1739).

Quæstio XXX^a^. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad ipsorum parvos conventus, et grancias?* — Innocentius X, suo decreto *In parvis*, diei 10 februarii 1654, restituit regularibus, quæ aboleverat minus frequentia cœnobia, quæ aliquando in parvis et dissitis oppidis opportunissima sunt. Legem autem retinuit, qua non solum regulares in eis degentes, sed cœnobia, *visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni* Ordinarii subjecit...

Plurimæ de his ortæ sunt controversiæ anno 1655 ; quas jubente Pontifice abstulit Sacra Congregatio super statu regularium. Inter eas proponebatur : 5° *An Ecclesiæ dictorum conventuum, et capellæ granciarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint?* 6° *An ipsæ granciæ, et conversi in iis degentes subsint visitationi Episcopi?* 7° *Quid in ecclesiis seu capellis granciarum, in quibus nullus degit conversus, an similiter subsint visitationi Episcopi?* Responsum est : *Ad* 5, *posse : ad* 6, *subesse : ad* 7, *item subesse.*

Aliæ propositæ fuerunt anno 1670... : 2° *An jus visitandi ecclesias granciarum et publica oratoria Ordinario competat privative quoad superiores regulares, an vero cumulative cum ipsis?* Respondit : *ad* 2, *quoad ecclesias et oratoria publica jus visitandi competere Ordinario privative : quoad conversos autem in eis degentes cumulative ; Ordinario scilicet, jure delegato ad formam sacri concilii Tridentini.* Ad 5 : *An granciæ seu*

Digitized by Google

membra alicujus monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex religiosi, subsint jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum superioribus regularibus? Respondit : *Grancias seu membra alicujus monasterii nunquam suppressi, in quibus non degunt saltem sex religiosi, subesse jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci ac superiorum regularium cumulative; videlicet Ordinario tanquam sedis Apostolicæ delegato, ex prædicto decreto* Ut in parvis; *regularibus autem jure ordinario.* (Hæc transcripsimus ex causa *Novariensi* 15 decembris 1764, *Thesaurus*, tomo 33.)

Quæstio XXXIa. — *Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad exigendam sibi debitam reverentiam?* — « Quamvis « ex privilegio quis sit exemptus a jurisdictione Episcopi, « adhuc tamen tenetur Episcopo reverentiam præstare. Hinc « cum Episcopi venerint in regularium exemptorum ecclesias « ad celebrandum, reverenter recipiendi sunt. Possunt ipsi « etiam in regularium ecclesiis quantumvis exemptis, populo « benedicere, atque in pontificalibus celebrare, sicque uti « baldachino. (Clementina *Archiepiscopo*, 2 *de Privilegiis.*) « Quinimo juxta decretum Sacræ Congregationis Episcopo- « rum et regularium, 1608, die 11 junii emanatum, et a Cle- « mente VIII approbatum, regulares et alii exempti, nolentes « assentiri usui badalchini, possunt ab eisdem episcopis per « censuras et pœnas ecclesiasticas ad hoc compelli, prout « amplius liquet ex tenore dicti decreti; quod verbatim refert « Barbosa, parte 3, *de Officio et potestate Episcopi,* allega- « tione 80, n. 16. » (Reiffenstuel, in tit. 31 libri 1 Decret., n. 168.)

Quæstio XXXIIa. — *An supra enumerata Episcoporum in regulares exemptos jura, intelligenda sint duntaxat relative ad exemptionem communem, an vero etiam relative ad quodlibet speciale exemptionis privilegium?* — Potest sedes Apostolica ita speciale privilegium alicui monasterio vel alicui ordini religioso concedere ut Ordinario non subjiciatur, etiam in his in quibus alias subjiceretur, si communem seu ordinariam duntaxat exemptionem haberet. Hinc quando regulares *spe-*

Digitized by Google

cialia ejusmodi privilegia obtendunt, ne in prædictis casibus Episcopo subjiciantur, liberum non est Episcopo statim ad eos compellendos procedere, ex ea ratione quod jura illa etiam *in exemptos* habeat; sed regulares admittere debet ad exhibenda et probanda specialia sua privilegia. De quorum valore si revera constiterit, officium Episcopi est ut iis sese accommodet.

Nota. — Casus enumerando in quibus regulares, quamvis exempti, Episcoporum jurisdictioni subjacent, nonnullos omisimus, utpote scitu minus utiles. Eos reperiet lector apud Fagnanum (in cap. *Grave, de Officio Ordinarii*).

§ VIII.

De potestate Episcopi in regulares qui sunt nullius diœcesis.

Quæstio I^a^. — *Quid sit esse nullius?* — « Constituitur locus « nullius diœcesis, non per simplicem exemptionem a juris- « dictione diœcesani, sed per dismembrationem territorii, « cum omnimoda jurisdictione inferioris prælati in clerum et « populum, excluso Episcopo. » (Fagnanus, in cap. *Grave, de Officio Ordinarii,* n. 10.) Hinc locus *nullius* non dicitur nec rigorose dici potest esse *in diœcesi.* E contra, si locus sit tantummodo exemptus, *in diœcesi* esse reputatur et dicitur; prout constat, verbi gratia, capite *Cum Episcopus* (*de Officio Ordinarii*, in 6), ubi dicitur, *in qualibet parte suæ diœcesis, dummodo in loco non exempto.* Proinde quando in Tridentinis decretis agitur de ecclesiis aliisve locis *in diœcesi existentibus*, hoc ipso concludi debet, decretis illis non attingi loca *nullius;* quia si voluisset synodus loca etiam *nullius* comprehendere, non adhibuisset voces illas *in diœcesi existentia.* « Ecclesiæ nul- « lius diœcesis, inquit Fagnanus (loco citato), neque sunt *de diœ-* « *cesi*, neque *in diœcesi,* ut verba ipsa sonant. »

Quæstio II^a^. — *Quid possit Episcopus in ecclesias regulares nullius diœcesis?* — Regula generalis est, nullam Episcopo ju-

Digitized by Google

risdictionem in ejusmodi ecclesias competere. Quæ generalis regula unicam patitur exceptionem : potest nempe Episcopus beneficia regularia nullius, intra diœcesis suæ fines constituta, ad contribuendum pro seminario cogere, cum ita expressè statuerit Tridentina synodus (sess. 23, cap. 18). De quo sic Fagnanus (in cap. *Grave, de Officio Ordinarii*, n. 19) : « Ecclesiæ autem nullius diœcesis, aut sunt regulares, aut sæculares : si regulares, Episcopus non potest eas visitare, nec « ullam in eas auctoritatem exercere ; quia caput 9 sessionis 24 (Tridentinæ synodi) restringit se ad ecclesias *sæculares* duntaxat ; quemadmodum et caput 18 sessionis 23, « quod seminario clericorum jubet uniri beneficia *etiam nullius* « *diœcesis*, statim adjicit verba illa, *non tamen regularia*. Quod « procedit, etiamsi prædictis ecclesiis regularibus nullius « diœcesis cura animarum immineat ; quia caput 11 sessionis « 25 *de Regularibus*, non habet locum in ecclesiis nullius diœcesis, ut patet ibi : *Episcopi in cujus diœcesi sita sunt*. Item « procedit sive sint commendatæ, sive non.

« Solum in casu capitis 18 sessionis 23, regularia beneficia « nullius diœcesis Episcopi jurisdictionem agnoscunt, cum « obligentur contribuere seminario Episcopi, ut patet ibi : « *Beneficiorum quorumcunque etiamsi exempta, etiamsi nullius* « *diœcesis*. »

Quæstio IIIª. — *Quid possit Episcopus in personas regulares nullius?* — Superiori quæstione diximus de *ecclesiis* nullius : dicendum hic de personis. « Si personæ nullius diœcesis sint « regulares (ait Fagnanus, loco citato, n. 24), nullatenus visitationi Episcopi subjiciuntur ; quia dictum caput 9 sessionis 24, ut superius dictum est, restringit se ad ecclesias « sæculares tantum. Quod habet locum etiamsi regulares nullius diœcesis, in monasteriis seu domibus regularibus, aut « alias, animarum curam personarum sæcularium exerceant ; « quia decreta concilii (Tridentini), quæ subjiciunt regulares « jurisdictioni Episcopi, in his quæ dictam curam et sacramentorum administrationem concernunt, restringunt se ad

Digitized by Google

« loca quæ *in diœcesi* Episcopi sita sunt... Et in his terminis « etiam loquitur constitutio Gregorii XV de exemptorum « privilegiis : non enim comprehendit personas nullius diœce- « sis, ut alias Sacra Congregatio declaravit. Quemadmodum « autem Episcopus non potest regulares nullius diœcesis visi- « tare, ita nec ullam in eos jurisdictionem exercere...

« Verumtamen in duobus casibus regulares eorumdem loco- « rum (1) agnoscunt Episcopi superioritatem : *primus* est quoad « ordines suscipiendos; in capite 10 sessionis 23 (2) ; *secundus* « est quoad litteras dimissorias ; in eodem capite 10. Nam su- « periores regulares nullius diœcesis, subditis regularibus di- « missorias concedentes ex sententia Sacræ Congregationis te- « nentur illas dirigere ad Episcopum proximiorem, vel ad « Episcopum intra cujus diœcesis fines existunt. »

CAPUT III.

DE PRIVILEGIO REGULARIUM SIBI ELIGENDI CONSERVATORES.

« Conservatores communiter definiri solent, quod sint parti- « culares judices a summo Pontifice delegati ad aliquos defen- « dendos contra manifestas injurias, molestias et violentias, « absque indagine judiciali. » (Ferraris, voce *Conservatores*, n. 1). Privilegium habent regulares, ut mox probabitur, ejusmodi judices sibi eligendi, servatis certis conditionibus; ita ut ad illos judices, legitime electos, exclusive pertineat certas regularium causas dirimere, nec possint causæ illæ ab ordinario Episcopi tribunali judicari. Ut autem privilegium illud regularium recte intelligatur, duo præstabimus : 1° juris

(1) Intellige, locorum *nullius diœcesis*.

(2) Vi nempe hujus capitis, ordinatio regularium, etiam nullius diœcesis, pertinet ad Episcopos, *intra quorum diœcesis fines* regulares illi existunt. Sed hoc intelligendum est, secluso *speciali* privilegio, ut possint ordinari a quocunque Episcopo. Quo privilegio gaudent nonnulli ordines religiosi.

Digitized by Google

textus ad rem facientes subjiciemus : 2° quomodo dictum privilegium intelligi debeat determinabimus.

§ I.

Colliguntur variæ juris dispositiones circà judices conservatores.

I. Sic decrevit Innocentius IV anno 1250 : *Statuimus ut conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis et violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos : nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem* (cap. 1, *de Officio judicis delegati*, in 6).

II. Bonifacius VIII, circa annum 1299, ita sancivit : *Hac constitutione perpetuo valitura sancimus, ut conservatores, qui aliquibus (ut a manifestis injuriis et violentiis tueantur eosdem) plerumque a sede Apostolica conceduntur, de cætero deputari non possint, nisi Episcopi vel eorum superiores, aut abbates, seu dignitates vel personatus in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtinentes : nullusque deputati sibi conservatoris esse valeat conservator : nec aliquis (regibus et reginis... exceptis) deinceps conservatorem habeat eum, qui sub ipsius jurisdictione, dominio, vel districtu ecclesiastico vel temporali consistat* (cap. *Hac constitutione* 15, *de Officio judicis deleg.*, in 6).

III. Idem Bonifacius VIII, anno 1302 (cap. *Statutum* 11, *de Rescriptis*, in 6) decrevit hoc modo : *Sancimus igitur ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causæ auctoritate litterarum sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem de cætero committantur : nec audianturalibi, quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.*

IV. Tridentina synodus (capite 5, sessionis 14, *de Reformatione*) conservatorum jurisdictionem intra nonnullos fines restringit ; sed ab hoc suo decreto excipit regulares. Sic enim habetur sub finem dicti capitis : *Universitates autem generales, ac collegia doctorum seu scholarium, et regularia loca, necnon*

Digitized by Google

hospitalia; ac universitatum, collegiorum, locorum et hospitalium hujusmodi personæ, in præsenti canone minime comprehensæ, sed exemptæ omnino sint et esse intelligantur. Unde Tridentina synodus quoad regularium conservatores jus antea vigens non immutavit.

V. Constitutio *Sanctissimus* Gregorii XV, 20 septembris 1621 : « § 2. In futurum vero Sanctitas Sua hac generali et « perpetuo valitura constitutione statuit et decrevit, ut judices « conservatores hujusmodi, sive principales sive subrogati, « eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi, non solum ha- « beant qualitates requisitas et descriptas in constitutione... « Bonifacii Papæ VIII..., quæ incipit *Statutum*, ita ut vel di- « gnitate ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes « vel ecclesiarum cathedralium canonici existant, sed etiam « in conciliis provincialibus aut diœcesanis, juxta decretum « concilii prædicti (intellige Tridentini), judices electi seu « designati sint...

« § 5. Cæterum ut latius pateat conservatorum hujusmodi « deligendorum facultas, Sanctitas Sua admonitos voluit lo- « corum Ordinarios, ut in synodis provincialibus aut diœce- « sanis quamplures personas, ex habentibus qualitates in « prædicta constitutione ejusdem Bonifacii prædecessoris « contentas, et alioquin ad id aptas, designari procurent; « et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substi- « tuat Ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus lo- « cum, usque ad futuram provincialem aut diœcesanam syno- « dum...

« § 8. Conservatores hujusmodi semel legitime deputati, « nisi ex legitima causa, a sede Apostolica, aut locorum Or- « dinariis (prout iisdem regularibus et aliis supra dictis libuerit) « approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri « aut mutari nullatenus possint aut valeant.

« § 9. Ad hæc statuit Sanctitas Sua, ut coram ipsis conser- « vatoribus regulares ac personæ supra scriptæ conveniri « quidem aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere

Digitized by Google

« non possint; ita ut memorati conservatores in causis, in qui-
« bus regulares aut alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdic-
« tionem habeant...

« § 10. Si quæ vero inter judices conservatores hujusmodi et
« locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdi-
« ctionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per
« arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia
« fuerit judicatum. »

VI. E verbis paragraphi 9, transcriptæ constitutionis Gregorii XV, ubi statuitur, ut regulares *conveniri* quidem debeant coram judicibus conservatoribus, ipsi vero non possint *alios convenire*, enatum est et a S. Congregatione Concilii decisum sequens dubium :

« An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent
« conservatores defendendi regulares et alios a manifestis
« injuriis et violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a
« suis possessionibus dejiciuntur et propriis bonis uti ac frui
« impediuntur?

« S. Congregatio... censuit, ejusmodi verbis minime subla-
« tam fuisse facultatem, quam habent conservatores defendendi
« regulares a manifestis injuriis ac violentiis, dummodo obser-
« vent formam præscriptam a constitutionibus Innocentii IV et
« Bonifacii VIII, relatis in capite 1, et in finali, *de Officio dele-*
« *gati*, in 6. »

Hanc decisionem reperies post constitutionem *Sanctissimus* Gregorii XV (in bullario editionis Cocquelines, tomo 5, parte 4, p. 387). Atque ex illa patet, posse a regularibus conveniri coram conservatorum tribunali eos qui ipsis manifestam injuriam inferunt.

§ II.

Determinatur jus quoad regularium conservatores.

I. Privilegium sibi eligendi conservatores competit, non tantum iis regularibus, qui per rescriptum Pontificium illud

Digitized by Google

obtinuerunt, sed etiam aliis omnibus, ob privilegiorum communicationem. Id satis palam faciunt hæc Ferrarii verba : « Conservatores sibi eligere possunt regulares omnes, nedum « qui ad hoc expressa et peculiaria privilegia a sede Apostolica obtinuerunt, sed et cæteri alii, virtute communicationis « privilegiorum cum ipsis ; ut expresse declaravit S. Con- « gregatio Concilii 12 septembris 1620. » (Ferraris, voce *Conservatores*, art. 1, n. 2.)

II. Certum est, ex supra transcripta constitutione Gregorii XV, non posse a regularibus eligi in conservatorem, nisi aliquis ex judicibus synodalibus.

III. « Si autem in diœcesi nulli reperiantur judices syno- « dales, tunc ne regulares suo sine culpa sua priventur jure, « poterunt quem maluerint, in conservatorem assumere ; modo « tamen qualitatibus præstet, quas Bonifacius VIII in citato « capite *Statutum* exposcit... At si postea synodus celebretur, « in qua synodales judices constituantur, statim cessat jurisdi- « ctio prædictorum conservatorum, iterumque a Gregoriana « constitutione adiguntur regulares ad aliquem eligendum ex « designatis in synodo. » (Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 4, c. 6, n. 3.)

IV. « Regulares debent eligere conservatores in singuli « diœcesibus, in quibus monasteria, conventus seu domus re- « gulares habent. » (Sunt verba S. Congregationis Concilii, in *Langianensi*, 29 januarii 1633, citata a Ferrario, ibid., n. 17), et ita pluries fuit decisum. Unde nequit unus et idem conservator pro diversis diœcesibus constitui, quia nempe disposuit Gregorius XV, ne conservator extra diœcesim jurisdictionem ullam haberet (vide Benedictum XIV, loco cit., n. 4).

V. An possit a regularibus in conservatorem eligi Episcopus aut majori dignitate insignitus, disputant auctores, et videtur distinguendum. 1° Nequit eligi Episcopus aut Archiepiscopus alterius diœcesis. Id sequitur ex dictis sub præcedenti numero, et fuit pluries a S. Congregationibus decisum (vide Benedictum XIV, citato loco). 2° Si adsint in diœcesi judices syno-

Digitized by Google

dales, non poterit eligi Episcopus Ordinarius diœceseos; quia tunc eligi debet aliquis ex judicibus synodalibus, de quorum numero nunquam est ipse Ordinarius. Si quis tamen alius præter Ordinarium Episcopus in diœcesi degat, et fuerit electus in judicem synodalem, poterit is in conservatorem eligi. 3° Si non adsint in diœcesi judices synodales, eligi in conservatorem poterit sive ipse Ordinarius, sive alius etiam Episcopus in diœcesi degens; quia ad terminos decretalis Bonifacii VIII eligi potest episcopali aut majori dignitate insignitus, et in posito casu nulla est ratio cur hæc decretalis suum effectum habere nequeat (vide Benedictum XIV, loco cit., n. 4).

VI. Canonici collegiatarum non possunt eligi in judices conservatores. Quamvis enim Bonifacius VIII eos inter eligibiles enumeraverit in sua priori decretali *Hac constitutione,* exclusi remanent per constitutionem Gregorii XV, utpote qua statutum fuit, non posse eligi conservatores nisi inter *judices synodales:* porro « canonici ecclesiæ collegiatæ non possunt eligi « in judices synodales, ut declaravit Sacra Congregatio Con- « cilii » (Ferraris, voce *Conservatores*, art. 1, n. 9); et præterea dicta constitutio Gregorii XV in enumeratione eligibilium comprehendit quidem canonicos cathedralium, sed canonicos collegiatarum excludit.

VII. Conservatores regularium eligi possunt, vel a superioribus generalibus, vel a provincialibus, vel a localibus, juxta religionum consuetudinem (Ferraris, ibid., n. 23).

VIII. Semel legitime electi et deputati, non possunt per quinquennium removeri seu mutari a regularibus, nisi ex causa, per Papam vel per Ordinarium approbanda : constat ex constitutione supra transcripta Gregorii XV, § 8.

IX. In conservatorem a regularibus eligi nequit aliquis superior *temporarius*, sive ejusdem sive alterius ordinis, quamvis foret in dignitate constitutus. Id sancivit Clemens XIII in constitutione 9 calendas maii 1762, quam refert Ferraris (voce *Conservatores*, art. 1, n. 31).

X. Conservatores non possunt sibi alios ministros assumere

Digitized by Google

præter notarium. Ita decisum fuisse vide apud Benedictum XIV (*de Syn. diœc.*, l. 4, c. 6, n. 6).

XI. Jus habent regulares, ut causa ad tribunal conservatoris sui perferatur, quando *manifesta* injuria ipsis illata fuit. Tunc nempe ad conservatorem exclusive pertinet de causa cognoscere et pronuntiare. Et hoc intelligendum est, etiamsi regulares sint actores, modo ita actores sint ut petant *se defendi a manifesta sibi illata injuria*. Sequitur ex decisione, quam post Gregorii XV constitutionem retulimus.

XII. Si injuria regularibus illata non sit *manifesta*, seu, quod idem est, si requirat *judicialem indaginem*, judex conservator nullam habet jurisdictionem. Imo si tunc sese tali causæ intromittat, ab officio per unum annum suspenditur, et pars quæ procuravit ut causa ad ejus tribunal deferretur, excommunicationem incurrit (vide Benedictum XIV, *de Syn. diœc.*, l. 4, c. 6, n. 5).

XIII. « Sufficit autem injuriam esse manifestam, sive evi-« dentia facti, sive confessione rei judicialiter facta... ; quia neu-« trum horum ulteriori indagine judiciali indiget. » (Reiffenstuel, in tit. 30 libri 1 Decret., n. 172).

XIV. « Quod si reus a conservatore citatus objiciat, inju-« riam non esse manifestam, aut quod fecit, se jure fecisse ; « tunc conservator hoc ipsum potest ac debet cognoscere, « inquirendo ac testes recipiendo *super notorietate delicti* ; ea-« que cognita, ad fundandam suam jurisdictionem pronun-« tiare, *injuriam esse manifestam*. Alioquin processus atque « sententia ipsius, quæ debe fundari super notorio, foret « nulla... Ratio est, quia judicis est cognoscere posse, an « sua sit jurisdictio. Alioquin quippe inutilis propemodum « foret potestas conservatoris, si reo objiciente defectum no-« torii, potestas ipsius statim maneret ligata, adeo ut nec de « ipso cognoscere valeret. » (Reiffenstuel, in tit. 30 libri Decret., n. 173.) Vide etiam apud Ferraris vocem *Conservatores*, art. 2, n. 10.

XV. « Conservatores regularium possunt per censuras eccle-

Digitized by Google

« siasticas aliaque juris remedia procedere contra Episcopos,
« aliosque judices ipsorum officium impedientes... Deducitur
« clare ex capite *Quia pontificali* (2, *de Officio delegati*, in 6).
« ibi : *Ut cum a judicibus vel conservatoribus a sede Aposto-*
« *lica deputatis contra eos ad coactiones aliquas sive pœnas*
« *fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi pro-*
« *cessu servetur;* quibus verbis manifeste supponitur, conserva-
« tores agere et procedere posse, etiam contra Episcopos : et ex
« Clementina unica *de Excessibus prælatorum,* ubi inter alios
« excessus etiam iste enumeratur, ibi : *Processus juste factos,*
« *seu sententias juste latas a delegatis sedis Apostolicæ, vel a*
« *conservatoribus pro exemptis, publicari seu executioni man-*
« *dari a suis subditis non permittunt;* ubi glossa expresse dicit :
« *Per hoc possunt a delegatis vel conservatoribus puniri, cum*
« *illorum jurisdictionem impediunt; de Officio delegati, capite*
« 1. Licet autem conservatores regularium ex adductis juribus
« facultatem habeant procedendi per censuras ecclesiasticas
« etiam contra Episcopos..., tamen quia in his coactionibus et
« pœnis pontificali dignitati plurimum deferendum est (cap. *Sane*
« 11, cap. *Pastoralis* 27, *de Officio delegati;* capite *Quia pon-*
« *tificali* 2, eodem, in 6; et cap. *Periculosum* 4, *de Sentent,*
« *exec.*, in 6), æquum est ut conservatores non de facili et
« præcipitanter contra Episcopos sententiam excommunicationis
« proferant; sed si contingat conservatores procedere contra
« ipsos, ac contra eos ferre censuram, debent modestiam et re-
« verentiam debitam adhibere, et servare ordinem præscriptum
« in dicto capite *Quia pontificali;* quod scilicet *primo*, a con-
« servatoribus interdicatur Episcopis ingressus in ecclesiam,
« vel sacerdotale officium : *secundo*, ut suspendantur ab officio :
« *tertio*, contra eos ecclesiastica censura aggravetur, nisi forte
« aliud fieri suaserit nimiæ contumaciæ protervitas; ut patet ex
« præcisis verbis dicti capitis *Quia pontificali*, ibi : *Quia ponti-*
« *ficali dignitati præditis, ob reverentiam sacri officii quod*
« *exercetur, plurimum deferre convenit, et eos plus aliis ho-*
« *norari decet; ut cum à judicibus, vel conservatoribus a*

Digitized by Google

« *sede Apostolica contra eos ad coactiones aliquas seu pœnas* « *fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi pro-* « *cessu servetur : ita quod* (*eis condigna quadam reverentia* « *supportatis*) *ingressus primo ipsis ecclesiæ, vel sacerdotale* « *interdicatur ministerium ; ac deinde ab officio suspendan-* « *tur ; subsequenter aggravetur censura ecclesiastica contra* « *eos.* »(Ferraris, voce *Conservatores*, art. 2, n. 15.)

XVI. « In dubiis de jurisdictione inter Episcopos et conser- « vatores suspendendus est processus, et non potest ultra pro- « cedi in causa, sed eligendi sunt arbitri, qui controversiam « decidant. » (Ferraris, loco cit., n. 18.) Constat paragrapho 10 supra transcriptæ constitutionis Gregorii XV.

XVII. Item si conservator recusetur ut suspectus, debent arbitri eligi, et de justitia vel injustitia suspicionis pronuntiare.

XVIII. Quod possint conservatores regularium subdelegare sustinet Ferraris voce *Conservatores*, art. 2, n. 23.

CAPUT IV.

DE CARDINALIBUS PROTECTORIBUS RELIGIOSORUM ORDINUM.

Quæstio I^a^. — *Quid sint Cardinales protectores, et quomodo a conservatoribus differant ?* — 1° Eo protectorum nomine dicuntur Cardinales, qui a summo Pontifice singulis ordinibus assignantur, ut iis præsidio sint.

2° A judicibus conservatoribus differunt multipliciter : *primo*, conservatores a regularibus libere eliguntur ; at Cardinalis protector a Papa ordini religioso assignatur et constituitur. *Secundo*, conservator post quinquennium a regularibus removeri et mutari potest : secus autem Cardinalis protector, qui non nisi arbitrio summi Pontificis amovibilis est. *Tertio*, conservatoris potestas intra fines diœcesis in qua electus fuit concluditur : at potestas Cardinalis protectoris totum ordinem

Digitized by Google

respicit. *Quarto*, conservatoris potestas jurisdictionalis est, seu est vera et proprie dicta fori externi jurisdictio, licet certis limitibus conclusa : potestas autem Cardinalis protectoris, *per se* seu vi nudæ deputationis in protectorem, proprie dictam jurisdictionem non includit, ut infra ostendemus ; ita ut Cardinalis protector nec proprie dictus judex, nec proprie dictus religionis prælatus censendus sit. Diximus *per se;* quia potest Papa, Cardinalem in protectorem deputans, ei simul certam aliquam jurisdictionem delegare : quo casu eam habebit jurisdictionem, quam Papa expresserit. Item fieri potest ut alicujus ordinis religiosi institutum, a sede Apostolica confirmatum, certam aliquam jurisdictionem Cardinali protectori attribuat : et tunc, vi solius deputationis in protectorem hujus ordinis, acquiritur ipsi jurisdictio illa ejusdem ordinis constitutionibus determinata ; quod etiam ex modo dicendis patebit. Hinc palam fit valde differre *Cardinalium protectorum* institutionem ab institutione *conservatorum judicum*. Id tamen utrique commune, quod ad religiosarum familiarum tuitionem et juvamen pariter tendant.

Quæstio IIª. — *Quo tempore inducta sit Cardinalium protectorum institutio?* — Respondeo 1° : Si agatur de generali praxi aliquem constituendi protectorem seu defensorem monasteriis ac conventibus, haud dubium quin a remotissima antiquitate repetenda sit. « Quam conducat (ait Card. Petra, « tom. 4, pag. 162, n. 2, edit. Venet. 1741), atque consultum « sit ecclesiasticis, potissime religiosæ vitæ sectatoribus, hu- « jusmodi protectionibus se committere, unum (in se mille « involvens testimonia) sit satis in medium afferre, quod sci- « licet olim nulla dedicabatur ecclesia, nec monasteria susci- « tabantur, quin a prima erectione sua addicerentur et com- « mendarentur advocato, protectori aut defensori, teste « Magero..., Thomassino... Et optimo quidem jure : etenim « si quid mundi hujus ad turbandam religiosam quietem ini- « micus homo intra religiosa septa superseminaret, non ideo « monasticæ vitæ professores retraherentur a cœlestibus ; sed

Digitized by Google

« dum in contemplationibus sacris imperturbati vivunt, et « spiritualibus vacant, haberent qui pro ipsis curam vigilem « gererent. »

Respondeo 2° : Si agatur de forma illa, qua jam ab aliquot sæculis solet Apostolica sedes religiosis familiis Cardinales in protectores deputare, num ante institutum Franciscanorum ordinem in usu aliquatenus fuerit, eruditis enucleandum relinquo. Ast in ipso seraphici Francisci instituto, certum habemus hujusce praxis documentum. Sic enim in regula, fratribus a se tradita, sanctus ille patriarcha præcepit : *Per obedientiam ad hæc injungo ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis ; ut semper subditi pedibus ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promittimus, observemus.* In id autem consilii ex cœlesti visione impulsum seraphicum institutorem, narrat Wadingus (*Annales Minorum,* anno 1217, n. 2) in hunc modum : *Vidit in somnis gallinam pullos plurimos sub alis congregare, a supervolitantibus milvis defendere volentem, nec tamen omnes potuisse, pluresque proinde patuisse ruinæ ; magnæ vero alterius volucris sub alis pericula subterfugisse. Expergefactus autem vir sanctus, dum somnii interpretationem peteret a Domino, eam ita accepit, ut intellexerit se per gallinam ; discipulos, per pullos ; et Cardinalem in protectorem assumendum per volucrem magnarum alarum demonstrari.*

Quæstio III^a. — *Quæ fuerit Cardinalium protectorum potestas usque ad Innocentium XII ?* — Ex citata S. Francisci regula manifestum est, initio seraphici ordinis, Cardinales ejus protectores veram habuisse, et quidem amplissimam jurisdictionem. Qui enim *gubernator, protector et corrector* totius alicujus ordinis constituitur, pro vero hujus ordinis prælato, imo et primario, procul dubio habendus est. Item per quamdam Sixti IV bullam (citatam a Pellizzario, *Manuale reg.*, tractatu 8, cap. 8, n. 161) Carmelitarum protectoribus Cardinalibus com-

Digitized by Google

mittitur ut, *in quibuscunque causis per eos* (nempe Carmelitas) *movendis quacunque ratione vel causa quæ excogitari posset, eis ministrent justitiæ complementum.* Quæ verba fori externi jurisdictionem profecto exprimunt. Aliis similibus documentis constat stetisse aliquando penes Cardinales protectores proprie dictam atque amplam jurisdictionem.

Sed pro naturæ humanæ, in abusus facile labilis, fragilitate, successu temporis contigit, ut Cardinales protectores hujus suæ potestatis fimbrias nimium extenderent, *adeo ut* (sunt verba Cardinalis Petra) *non protegendi, sed dominandi occasiones captarent; sicque de die in diem trahebant ad noxam, quod per divum Franciscum provisum exstitit ad salutem* (in constitutionem 4, Gregorii XI, n. 3, t. 4, p. 162, edit. Venet. 1741).

Hinc ad limitandas et declarandas Cardinalium protectorum facultates, editæ sunt constitutiones a Gregorio XI, Sixto IV, Julio II, Gregorio XIII et Paulo V (vide Cardinalem Petra, loco cit., n. 5). Ettandem Innocentius XII, die 17 februari 1694, non solum quoad Franciscanam familiam, sed et quoad omnes generatim regularium ordines, rem totam determinavit, constitutione sua *Christi fidelium*. Hanc nos constitutionem pro norma sumimus, ad determinandum *jus commune* de Cardinalium protectorum munere, juribus ac potestate.

Quæstio IVª.—*An constitutio* Christi fidelium *Innocentii XII, pro norma juris communis hodiedum vigentis habenda sit?* — Respondeo affirmative. Nulla enim, quod sciam, recentior lex ecclesiastica huic derogavit. Loquor de legibus universalibus, quæ jus commune constituere valeant. Quod enim identidem alicui Cardinali in protectorem deputato nonnihil potestatis a sede Apostolica concedatur, præter vel contra præfatam constitutionem, idque in mandato deputationis ipsi dato inseratur, ad jus particulare et exceptionalè referendum est. Dubium enim non est, quin possit Pontifex quam voluerit potestatem alicui Cardinali protectori delegare. Sed quæstio est, quamnam potestatem habere censendus sit Cardinalis si deputetur simpliciter in protectorem, et nihil de facultatibus ipsi

Digitized by Google

concessis exprimatur. Tunc nempe dicimus dimetiendam esse hanc potestatem ex jure communi; et jus illud ex dicta constitutione Innocentii esse desumendum. Nam bulla hæc, quando edita est, jus commune procul dubio constituit: aliunde autem (prout supponimus) lex illa ecclesiastica nec sublata, nec mutata est: ergo jus commune per illam inductum, hodiedum permanet. Quo in antecessum prænotato, expendendum nunc per partes, quid dicta constitutio statuerit.

Quæstio Vª. — *Quid possint vel non possint Cardinales protectores, vi juris communis, seu vi constitutionis Innocentii XII?* — 1° « Ne in aliquibus negotiis, causis, seu rebus (quæ universum ordinem seu totum corpus religionis non concernunt) « sese ingerant, » ipsis interdicitur. § 6. In particulari autem,

2° Nequit Cardinalis protector ullo modo corrigere aut immutare statuta capituli generalis, vel provincialis, vel conventualis, nisi in casu quo per hæc statuta totus ordo deviaret a fide catholica, aut ab obedientia S. Romanæ Ecclesiæ debita (vide textum constitutionis, quam invenies in Bullario romano, edit. Mainardi, Romæ 1734, t. 9, pag. 344).

3° Nequit ullum superiorem officialemve instituere aut destituere.

4° Nequit religiosum ullum promovere ad ullos gradus, aut ab eis eum removere.

5° Neque religiosorum quemquam de loco ad locum mittere, sive licentiam dare alio migrandi.

6° Neque ullum religiosum punire, aut a pœna ipsi imposita liberare.

7° Neque ulli religioso concedere usum alicujus cameræ, aut libri aut rei cujuslibet.

8° Religiosi impetrantes a Cardinali protectore aliquid ex iis quæ eidem protectori sunt prohibita, necnon licentiis sic impetratis utentes, tanquam de gravi culpa puniendi sunt.

9° Etiamsi aliquot religiosi deviarent a fide catholica, modo error non sit totius ordinis, ad Cardinalem protectorem non pertinet remedium adhibere, nec querelas et recursus a reli-

Digitized by Google

giosis ad ipsum directos audire, aut de his quidquam decernere.

10° Quando, vel ex jure communi, vel ex proprio suo instituto, religiosi possunt appellationem vel recursum interjicere, quamvis ante constitutionem Innocentii XII, possent Cardinales protectores (sive ex consuetudine, sive ex particularibus ordinis constitutionibus) de iis appellationibus et recursibus cognoscere, post dictam constitutionem jam id non possunt. Sed Innocentius XII ejusmodi recursus et appellationes in quocunque gradu reservavit S. Congregationi Episcoporum et regularium (§ 7 constitutionis).

11° Item facultatem (quam alias haberet Cardinalis protector, vi constitutionum religiosi ordinis) aliquid gerendi, mandandi seu ordinandi, transtulit Innocentius XII ad Sacras Congregationes respective, pro negotiorum qualitate (§ 8 constitutionis *Christi fidelium*).

12° Quando in causis regularium, ad Sacras Congregationes perlatis, exquirenda est informatio seu votum super expositis, ejusmodi informatio et votum non dari debet a Cardinali protectore, nisi in solo casu, quo negotium respiceret totum ordinem religiosum. In aliis vero casibus exquiri debet informatio seu votum, vel a superiore generali ordinis, vel ab ejus procuratore generali (ibid., § 10).

13° Cardinalis protector interesse potest electionibus prælatorum ordinis. Id aperte supponit constitutio Innocentii XII, paragraphis 11 et 12.

14° In iis electionibus habet votum, *si quod et eo modo quod juxta cujuscunque ordinis regulas, statuta, vel alia,* ipsi competit (§ 11).

15° Nec Cardinalis protector, nec quivis alius, imo nec ipsæ S. Congregationes romanæ possunt, in dictis electionibus, absentium vota supplere. Neque item possunt alios religiosos, loco absentium vocalium, subrogare seu deputare. Sed tunc totum jus eligendi consolidatur in religiosis vocalibus, ad normam cujusque instituti legitime congregatis (§ 12).

Digitized by Google

16° Ex præmissis aperte sequitur Cardinali protectori, de jure communi, non competere ullam proprie dictam jurisdictionem, excepto casu fere chimerico : si nempe causa totum ordinem concerneret, ut si totus ordo a fide aberraret. *De jure communi,* inquam, seu ex nuda vi muneris sui, juxta normam Innocentianæ constitutionis intellecti. Et ita rem intelligit, inter alios, Cardinalis de Luca (*de Regularibus*, discursu 23, n. 4) : *Nullibi,* inquit, *in jure hæc assistentia seu jurisdictio attributa legitur Cardinali protectori; cui commissa solum est protectio, quæ de sui natura jurisdictionem non importat, ut firmatur per Rotam* (*decisione* 34, n. 5, parte 4 recentiorum, tom. 2).

17° Hinc cum jure communi, juxta dictam Innocentii XII constitutionem intellecto, jam non plene concordat formula deputationis antea adhiberi solita; cujus duplex exemplar refert Pellizzarius (*Manuale regularium*, tract. 8, cap. 8, n. 150). Priorem ex istis formulis subjicimus :

Volumus autem, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes easdem injungimus et mandamus, ut superiorum dicti ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conservare cures; et propterea cum ipsi superiores eorum officio debite satisfecerint, ac gubernio subditorum sufficienter incubuerint, tunc negotiis eorumdem fratrum te non immisceas. Quando autem ab ipsis fueris requisitus, ut in eisdem negotiis auctoritatem interponas, vel necesse fore cognoveris ut eamdem auctoritatem tuam in ejusdem negotiis exerceas, tunc id libere facere possis ; sed quoad potueris, per teipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum.., loco notarii, aliquo ex fratribus dicti ordinis. Ibi procul dubio aliqua proprie dicta jurisdictio Cardinali protectori tribuitur ; imo et quam posset absolute delegare.

18° Ex eo vero quod Cardinalis protector jurisdictionaliter religiosorum causis et negotiis sese ingerere nequeat, non sequitur non posse eum in iis sese immiscere quatenus protector, id est, adjutor, amicus et advocatus. Imo hoc ipsius officium est, præsertim ubi tutandi sunt religiosi ab injuriis et op-

Digitized by Google

pressionibus. Agit autem ut protector qui requisitus juvamen præstat. Quod si Cardinalis protector, non requirentibus aut invitis religionis prælatis, dirimenda negotia sibi arroget, non protegit sed eorumdem prælatorum jurisdictionem invadit, ac eas inducit perturbationes, quas sublatas voluit Innocentius XII.

Quæstio VI^a. — *An, non obstante jure communi exposito, contingere possit ut Cardinalis protector jurisdictionem aliquam habeat?* — 1° Id contingere potest ex speciali delegatione jurisdictionis ipsi a summo Pontifice facta. Si nempe Pontifex non tantum eum in protectorem alicui ordini deputet, sed insuper expresse jurisdictionem aliquam in hunc ordinem exercendam tribuat, dubium non est quin hac jurisdictione polleat.

2° Id etiam contingere posse videtur absque dicta expressa delegatione jurisdictionis, si nempe alicujus ordinis constitutiones, a sede Apostolica post bullam Innocentii XII approbatæ, in certis casibus Cardinali protectori jurisdictionem tribuant. Approbando enim ejusmodi constitutiones, implicite disponit Pontifex ut Cardinalis protector jurisdictionem, prout in iis determinatur, habeat; et consequenter contrariæ Innocentii XII dispositioni derogat.

Quæstio VII^a. — *An standum sit attestationi Cardinalis protectoris, asserentis sibi a Papa vivæ vocis oraculo concessam fuisse aliquam jurisdictionem seu facultatem?* — Difficultatem facit decretum Urbani VIII, abrogans omnia vivæ vocis oracula, etiam a Cardinalibus subscripta. Sed adnotant nonnulli canonistæ, abrogationem hanc sese extendere duntaxat *ad vivæ vocis oracula continentia gratias, facultates, licentias ac privilegia, ante concessa* (Pellizzarius, loco cit., n. 164. Vide etiam Cardinalem Petra, loco citato, n. 9).

Nota. Quod in præsenti capite diximus de Cardinali protectore religiosorum, intelligenda veniunt et de Cardinalibus protectoribus monialium. Constitutio enim Innocentii XII utrosque complectitur.

Digitized by Google

Pro coronide hæc Cardinalis Petra verba subjiciemus: « Optimi autem regularium protectoris partes sunt, ordinem « sibi commendatum in quieto et pacifico statu conservare et « augere, ab impugnantibus et molestantibus protegere et « tueri, ac etiam invigilare cum regulis *prudentialibus potius* « *quam jurisdictionalibus,* ne subditi a superioribus oppriman- « tur. » (Tom. 4, p. 162, n. 7, edit. Venet. 1741.)

Digitized by Google

SECTIO III.

DE JURE REGULARIUM SACRUM MINISTERIUM EXERCENDI.

Dicemus 1° an liberum sit Episcopo impedire in diœcesi sua ne regulares sacrum ministerium exerceant. 2° Agemus de his quæ pertinent ad sacram eucharistiam et missæ sacrificium. 3° De his quæ pertinent ad sacramentum pœnitentiæ. 4° De his quæ pertinent ad verbi divini prædicationem.

CAPUT I.

AN CUIQUE EPISCOPO IN DIŒCESI SUA LIBERUM SIT IMPEDIRE, NE REGULARES SACRUM MINISTERIUM EXERCEANT?

Prænotanda. — 1° Sacri ministerii nomine tria potissimum intelligimus, nempe: prædicare populo; sæcularium confessiones audire; et missas celebrare adstantibus fidelibus, necnon eisdem sacram eucharistiam porrigere.

2° Tanquam certum supponimus, quod cæteroquin infra probatur, licitas non esse regularibus prædicationes in ecclesiis non suis absque licentia Episcopi; imo nec in suis, ipso contradicente: item nec licite nec valide a regularibus excipi posse sæcularium confessiones, nisi obtenta Ordinarii approbatione. Ut autem sacram eucharistiam sæcularibus porrigant, præterquam in die Paschatis, nulla indigent Ordinarii licentia; quia jus commune hanc eis facultatem attribuit.

3° Certum pariter supponimus, posse Episcopum prædicandi et confessiones audiendi facultatem regularibus denegare, si minus idoneos ad hocce ministerium ipsos judicaverit.

Digitized by Google

4° Hinc tota præsentis capitis quæstio in eo vertitur, an regularibus, licet idoneis, possit Episcopus prædicandi et confessiones audiendi facultatem denegare. Pro cujus gravissimæ quæstionis solutione, duplicem instituemus paragraphum : primo nempe describemus systema eorum, qui contendunt sacrum ministerium ad regulares non spectare, nisi accidentaliter, quando nempe supplendum est defectui sæcularis cleri ; proinde, ubi sufficiens est sæcularis clerus, posse Ordinarium, imo et debere regulares, quamvis cæteroquin aptos, ab exercendo sacro ministerio arcere. Tum systema illud confutabimus : ostendemus nempe regulares missionem habere a jure communi, id est, a Papa, ad sacrum ministerium exercendum : et ipsis quidem adjectam esse conditionem, ut prius debeant idonei judicari ab Ordinario : at præter hanc conditionem nullam aliam fuisse impositam : nec restrictam missionem eorum fuisse ad casum quo sæcularis cleri insufficientia foret supplenda.

§ I.

Exponitur systema Episcopis liberum faciens, ut regulares, licet idoneos, a sacro ministerio arceant.

Quæstio 1ª. — *An et qua de causa Guillelmus a Sancto Amore et alii, contra quos scripsere S. Thomas et S. Bonaventura, regulares a sacro ministerio ablegandos voluerint ?* — 1° Quanto æstu præfati heterodoxi viri contenderint permittendum non esse regularibus, ut prædicarent, confessiones audirent, ad doctoratum promoverentur et publice in academiis docerent, res est ex monumentis historicis notissima. Non tantum jus, sed et officium Episcopi esse dicebant, ab hisce muniis religiosos arcere. 2° Præcipuæ autem quibus nitebantur rationes, erant istæ : pugnare sacri ministerii exercitium cum natura et fine status religiosi ; cum religiosos, utpote mundo mortuos, silere deceat, non docere ; et solitarie degere, non

Digitized by Google

sæcularibus negotiis sese implicare : insuper ex illa regularium in sacri ministerii muniis immixtione, confusionem induci, perturbari divinitus institutam hierarchiam, lædi parochorum jura, ipsisque detrimentum inferri.

Nec nova erat tempestas hæc in regulares excitata ; sed jam ab antiquo eam sedare debuerant S. Gregorius Magnus sexto, et Bonifacius IV septimo sæculo (1). Imo et autumare licet, non absque aliqua similis querelæ occasione, rescriptum a Siricio Papa fuisse anno 385 : *Monachos quoque.. clericorum officiis aggregari et optamus et volumus* (epistola ad Himerium Tarraconensem. Vide apud Berardi, *Canones Gratiani genuini*, parte 2, tom. 1, pag. 229).

Quæstio IIª.— *An et qua de causa synodus Pistoriensis regulares a sacro ministerio exclusos voluerit?* — 1° Quod hæretica et schismatica illa synodus a sacro ministerio ablegatos regulares voluerit, constat ex bulla *Auctorem fidei* (numeris 80, 81, 82, 84, propositionum condemnatarum). Censebat nempe religiosos ordines ad unum, sub regula S. Benedicti, esse reducendos; huncque unicum vitæ contemplativæ exercitiis exclusive addicendum. 2° Cujus opinationis ratio erat, *statum regularem natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus* (bulla *Auctorem fidei*, propositione 80) ; insuper, regulares ordines, sacrum ministerium exercentes, *naturaliter inferre perturbationem et confusionem.* Ex quo patet synodi Pistoriensis imbelle tentamen, nihil aliud fuisse quam ridiculam innovationem prisci illius nonnullorum sorbonicorum systematis, a sancto Thoma impugnati, et asede Apostolica jamdudum confixi.

Quæstio IIIª.—*An Guillelmus a Sancto Amore, et schismatici Pistorienses, suum systema ita rigide intellexerint, ut noluerint regulares sacro ministerio admoveri posse, etiam in casu necessitatis, ubi nempe insufficiens foret sæcularis clerus?* —Respon-

(1) Vide textus id probantes in opere modernorum Bollandianorum, cui titulus *Examen libri Mariani Verhoeven*, capite 8.

Digitized by Google

deo id nequaquam dici posse. Nullum enim reperire est documentum quo tam stolida prætensio innuatur. Non ii erant Guillelmus a Sancto Amore, et præfati Pistorienses, qui dicerent, malle se ut interirent fideles absque sacramentis, potius quam hæc a regularibus (deficiente sæculari presbytero) ministrarentur. Bene intelligebant se hocce doctrinæ monstro horrorem apud omnes excitaturos. Imo ex ejusmodi virorum scriptis aliisque documentis contrarium plane colligitur. De quo, ut nonnihil subjiciamus, en ipsiusmet schismatici Riccii, Pistoriensis Episcopi, verba : *L'État et l'Église ont reçu les institutions des réguliers, afin qu'ils coopérassent avec l'Évêque et les curés dans le gouvernement spirituel des peuples et au salut des âmes. Pour cette raison ils furent, selon la discipline moderne* (1), *admis au sacerdoce, pour être toujours prêts à accourir aux besoins des diocèses* (vide citationem hanc, cum aliis pluribus, in laudato Bollandianorum opere, *Examen libri Mariani Verhoeven*, pag. 449). Pistoriensium ergo, sicut et Guillelmi a Sancto Amore, systema regulares a sacro ministerio non excludebat in casu necessitatis, seu in casu quo sufficiens non foret clerus sæcularis; sed duntaxat in casu, quo sufficienter per parochos et sæculares alios presbyteros spiritualibus fidelium necessitatibus provideri posset. Volebant nempe ut regularibus non liceret sacrum ministerium exercere, nisi quando a parochis et Episcopis ad id vocarentur ; simulque censebant, vocandos non esse, nisi *in subsidium*, id est, quando impar foret sæcularis clerus recte obeundis omnibus muniis suis : vocatos autem, nihil aliud peragere debere quam quod a parocho vel Episcopo juberentur : quo præstito, deberent ad solitudinem et contemplationem redire, donec denuo vocarentur. Hinc

(1) Nota mendacium illud *moderne;* cum jam ab anno 385 diceret Siricius Papa : *Monachos quoque... clericorum officiis aggregari et optamus et volumus;* atque eruditis explorata res sit, antiquissimæ disciplinæ referendum, quod per monachos prædicandi, baptizandi et confessiones audiendi munus passim expleretur: ut adeo in Anglia et Germania ab initio et per plura sæcula totus fere clerus regularis fuerit.

Digitized by Google

perpetuo recantabant, parochorum *coadjutores* et *subsidiarios* regulares esse ex institutione sua.

Quæstio IVᵃ. — *An et qua de causa modernus quidam scriptor, Marianus Verhoeven, exclusos a sacro ministerio regulares voluerit?* — « Monendum esse duximus (ait scriptor ille), Ec-
« clesiæ mentem esse, ut regulares in negotiis et officiis eccle-
« siasticis, quæque animarum curam sæcularium respiciant,
« in subsidium tantum et defectum cleri sæcularis, sive pro-
« pter exiguum numerum, sive aliam ob causam, ad ea officia
« adimplenda minus aptus sit... Quæ cum ita sint, palam
« est Episcopum non debere regulares sacerdotes ad sæcu-
« larium confessiones audiendas assumere, ubi clerus sæcu-
« laris his sacris muniis obeundis aptus et sufficiens est;
« quum id nullo quidem jure tunc præcipiatur. Sed et illud
« hic observare juvat, Episcopum esse judicem an clerus sæ-
« cularis suæ diœceseos idoneus sit et sufficiens ad pœniten-
« tiæ sacramentum administrandum. Unde neque clerus
« regularis jure conqueri poterit, si ad confessiones sæcula-
« rium excipiendas ab Ordinario non deputetur, neque... » (*De regularium et sæcularium juribus*, pag. 122.) Idem scriptor in publicatione periodica *Journal histor. et littéraire*, 1847, pagina 451 et 453, mentem suam sic aperit : « Veut-on con-
« naître sur ce point ma pensée tout entière? La voici : Les
« réguliers ne doivent être en général appelés à l'exercice
« du saint ministère que lorsque le clergé séculier ne peut
« suffire à remplir convenablement la mission particulière
« dont il est spécialement investi. Il est bon que le curé fasse
« son office lui-même (1), et que personne, sous prétexte

(1) Ad officium parochi non pertinet excipere confessiones eorum qui volunt aliis presbyteris confiteri, siquidem non potest parochianos cogere ut sibi confessionem faciant. Ad officium parochi non pertinet ut solus parochianis suis prædicet; siquidem liberum eis est aliis quam parochiæ prædicationibus interesse. Item, excepta communione paschali, aliæ parochianorum communiones ad officium ejus non pertinent. Ibi profecto officium parochi intellexit auctor aliter quam intelligitur ab Ecclesia; aliter quam a legibus Ecclesiæ determinatum est; siquidem

Digitized by Google

« d'alléger son fardeau, ne se pose en curé à côté de lui... Je « dis que tout empiétement produit le désordre, tout désordre la « confusion, toute confusion l'anarchie, et toute anarchie la « lutte. »

Ex paucis istis satis liquet quodnam fuerit hujusce scriptoris systema. 1° Nempe ipse etiam de iis est, qui regulares a sacro ministerio excludendos contendunt, *in casu quo sæcularis clerus ad hæc munia præstanda sufficiens sit*. Atque in hoc non differt a systemate dictorum Pistoriensium et Guillelmi a Sancto Amore; siquidem et isti hoc ipsum, et nihil aliud, contendebant. 2° Non tamen conclusionem suam deducit Verhoeven, ex eo quod sacri ministerii exercitium statui religioso repugnet: et in hoc recedit a synodi Pistoriensis et Guillelmi a S. Amore systemate. Quanquam isti magis logice ratiocinari videntur: nam si talis conditionis sint regulares, ut sacrum ministerium ipsis non sit permittendum nisi *exceptionaliter*, id est, in casu quo deficiat alicubi sæcularis clerus, consequens est ut, *per se* et *regulariter loquendo*, ejusmodi ministerium ipsis non conveniat, sed tantum *per accidens;* nempe in eo præcise sensu quo dicebat synodus Pistoriensis hæcce munia cum statu religioso pugnare. 3° Rationes quibus opinionem suam fundat D. Verhoeven duæ sunt: prima nempe, quod mens Ecclesiæ sit, ut ad sacri ministerii exercitium non recipiantur regulares, *nisi in subsidium tantum et defectum cleri sæcularis;* secunda, quod alioquin secutura sit confusio et perturbatio. Porro has ipsas rationes urgebant Pistorienses et Guillelmus a Sancto Amore: unde quoad hoc præfatus scriptor plane ipsis consonat.

supponit expleri a regularibus officium parochi, et jus ipsius invadi, ex eo quod prædicent et confessiones audiant.

Digitized by Google

§ II.

Potest quidem Episcopus regulares a sacro ministerio arcere ex eo quod ipsos minus idoneos repererit : non autem ex eo quod sæcularis clerus ad sacra munia explenda sufficiens existat.

Probatur I. — *Ex missione quam habent regulares a sede Apostolica.* — Ut pateat hujusce argumenti vis, sat erit tria hæc ostendisse : primo, regularium ordines veram a Papa missionem habere, ad sacrum per diœceses exercendum ministerium : secundo, dari regularibus a sede Apostolica hanc potestatem, sub sola conditione, quod ab Ordinariis assensum pro divino verbo prædicando, et approbationem pro confessionibus audiendis obtineant : tertio, non relinqui liberum Episcopis ut alia de causa assensum hunc et approbationem denegent, quam quod regulares non sint idonei. Atqui hæc tria certa sunt.

1° *Religiosi ordines veram a sede Apostolica missionem habent ad sacrum exercendum ministerium.* — Constat ex eo quod sedes Apostolica ordines religiosos approbet et existere velit juxta respectiva ipsorum instituta, et ad finem ad quem sancti fundatores eos instituerunt. Multi nempe religiosi ordines constituti sunt, non ad sectandam exclusive *contemplativam* vitam, sed e contra primario et præcipue ut per activæ seu *apostolicæ* (ut vocatur) vitæ labores et exercitia procurandæ animarum saluti sese impendant. Ejusmodi sunt mendicantes ordines, familiæ nempe sancti Dominici, sancti Francisci, sancti Ignatii et aliæ similes. Sed et sancti Benedicti institutum utramque vitam consociat, seu ad vitam *mixtam* pertinet : non quidem eo quod sæculorum tractu e primario suo fine declinaverit (ut nonnulli dictitant), sed vel ab ipsis sancti sui patriarchæ temporibus, atque ex ipsius exemplis, mente et ordinationibus. Id testatur S. Gregorius Magnus : id omnium fere mundi regionum historia edocet; ab antiquo siquidem

Digitized by Google

et per plura sæcula, præter episcopatuum et prioratuum (id est parochiarum) regimen, ubique prædicationis, baptismatis, et sacræ reconciliationis ministerium ab immensa Benedictinorum familia expleri solitum fuisse, iis pernotum est, qui vel obiter antiquitatis monumenta pervolverunt.

Jam vero instituta hæc a sede Apostolica fuerunt approbata et confirmata. Ergo vult sedes Apostolica ut ejusmodi ordines id ad quod erecti sunt exerceant. Ergo vult ut eant et fructum afferant per verbi divini prædicationem, sacramenti pœnitentiæ ministrationem, sacrarum disciplinarum traditionem, juventutis educationem, aliaque similia, in uniuscujusque constitutionibus assignata, ministeria. Neque dicas missionem hanc intelligendam esse tantum quoad loca illa, ubi sæcularis clerus ad ea obeunda munia impar foret: id nuspiam in sanctorum fundatorum constitutionibus, nuspiam in bullis approbationis et confirmationis reperitur; sed a modernis haud sanæ doctrinæ viris excogitatum est, ut regulares de medio tollant. Detur enim appositam religiosorum ordinum missioni restrictionem hanc: jam nullibi pedem figere poterunt dicti regulares. Fingamus, verbi gratia, in diœcesi aliqua receptos Jesuitas, cum nondum prædicationibus et audiendis confessionibus par esset clerus sæcularis: contingere potest ut post menses aliquot idem sæcularis clerus sufficiens evadat: quid tum fiet de Jesuitis illis? Debebuntne instituto suo valedicere et ad vitam contemplativam sese convertere? Sed ad id ex votis suis non tenentur. Ergo expellendi erunt, et dicendum ipsis erit, ut migrent ad loca ubi adhuc insufficiens est sæcularis clerus. Laveant, qui ejusmodi restrictionem somniarunt, ejus vim et consectaria perpendere: huicce restrictioni dictos regulares ordines subjicere, idem est ac suppressos illos velle; quia subsistere nequeunt nisi stabiles domos et a cleri sæcularis variationibus independentes habeant. Est ergo dictorum ordinum finis et missio, ut populos sacro ministerio excolant et juvent. Id quidem præstabunt in *subsidium* cleri sæcularis, ubi clerus iste deficit: ubi vero non de-

Digitized by Google

ficit, idem præstabunt *cumulative* cum ipso. Nec ulla in posteriori casu orietur confusio; quia Ecclesia uniuscujusque jura determinavit. Edixit, verbi gratia, non invadi officium parochi, ex eo quod ipsius parochiani cui voluerint ex approbatis presbyteris peccata sua confiteantur; nec ex eo quod iidem parochiani in ecclesiis regularium aliisve, prædicationi intersint. Oritur confusio quando Episcopi aut parochi in hasce Ecclesiæ leges insurgunt, et placita sua eis conantur substituere. Quod ergo dicti regulares ordines missionem a sede Apostolica habeant quoad omnes generaliter et indistincte populos et diœcèses, in dubium vocare nequaquam licet.

2° *Dictam missionem his solis conditionibus Ecclesia subjecit : ut ad novi conventus erectionem, ad prædicandum, ad confessiones audiendas necessarius religiosis foret assensus Ordinarii.* — Has quidem conditiones Ecclesiæ legibus sapientissime sancitas et accurate declaratas reperies. Atvero quod nequeant regulares sacrum ministerium exercere, ubi clericorum sæcularium idoneus exstat numerus, nullibi invenies.

Ast, inquis, sufficit necessariam regularibus esse licentiam Ordinarii, hoc ipso enim liberum fit Episcopo regulares a sacri ministerii exercitio arcere, ubi exstat idoneus sæcularis clerus. — Respondeo : id verum foret si statuisset Ecclesia ut posset Episcopus dictam licentiam recusare *absque causa rationabili*, vel si pro rationabili recusationis causa agnosceretur ab Ecclesia dicta circumstantia, quod adsit sufficiens idoneorum sæcularium clericorum numerus. Sed aliter sese res habet, nempe

3° *Non alia de causa obstare potest Ordinarius ne regulares prædicent et confessiones audiant, quam quod idoneos non reperiat.* — Ex eo quod Ecclesia regulares adegerit ad obtinendum Ordinarii assensum sive pro confessionibus audiendis, sive pro divino prædicando verbo, existimandum non est posse Episcopum pro libitu, et absque rationabili causa, assensum hunc denegare. Non ita res a sede Apostolica intelligitur et ordinata est. Sed vi missionis suæ jus habent regulares, ut eos Episcopus approbet, si sint idonei. Episcopis autem commis-

Digitized by Google

sum est ut de hac idoneitate investigarent et judicium ferrent; ita nempe ut deberent approbare ad confessiones et prædicationem, si idoneitatem reperirent; secus, approbationem denegare. Quod adeo verum est ut detur recursus ad sedem Apostolicam, si aliunde quam ex defectu idoneitatis rejectos se regulares conquerantur; quamvis interea, et donec aliter eadem Sedes statuerit, abstinere rejecti illi regulares debeant a prædicatione et confessionibus. Nullibi autem Episcopis commissum reperies, ut regularibus approbationem denegare valeant, ex eo quod sufficientem in suis diœcesibus habeant sæcularem clerum. Nec mirum, quia hoc foret regularium domos perpetuis commotionibus et eversionis periculis exponere. Nam inter multos sibi succedentes Episcopos facile contingit, ut aliquis erga regulares minus benevole dispositus reperiatur. Is porro sub prætextu quod sufficiat sæcularis clerus, posset sacrum ministerium dictis regularibus interdicere. Ex quo jam isti regulares in hac diœcesi nec possent nec deberent remanere. Non possent, quia ex eleemosynis vivunt, quæ eleemosynæ ipsis, utpote jam inutilibus non tribuerentur : non deberent, quia jam in hac diœcesi instituti sui finem prosequi non valerent.

Probatur II. — *Ex juris textibus.* — Clemens X celebrem suam constitutionem *Superna* (21 julii 1670) in hunc præcise finem edidit, ut declararet et definiret, ad quid tenerentur regulares erga Episcopos, et vicissim Episcopi erga regulares, circa hanc prædicationis et confessionum materiam. Porro hujus constitutionis textum perlustremus :

Paragrapho 3 sic statuitur : « Regulares, qui in ecclesiis « sui ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo diœce- « sano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quam- « vis illam non obtinuerint : quod si Episcopus benedictio- « nem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec « in prædictis quidem ecclesiis licere regularibus prædicare... « *Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contra-* « *dicere non debere*... Posse autem Episcopum licentiam con-

Digitized by Google

« cessurum regularibus, in ecclesiis quæ suorum ordinum non « sunt prædicare volentibus, illos... quoad doctrinam exa- « minare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum « esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem « concessam, ob *rationabiles causas*, licet occultas, *prædicatio-* « *nem tamen concernentes*, suspendere. *Non posse tamen Epi-* « *scopum generatim prohibere regularibus quin in ecclesiis* « *suorum ordinum prædicent.* »

Ex his rigorose concludenda veniunt sequentia: 1° Non potest Episcopus prædicationem regularibus interdicere, ex eo quod sufficientem habeat in diœcesi sua sæcularem clerum. Nam si id posset ob istam causam, posset hoc ipso *generatim prohibere regularibus ne in ecclesiis suorum ordinum prædicarent;* et tamen expresse decernit Pontifex hoc ultimum non esse in potestate Episcopi. Ergo circumstantia, quod sufficiens adsit sæcularis clerus, non admittitur a Pontifice inter *rationabiles causas* ob quas denegari valeat regularibus prædicandi facultas. Certe si valeat circumstantia hæc sufficientis sæcularis cleri, ad excludendas regularium prædicationes, cur non valeret ad eas excludendas *generatim*, et absque exceptione? Cum ergo fas non sit Episcopo *omnes generatim* regularium prædicationes prohibere, *rationabilis causa* prohibitionis non est dicta circumstantia.

2° Falsum est posse Episcopum *pro libitu* obstare ne regulares prædicent. Id non potest pro libitu, sed tantum ex *justa et rationabili causa.*

3° Si posset Episcopus omnem regularium prædicationem impedire ob circumstantiam quod sufficiens sit sæcularis clerus, posset etiam licentiam prædicandi regularibus a se concessam retrahere: porro id nequit, nisi ob causas *prædicationem concernentes.* Quod clerus sæcularis sufficiens evaserit, hoc certe non est causa *prædicationem concernens.*

Gressum faciamus ad ea quæ decrevit Clemens X, circa pœnitentiæ sacramentum. Decrevit nempe § 4: « Illos reli- « giosos qui ad confessiones audiendas *idonei generaliter re-*

Digitized by Google

« *perti fuerint*, ab Episcopis *generaliter quoque* et indistincte « absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut « generis personarum, *in diœcesi propria admittendos*. Quoad « cæteros vero, qui *non adeo idonei* reperiuntur, si petierint se « admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata « facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, « probare et admittere. »

Bene notetur distinctio hæc inter *non adeo idoneos* et *generaliter idoneos*. Priores admittere cum limitata facultate liberum relinquitur Episcopo. Posteriores vero, seu *generaliter idoneos*, nequaquam liberum est Episcopo admittere vel non admittere ; sed decernitur, eos esse *admittendos ;* imo decernitur esse admittendos *absque aliqua limitatione*. Ergo si regulares ad confessiones audiendas *petierint se admitti*, potest quidem Episcopus eos examini subjicere, atque de eorum vita et moribus inquirere, ut comperiat num et qualiter idonei sint. At vero si eos *generaliter idoneos* reperiat, non tantum tenetur eis approbationem concedere, sed tenetur eam concedere *absque ulla limitatione* circa tempus, personas et loca. Ergo ex hoc solo quod *generaliter idonei* reperiantur regulares, jus habent ut approbatio ipsis concedatur. Quod si denegetur, fit eis injuria, et recurrere possunt ad sedem Apostolicam.

Hæc autem Pontificia dispositio non est relativa tantum ad diœceses in quibus deficit sufficiens clericorum sæcularium numerus, sed etiam ad alias; siquidem lex non distinguit. Imo hypothesis quod hæc decernat Pontifex quoad solas diœceses ubi sufficiens non est clericorum regularium numerus, est omnino absona. Quod enim teneatur Episcopus regulares idoneos pro confessionibus audiendis adhibere, in casu necessitatis, seu quando non adsunt alii presbyteri qui hoc præstare possint, per se manifestum est ; et absurdum fuisset illud decernere, quia nemini dubium esse poterat. Quis nesciat peccaturum graviter Episcopum, si præsto habens idoneos regulares qui se admitti petunt, et deficientibus aliis, malit fideles carere sacramentis, et divini verbi pabulo, potius quam régu-

Digitized by Google

laribus illis facultatem sacri exercendi ministerii concedere? Ergo hæc Pontificia lex attingit diœceses in quibus sufficiens exstat clericorum sæcularium numerus. Adeamus nunc quintam bullæ paragraphum.

« Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas præ-
« vio examine simpliciter et absque ulla temporis præfini-
« tione ab ipsomet Episcopo... approbatos, non posse ab
« eodem qui sic approbavit iterum examinari, aut ab eisdem
« confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis con-
« cessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas
« confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium
« esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis
« regularibus significare, sed sedi Apostolicæ duntaxat, ubi
« eam sibi aperiri postulaverit. » Et subjungit Pontifex, per *novam causam confessiones concernentem* intelligenda etiam esse scandala et delicta, ob quæ approbatus regularis Episcopo videretur suspendendus.

Ex hac etiam paragrapho sequitur haud liberum esse Episcopo regulares ab audiendis confessionibus arcere, ex eo quod sufficienter habeat clericorum sæcularium numerum.

Nam *nova causa confessiones concernens* de qua ibi agitur, intelligenda est, ut per se patet, de causa confessarium ipsum respiciente, ex qua nempe jam non sit ad confessiones idoneus; qualis est, verbi gratia, vel superveniens mentis debilitas, vel delictum aliquod. Atque omnino absone quis haberet sæcularis cleri augmentum, pro *nova causa confessiones concernente*, de qua loquitur Pontifex. Ergo non potest Episcopus, ob cleri sæcularis sufficientiam, a confessionibus suspendere regulares quos *ipse prævio examine simpliciter approbavit*. Ergo nec potest ob dictam cleri sæcularis sufficientiam regulares a sacro ministerio arcere. Quod autem attinet ad jus regularium recurrendi ad sedem Apostolicam, si ab Episcopo simpliciter approbati, ab eodem postea confessiones audire prohibeantur, in hac paragrapho aperte exprimitur. Idem nempe currit jus ac in suspensionibus *ex informata conscientia*. Non tenetur Epi-

Digitized by Google

scopus regularibus dicere quare facultatem confessiones audiendi ipsis adimat; at sciscitanti S. Congregationi tenetur causam exponere. Quantum ergo abest, ut pro libitu ac sine causa possit Episcopus regulares a sacro exercendo ministerio arcere!

Tandem, § 6, postquam declaravit Pontifex, posse a confessionibus audiendis suspendi regulares ob delicta et scandala, hoc ipsum sic limitat: *Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus adimi ab Episcopo, inconsulta sede Apostolica, nullatenus posse.* Certe qui volunt ex ratione sufficientis cleri posse Episcopum regularibus sacrum ministerium interdicere, volunt etiam ut hoc possit quoad omnes singulorum conventuum regulares; alias enim intentum suum non consequerentur. Sed videant quomodo hocce suum systema cum verbis allatis accommodare valeant. In nullo casu vult Pontifex fas esse Episcopo, inconsulta sede Apostolica, totum conventum a confessionibus audiendis suspendere; ac ne in casu quidem delictorum quæ id suadere viderentur.

Possemus et aliis juris textibus et Sacrarum Congregationum declarationibus novum illud systema explodere. A quibus adducendis supersedemus brevitatis causa. Lectori enim satis jam manifestam existimamus ejusmodi novitatis falsitatem. Nec minus perspicuum est tendere novam illam machinam ad religiosorum ordinum eversionem et destructionem. Semel enim admisso posse, imo et *debere* (ut aiunt), regulares a sacri ministerii exercitio præpediri, ubi sufficiens exstet sæcularis clerus, jam nescio qua in diœcesi sese clerus sæcularis sufficientem non declarabit. Ut adeo debeant apostolici ordines novitiatus suos claudere et sese ipsos extinguere. Ut quid enim existerent, si finem ad quem instituti fuerunt jam fere nullibi prosequi possint?

Digitized by Google

CAPUT II.

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SACRAM EUCHARISTIAM ET MISSÆ SACRIFICIUM.

QUÆSTIO Iª. — *An regulares valeant ad celebrandam missam in suis ecclesiis admittere aliquem sacerdotem sæcularem exterum, prius quam is licentiam ab Ordinario obtinuerit?* — 1° Si exterus sacerdos sit *vagus et ignotus*, non tantum potest, sed etiam debet Episcopus prohibere, ne ullibi in diœcesi sua ad celebrandum admittatur. Constat Tridentinis verbis : *Singuli* (Episcopi) *in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat* (sess. 22, *de Observandis in celebratione missæ*). Et ita de facto prohibitum reperitur in omnibus diœcesibus. Non ergo possunt regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittere sacerdotem vagum et ignotum. Imo neque id possent, etiamsi forte alicubi non adesset episcopalis hæc prohibitio ; quia ex solo jure naturali arcendus esset talis exterus ; ne alioquin contingeret a non sacerdote, vel a suspenso, sacrosanctum missæ sacrificium attentari. Pro *ignoto* autem habendus non est, qui testimoniales habet litteras, vel alicui personæ diœcesis, fide dignæ, notus est.

2° Vi citatæ Tridentinæ sanctionis, potest Episcopus prohibere ne regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittant sacerdotes exteros, quamvis notos, antequam licentiam ab Ordinario obtinuerint. Ita docet Benedictus XIV (*de Synodo diœces.*, l. 9, c. 15, n. 5). Atque idem a Sacra Congregatione Concilii fuisse declaratum, refert Ferraris in hunc modum (1) : « In suis ecclesiis non licet regularibus admittere sacerdotes « sæculares ad missam celebrandam, contra prohibitionem « Episcopi (S. Congregatio Concilii, in *Bononiensi*, 2 junii 1620; « et in *Limana*, 29 januarii 1633), et sacristæ seu præfecti

(1) Verbo *Missæ sacrificium*, art. 4, n. 24.

Digitized by Google

« ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permit-
« tendam celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita
« Ordinarii licentia (S. Cong. Concilii, in *Neapolitana*, 17 au-
« gusti 1630). » Non tamen solent Episcopi id statuere de sacerdotibus peregrinis *sufficienter notis*, saltem quoad primos octo vel decem dies. Frequenter enim contingit, ut sacerdotes illi, per diœcesim aliquam transeuntes, facile nequeant statim a primo adventus sui die ad episcopium sese transferre, ut scriptam celebrandi licentiam reportent; quo casu sacri faciendi consolatione et spirituali fructu fraudarentur; cumque ex hypothesi, satis noti sint in ecclesia, in qua celebrare vellent, defraudatio hæc valde dura foret et rigida; nisi forte rigorem hunc suaderent extraordinariæ aliquæ circumstantiæ.

Quæstio IIª. — *An regulares valeant ad celebrandum in suis ecclesiis admittere regularem extraneum diversi ordinis, antequam is licentiam Ordinarii obtinuerit?* — 1° Si hic foret vagus et ignotus, non possent illum admittere, quia de vagis et ignotis, sive regulares sint, sive seculares, prohibetur ne ullibi in diœcesi celebrare possint : et de hoc non est difficultas.

2° Potest prohibere Episcopus ne regulares extranei celebrare possint in monasterio diversi ordinis, quamvis in hoc monasterio sufficienter noti sint, antequam sibi, vel vicario suo generali, suorum superiorum testimonium exhibuerint. Id declarat Benedictus XIV, in constitutione *Apostolicum ministerium*, 30 maii 1753; ubi postquam generalem memoravit juris præscriptionem, qua prohibetur clericis *advenis*, ne ordinem suum exerceant, ante exhibitas Ordinario loci authenticas litteras, sic subjungit : « Porro hujusmodi præscriptum
« regulares etiam respicit, quoties extra diœcesim versantur,
« in qua ad sacros ordines promoti fuere ; proindeque susce-
« ptum ordinem exercere minime possunt, præsertim in
« ecclesiis quæ ad propriam sodalitatem non spectant, nisi
« prius Episcopis, aut vicariis generalibus vel foraneis, supe-
« riorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti
« ordinis testimonium, et libertas ab omni canonico impedi-

Digitized by Google

« mento irregularitatis vel suspensionis perspecta sit. » Hisce verbis, utpote generalibus, comprehendi videntur regulares advenæ, etiamsi *noti* sint monasterio, in quo celebrare volunt.

Prætera Tridentina synodus (sess. 22, *de Observandis in celebratione missæ*) potestatem Episcopis contulit *indefinitam*, ut ait Benedictus XIV (*de Synodo diœces.*, l. 9, c. 15, n. 5), ad statuenda omnia, quæ sibi expedire videbuntur, circa dictæ celebrationis licentiam ; idque etiam in exemptos. Quare dici nequit, præsentem casum sub illa Episcoporum amplissima potestate non comprehendi.

Quæstio IIIª. — *An regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittere valeant religiosum sui ordinis advenam, antequam is Ordinarii licentiam obtinuerit?* — Si ad litteram intelligenda forent modo citata Benedicti XIV verba, exigere posset Episcopus, ut neque in sui ordinis ecclesia celebrare liceret religioso advenæ, priusquam ipsi facultatem dedisset. Dicitur enim, *præsertim in ecclesiis quæ ad propriam sodalitatem non spectant:* quæ vox *præsertim* casum contrarium includit. Quod tamen Episcopus debeat superiori regularium liberum relinquere, ut religiosum ordinis sui advenam ad celebrandum admittat, aperte pronuntiat idem Benedictus XIV, constitutione *Quam grave* 2 augusti 1757, § 12 : « Licet non oporteat, « inquit, Episcopum sollicitum esse de regularibus, qui in « propriis ecclesiis missas celebrare intendunt, *cum ejus rei* « *cura reservata sit eorum superioribus regularibus*, si quis « tamen sæcularis sacerdos...» Unde, quando religiosus advena ejusdem ordinis est ac conventus, in quo celebraturus est, necesse non est ut licentiam ab Ordinario postulet ; quia, juxta Benedictum XIV, *ejus rei cura superioribus regularibus reservata est*. Citata autem verba constitutionis *Apostolicum*, vel benigne sunt interpretanda ; vel dicendum constitutionem hanc fuisse quoad hoc correctam per constitutionem *Quam grave*, utpote posteriorem.

Ad communem doctorum sententiam si respiciamus, eam videtur satis exprimere Wiestner [(*Institutiones can.*, l. 1,

Digitized by Google

tit. 22, n. 4 : « Episcopus, inquit, suæ diœcesis prælatis, « etiam regularibus, sub excommunicatione prohibere potest « ne sacerdotes sæculares, *aut etiam alterius* (*non sui*) *ordinis* « *regulares peregrinos*, ad missas in ecclesiis suis celebrandas « admittant, priusquam ipse, inspectis eorum litteris com- « mendatitiis, id permiserit; etiamsi prælati illi eorumque « ecclesiæ sint exemptæ... Ita cum Riccio et aliis doctoribus « Barbosa.., Palao., Layman..»

Adde generalem esse praxim, ut advena ejusdem ordinis religiosus, nequaquam ad Episcopum recurrat, pro celebranda in sui ordinis conventu missa. Neque, quod sciam, ullus Episcopus huic praxi obstat. Quod si quis obstaret, vexationi facile id tribuendum videretur, quia si conventus superiori quoad hoc non fidat (cum agatur duntaxat de explorando, an religiosus advena sacerdos sit et immunis a suspensione), a fortiori non deberet huic superiori facultatem facere prædicandi et confessiones audiendi.

Imo frequentissimum est, pro ea qua solent Episcopi regulares prælatos benevolentia et æstimatione prosequi, ut ipsis liberum faciant in suis ecclesiis ad celebrandum admittere, quoslibet sibi sufficienter notos advenas sacerdotes. Neque enim in hac re minus fidunt dictis superioribus quam vicariis suis generalibus.

Quæstio IVª. — *An regulares possint missas celebrare, et alios* (*servatis præmissis conditionibus*) *ad celebrandas admittere, non tantum in suis ecclesiis, sed etiam in suis oratoriis privatis seu domesticis, legitime erectis?* — Respondendum affirmative: estque hæc communior sententia doctorum, inter quos sic Ferraris (voce *Oratorium*, n. 72) : « Non comprehen- « duntur in decreto, tollente oratoria privata, capellæ et oratoria « privata regularium. Possunt enim adhuc hodie generales et « provinciales regularium in suis conventibus et collegiis « erigere privata oratoria, dummodo ad divinum cultum « tantum sint deputata. Et in ipsis, absque alia Episcopi vel « summi Pontificis facultate, possunt legi eodem die plures

Digitized by Google

« missæ, nedum a regularibus, sed etiam a presbyteris sæ-
« cularibus; cum hoc privilegium non sit personale tantum
« sed locale, quo frui possunt omnes alii sacerdotes. »

Quæstio Vᵃ. — *An prohibere possit Episcopus ne, absque sua licentia, in ecclesiis monialium missas celebrent alii præter capellanum sacerdotes?* — « Presbyteri (inquit Ferraris, voce « *Missæ sacrificium*, n. 26), qui capellani non sunt, possunt « prohiberi, ne accedant ad celebrandum in ecclesiis monia- « lium, etiam regularibus subjectarum, vel alias exemptarum; « quia talis accessus pertinet ad custodiam clausuræ, super « qua Episcopus invigilat et jurisdictionem indiscriminatim « exercet, ut respondit S. Congregatio... Capellanus autem « sufficit quod approbetur a superiore monasterii... In ecclesiis « monialium non debent regulares celebrare missas absque li- « centia Episcopi... »

Cum ita prohibere nequeat Episcopus nisi ratione clausuræ, in dubium vocari posset, an valeat Episcopus similem prohibitionem facere quoad ecclesias monialium, quæ clausuram non habent. De qua difficultate nolo quidquam pronuntiare; sed doctioribus eam enodandam relinquo.

Quæstio VIᵃ. — *Quid observandum quando celebrans in ecclesia regularium, habet officium diversum ab eo, de quo fit in hac ecclesia: et vice versa, quando id contingit regulari, extra propriam ecclesiam celebranti?* — De hac complexa quæstione, in manuscriptis viri cujusdam doctissimi, sic adnotatum reperio:

« Sacerdos sæcularis, sive capellanus, sive non, qui recitavit « officium semiduplex vel feriale, illo die celebrans in ecclesia « regularium in qua recitatum est ab ipsis regularibus eodem « die officium duplex de non præcepto, prout de sancto aliquo sui « ordinis, non potest dicere missam de *requiem*; idque intelligi « etiam debet pro ecclesiis monialium. » S. R. C. 9 junii 1668, et 11 februarii 1702 (1).

(1) Talu, Decret. auth. S. R. C., num. 456 et 738 in priori, vel 467 et 757 in posteriori editione Venet.

Digitized by Google

Sacerdotes etiam regulares, diebus quibus propria officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis ecclesiis, quando peragitur festum cum solemnitate et concursu populi, debent celebrare missam conformando se ritui et colori earumdem ecclesiarum, « sive hæ ecclesiæ sæcularium sint sive regu-« larium; idque etiam quoad *Credo* et numerum oratio-« num more duplicium. » S. R. C. 11 junii 1701 (1). « In aliis « vero diebus possunt; sed quando prohibentur missæ vo-« tivæ vel defunctorum, debent se uniformare, saltem quoad « colorem. » Ibidem. « Ac proinde, v. g., missa ab iis non « poterit celebrari de sancto confessore, si color fuerit rubeus, « etiamsi officium de confessore recitarent. » S. R. C. 7 maii 1746 (2). Secus, si color fuerit eorum quoque officio conveniens, aut si ea die in dictis ecclesiis permittantur missæ quæcunque votivæ vel de *Requiem:* quo tamen casu ipsi, quando quidem officium recitant ritus duplicis, non possunt dicere missas defunctorum (3), præterquam si contingat in iis ecclesiis celebrari exequias, anniversaria vel simile officium pro defunctis (4).

« In ecclesiis regularium diebus dominicis, quibus tam re-« gulares quam exteri celebrant de dominica, possunt exteri uti « coloribus paramentorum quibus utuntur regulares ratione ali-« cujus octavæ, et regulares celebrantes in alienis ecclesiis uti « coloribus juxta ritum eorumdem; et tam exteri in ecclesiis re-« gularium quam regulares in alienis possunt apponere com-« memorationem octavæ, ut supra, occurrentis, servata rubrica « de duplici oratione habenda in dominicis infra octavam. S. « R. C. 11 junii 1701 (5).

« Missæ propriæ concessæ certis regularibus et certis locis,

(1) S. R. C., n. 733 et 734 vel 752 et 753.

(2) Ibid., num. 1197 vel 1229.

(3) Ibid., num. 1196 vel 1228.

(4) Ibid., num. 780 vel 805; sed potius Cfr. num. 752 et 1261 in posteriori editione.

(5) Ibid., num. 735 vel 754.

Digitized by Google

« non possunt ab aliis dici alibi, et nequidem in ecclesiis eorum-
« dem regularium. » S. R. C. 19 novembris 1622 (1). Unde
« qui celebrat missam in aliqua ecclesia regularium, aut etiam
« monialium, in qua fit de festo duplici habente missam pro-
« priam quæ non sit concessa omnibus, missam quidem dicat
« de festo, sed cum missali romano. » S. R. C. 9 junii
1668 (2).

« Confessario et capellanis tantum quarumcunque monia-
« lium servitio addictis licitum est missas sanctorum de quibus
« ipsæ recitant officium, celebrare, sed cum missali romano et
« de communi, non vero missas proprias eorumdem sancto-
« rum variis ordinibus concessas. » S. R. C. 20 novembris
1717, approbante Clemente XI, die 1 decembris (3); et jam ante
S. R. C. 29 novembris 1628 (4).

Hæc facultas « intelligi debet pro omnibus et singulis qui ex
« debito tenentur celebrare in ecclesiis ipsarum monialium. »
S. R. C. 11 februarii 1702 (5).

Quod vero ad missam conventualem, hanc quidem capellanus dicere debet conformem officio quod a monialibus in choro recitatur, nunquam respiciendo ad proprium suum officium (de quo ne commemorationem quidem faciet); verum servato missali romano, ut supra dictum, nisi speciale adsit indultum (6).

Ex tali indulto « capellani monialium ordinis S. Benedicti
« cæterique sacerdotes, tam sæculares quam regulares, ad earum
« ecclesias confluentes missam propriam S. Benedicti cum

(1) Ferraris, Biblioth., voce *Missæ sacrificium*, art. 12, num. 2.

(2) Ibid., num. 3, Cfr. Benedictum XIV de S. missæ sacrif., lib. 3, cap. 23, n. 1, tom. 8 oper., pag. 175; de beatif. et canonis., lib. 4, part. 2, cap. 2, num. 5, tom. 4 oper., pag. 282 et 283.

(3) Talu, num. 867 vel 893; et Magn. Bull. Rom., tom. 8, pag. 441, edit. Luxemb.

(4) Ferraris, loc. cit., num. 4.

(5) Talu, num. 739 vel 758.

(6) Direct. divini officii pro archidiœc. Mechlin., an. 1843 ad calcem mensis martii, pag. 26.

Digitized by Google

« missali monastico, non solum in die festo, sed per subse-
« quentes dies alias non impeditas infra ejus octavam, celebrare
« possunt ac debent. » S. R. C. 21 martii 1744, Benedicto XIII antea permittente (1): imo Romsée generatim asserit « posse
« capellanos monialium Benedictinarum, ex indulto Bene-
« dicti XIV, legere missas propriaş sanctorum ordinis (2). »
Ita Pius VI, 5 septembris 1775, concessit ut quilibet sacerdos, celebrans in ecclesiis personarum utriusque sexus ordinis Minorum S. Francisci, possit prorsus in omnibus uti missali franciscano. Similiter concessit die 14 augusti 1777 ut quilibet sacerdos, in qualibet ecclesia personarum utriusque sexus ordinis Carmelitarum discalceatorum sacrificans, possit prorsus in omnibus uti missali carmelitano. Hujusmodi indulta nonnullis aliis ordinibus sunt concessa (3). Nempe reperimus concessa itidem fuisse a Clemente XIV, die 18 junii 1773, pro ecclesiis ordinis Eremitarum S. Augustini et a Pio VI, die 15 julii 1778, pro ecclesiis ordinis Capuccinorum utriusque sexus (4). Neque id mirum : nam dictorum ordinum missalia a romano non alia re differunt quam insertione missarum aliquot propriarum. Pleræque etiam missæ propriæ societatis Jesu a quolibet sacerdote in hujus ecclesiis legi possunt.

Qui vero missalibus a romano discrepantibus utuntur regulares, uti faciunt, v. g., Præmonstratenses, vel etiam ritus aliquos in missa adhibent a romanis diversos, uti Carthusiani, Prædicatores et Carmelitæ calceati, iis usuvenit quod Benedictus XIV procurandum indicat hisce verbis (5): « Magrius...
« in *Notitia ecclesiast.*, verbo *Missa*, presbyteros sæculares uti
« posse regularium missali censet, si in ipsorum ecclesia roma-

(1) Talu, num. 1140 vel 1171.
(1) Oper. liturg., tom. 5, ad decret. 312, pag. 134 et 135, edit. Mechlin. 1830.
(3) Direct. Mechlin., loco cit.
(4) Romsée, loco cit., et nova collectio decretorum S. R. C. excusa Lovanii an. 1788, ad decret. 1235.
(5) Cfr. Romsée, op. cit., tom. 4, p. 401.

Digitized by Google

« num haberi nequeat. Attamen, ut sacri ritus observentur, « præfectos regularium qui missali romano non utuntur, admo- « nemus ut pro exteris sacerdotibus illud in sacrario retineant, « ne aliam ac debent missam celebrent, sed eam potissimum « quæ in missali romano præscribitur, si in eo propria illius « sancti de quo celebritas agitur, missa designetur ; aliter vero « de communi ejusdem sancti missam eligant, quæ pariter in « missali romano adnotatur. »

Hæc quidem ad ritus spectantia breviter indicasse non omnino abs re erit, cum agatur de difficultatibus quæ frequenter in praxi occurrere solent.

Quæstio VII^a^. — *An præcepto missam audiendi satisfacere possint parochiani in ecclesiis regularium ?* — 1° In quibuslibet ecclesiis et oratoriis publicis huic præcepto satisfacere possunt parochiani ; estque id jamdudum extra controversiam apud probatæ doctrinæ scriptores. 2° Potest quidem Episcopus *hortari* parochianos ut in suis quique parochiis missæ intersint diebus festis et dominicis ; at nequit illud *præcipere :* facultas enim illa, qua gaudent fideles, dicto præcepto in qualibet maluerint ecclesia satisfaciendi, transiit in *jus universale ;* nec proinde jam potest sola Episcopi auctoritate mutari. Hæc vide probata apud Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 11, cap. 14, n. 7 ad 12. Diximus *in ecclesiis* regularium : an vero etiam in eorum *privatis seu domesticis oratoriis*, sequenti quæstione expenditur.

Quæstio VIII^a^. — *An parochiani possint missæ audiendæ præcepto satisfacere, etiam in oratoriis privatis seu domesticis regularium ?* — Equidem Benedictus XIV (*de Syn. diœc.*, l. 11, c. 14, n. 10), dum asserit, *integrum hodie omnibus esse in qualibet ecclesia sacris mysteriis interesse*, hanc apponit limitationem : *modo non sit capella seu oratorium privatum.* Item Cardinalis Petra (in const. 8 Honorii III, n. 48, tom. 2, pag. 267, edit. Venet. 1741) loquens de privatis regularium oratoriis, sic habet : « An sæculares ibi missam audientes satisfaciant præ- « cepto ? Certum est regulariter non satisfacere nisi speciale

Digitized by Google

« sit privilegium. » Nihilominus communior videtur contraria sententia, pro qua citantur Ferraris, Tamburinus, Azorius, Suarez, Diana, Quarti, Rossignolus, Cavallieri, Gatticus, de Bonis. Unum adducemus Ferrarium : « In supradictis privatis « regularium oratoriis seu capellis possunt omnes fideles mis- « sam audire et satisfacere præcepto audiendi sacrum diebus « festis ; quia ista oratoria gaudent privilegio oratorii publici, « cum sunt per modum habitus deputata duntaxat ad divinum « cultum, et tale privilegium non sit personale tantum, sed « etiam locale, quo frui possunt etiam omnes alii Christi fi- « deles... Rossignolus... expresse dicit, quod in dictis ora- « toriis, *omnes indifferenter et libere audiunt sacrum ; nec « ullus est qui dubitet quin præcepto satisfaciat.* » (Verbo *Oratorium*, n. 76.) Idem sustinet Ferraris, verbo *Missæ sacrificium*, art. 16, n. 12; atque ibi in confirmationem adducit duas declarationes Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, atque item binas Sacræ Congregationis Concilii. Et hæc sententia mihi videtur tuta in praxi.

At secus dicendum de oratoriis privatis sæcularium. Ibi enim præcepto missam audiendi eæ solæ personæ possunt satisfacere ad quas privilegium extenditur. Et ratio discriminis est, quia hæc posteriora oratorii privati privilegia *personalia* sunt ; priora vero *localia*.

Nota. — Ex dictis sub præsenti quæstione, moderandum videtur quod scripsi in tractatu *de Parocho*, pagina 460. Assertionem scilicet, « posse fideles præcepto missam audiendi sa- « tisfacere in quacunque ecclesia, » limitavi (auctoritate Benedicti XIV ductus) in hunc modum : *Modo tamen non sit capella privata seu oratorium privatum.* Quam limitationem nunc retraho, quoad oratoria privata regularium.

Quæstio IX^a^. — *Quatenus possint regulares, in suis ecclesiis, sæcularibus extra conventum degentibus communionem præbere, excepto solo Paschatis die ; et etiam die Paschatis, si vigeat consuetudo, et communicans paschalem communionem in parochia jam fecerit aut facturus sit ?* — 1° Certum est teneri

Digitized by Google

parochianos (in conventu non degentes, vel conventui non inservientes) communionem paschalem in sua parochia facere.

2° Item certum est posse iisdem sacram eucharistiam præberi in regularium ecclesiis per totum annum, excepto solo Paschatis die (vide id probatum a Benedicto XIV, *de Synodo diœc.*, l. 9, c. 16, n. 3).

3° Sat communis olim fuit doctorum sententia, posse in ecclesiis regularibus die Paschatis communionem præberi iis fidelibus, qui communionis paschalis præcepto jam in sua parochia satisfecerunt, vel satisfacere proponunt. Sed a S. Congregatione Concilii contrarium declaratum est (vide declarationes apud Benedictum XIV, loco citato). Unde attento solo jure scripto, jam nequeunt regulares die Paschatis communionem præbere extraneis, etiamsi jam communionem paschalem in parochia sua fecerint.

4° An autem id facere adhuc possint regulares *vi consuetudinis*, ubi consuetudo illa viget, est quæstio quæ superest expendenda. Videtur sanctus Liguorius sententiam affirmativam, saltem tanquam probabilem habuisse. Sic enim adnotat (l. 6, tract. 3, cap. 2, dub. 1, art. 1, n. 240) : « Refert..... Benedi-« ctus XIV.... declarasse S. Congregationem, non posse regula-« res die Paschatis ministrare eucharistiam ex devotione com-« municantibus. Sed Roncaglia... et Wigandt..., in hoc « constantem esse consuetudinem in contrarium, quæ jurisdi-« ctionem præbet. » Testatur Gobat (Oper. mor., tom. 1, tract. 4, cas. 5, n. 80 et 81) suo tempore generalem fuisse hujusmodi consuetudinem, præterquam apud Friburgenses Helvetios, ubi rigor declarationis S. Congregationis Concilii erat in perpetuo usu. Et de eadem consuetudine alii auctores similiter testantur. Hinc in praxi non statim inferenda esset molestia regularibus, qui die Paschatis sacram eucharistiam porrigerent; sed videndum an pro se haberent legitimam consuetudinem ; quia haud certa et extra controversiam videtur ejusmodi consuetudinis illegitimitas.

Quæstio X^a^. — *An et quinam regularium famuli possint in*

Digitized by Google

ecclesia regularium communionis paschalis præcepto satisfacere; et an iis famulis possint regulares viaticum, extremam unctionem et sepulturam dare? — Generalis et certa regula est non posse religiosos viaticum et extremam unctionem absque Ordinarii aut parochi licentia sæcularibus ministrare. Imo si absque dicta licentia ministrarent, excommunicationem ipso facto incurrerent (Clementina *Religiosi, de Privilegiis et excess.*). Hæc tamen generalis regula nonnullas exceptiones patitur, quas enumerat sanctus Liguorius (lib. 6, tract. 3, c. 2, dub. 1, art. 1, n. 240). Ejusmodi exceptiones sunt, si adsit extrema necessitas : si adsit necessitas gravis, et parochus nolit vel non possit ministrare : si ministrandus sit aliquis peregrinus seu vagus (quod tamen aliquatenus controvertitur) : excipiendi etiam sunt famuli regularium, modo concurrant certæ quædam conditiones, ut mox dicemus. An vero idem dicendum sit de collegiorum convictoribus, expenditur infra. Exceptis autem dictis personis et casibus, jus esse parochi viaticum et extremam unctionem parochianis suis ministrare, atque id regularibus nequaquam licere omnino certum est.

Item nunquam, sine licentia Episcopi vel parochi, fas est religiosis publice eucharistiam deferre par plateas, ut communionem (etsi extra viaticum) ægroto deferant; « cum id « juri parochorum, *consuetudine obtento*, deroget. » (S. Liguorius, loco citato.) *Consuetudine*, inquam, nam cæteroquin, prout ibidem docet S. Liguorius, « administratio eucharistiæ « tantum est vetita regularibus, quando præceptum commu- « nionis obligat. »

His prænotatis, ad positam de famulis regularium quæstionem progrediamur.

1° Ut famuli possint in ecclesia regularium communionem paschalem facere, atque ipsis valeant regulares viaticum, extremam unctionem et sepulturam dare, oportet eos et *actu inservire* conventui, et degere *intra septa*, et *sub regularium obedientia*. Tres illas conditiones enumerat Tridentina synodus (sess. 24, c. 11) his verbis : *Exceptis iis qui actu inserviunt; et*

Digitized by Google

intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt. « Per *domum* monasteria, per *septa* vero claustra a « Tridentina synodo intelliguntur. Quod scriptores unani- « miter affirmant. » (Benedictus XIV, institutione 55, n. 7.) Quod tres dictæ conditiones requirantur extra controversiam est, sed duplex menti occurrere potest difficultas, nempe : quinam famuli censendi sint habitare *intra septa et domum*, et quinam sub regularium *obedientia* vivere. Unde,

2° Non censendi sunt habitare *intra septa et domum* conventus ii famuli qui, licet ibi laborent, non tamen pernoctant; prout sunt sutores, barbitonsores et alii artifices. Et de his non est difficultas.

3° Neque censendi sunt habitare *intra septa et domum*, qui domicilium quidem habent *intra ambitum* monasterii, sed a proprie dicto regularium habitaculo sejunctum ; idque verum remanet, etiamsi ambitus monasterii muris undequaque clausum sit, seu, ut ait Benedictus XIV, licet ejusmodi famuli versentur in æde, « quæ pertineat ad monasterium eique con- « jungatur, ipsiusque circuitu per muros exteriores inclu- « datur. » (Institutione 55, n. 7.) Constat variis S. Congregationis Concilii decisionibus, inter quas sequentem adducit (citato loco) præfatus Benedictus XIV : *An famuli et famulæ monialium sæculares, degentes in mansionibus sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis, et quæ sunt contigua monasteriis, et habent portam quæ clauditur, teneantur recipere sacramentum eucharistiæ tempore paschali a parochis in quorum parochiis monasterium et mansiones sitæ sunt?* Responsum fuit, *affirmative.* Vide alias decisiones (*Thesauro resol.*, t. 2, p. 105, edit. Urbini 1739).

4° Remanet determinandum, quinam famuli censendi sint *sub obedientia* regularium sufficienter vivere, ad hoc ut possint communionem paschalem in monasterio facere, atque ibidem viaticum, extremam unctionem et sepulturam recipere.

Certa et tenenda doctrina est, non requiri obedientiam ex voto debitam, neque obedientiam debitam ex professione

Digitized by Google

religiosa; sed sufficere obedientiam *ratione famulatus* debitam; id est eam obedientiam, quam dominis suis debent famuli.

Probatur primo, doctorum auctoritate. — Ferraris, voce *Approbatio*, n. 64 et sequentibus, expendit quæstionem, an regulares possint absque Ordinarii approbatione, et cum sola superioris regularis licentia, audire confessiones illorum sæcularium, qui sunt continui commensales et de familia monasterii. Quam quæstionem resolvit affirmative quoad famulos, intra septa et domos monasteriorum habitantes, et sub regularium obedientia viventes, licet *sint salario stipendiati*, et licet obediant *non ratione voti, sed ratione servitutis*. Et quamvis ibi expresse non expendat, an ii famuli possint communionem paschalem, necnon viaticum et sepulturam in monasterio recipere, tamen id a fortiori inferendum est ex facultate regularium absolvendi hosce famulos, absque obtenta ab Ordinario ad confessiones audiendas approbatione. En dicti auctoris verba :

« Possunt autem regulares sine approbatione Episcopi et « cum sola approbatione prælati regularis audire confessio- « nes illorum sæcularium, qui sunt vere de familia in suis « monasteriis, et veri commensales : secus vero illorum qui « tantum ipsis deserviunt, et cum sæcularibus exteris extra mo- « nasterium habitant et vivunt. »

Id postquam probavit, expresse famulis conclusionem applicat in hunc modum : « Vere autem de familia et continui « commensales ad fruendum hoc privilegio dicuntur omnes « oblati, donati seu tertiarii, *atque etiam sæculares qui religio- « sis deserviunt*, et intra eorum monasteriorum septa ac « domos resident, et *sub eorum obedientia vivunt, licet non « ratione voti, sed ratione servitutis*. Isti namque eximuntur « a subjectione Ordinariorum, *et gaudent privilegiis religioso- « rum quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati*, ut « colligitur ex concilio Tridentino (sess. 24, c. 11) his verbis : « *Exceptis tamen iis qui prædictis locis aut militiis actu inser- « viunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum*

Digitized by Google

« *obedientia vivunt*. Et deducitur clare etiam ex citato decreto « Sacræ Congregationis ; et ex citata constitutione *Superna*, ubi, « ut sæculares fruantur hoc privilegio non requiritur nisi, ut « ibi sint vere *de familia et continui commensales :* uti de facto « sunt etiam religiosorum famuli diu noctuque degentes in « eorum monasteriis, sub omnimoda subjectione eorum præ- « latorum : et per hoc confessarii regulares possunt eorum « confessiones excipere cum sola approbatione sui prælati « regularis, et sine approbatione et facultate Episcopi seu « Ordinarii loci. Hoc tamen privilegio non gaudent sæculares « illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non « sunt de familia nec continui commensales, et cum sæcu- « laribus exteris extra monasteria habitant et vivunt. »

Consonat doctrina Passerini (*de Statib. hom.*, t. 2, q. 187, art. 1, n. 338, apud Bremond, *Bullar. ord. Præd.*, tom. 8, tit. 7, q. 4, n. 8, pag. 317). Postquam adnotavit non sufficere quodlibet servitium, sed requiri ut famuli insistant circa servitia personalia domini, subjungit : « Insistere vero circa « servitia personalia dicuntur, qui intra domum circa ea qui- « bus superior utitur insistunt. Et hujusmodi familiares, « descripsit concilium Tridentinum..., tales vocans qui actu « serviunt, et intra monasteriorum septa ac domos resident, « subque dominorum obedientia vivunt : non quidem *quia ex* « *vi voti obedientiæ teneantur obedire, sed quia obedientia* « *servientium subsunt domino.* »

Idem tenet Giraldi (*Expositio juris pontificii*, parte 1, tit. 33, sect. 891) : « Quæ quidem obedientia interpretanda est, non « de obedientia religiosa, sed servili, *qualem profitentur fa-* « *muli dominis suis.* » A citandis aliis auctoribus, quia res obvia est, abstinemus.

Probatur secundo, ex modo loquendi S. Congregationis Concilii. — Ad hoc nempe ut famulis possint a regularibus ministrari viaticum et extrema unctio, etc., requirit tantum duas conditiones : nempe ut actu inserviant, et habitent intra septa et domos. Non loquitur autem de tertia conditione, ut vivant

Digitized by Google

sub regularium obedientia. Cum enim hæc conditio semper adsit, hoc ipso quod *actu inserviant* et in monasterio degant, inutiliter exprimeretur. Putat proinde S. Congregatio sufficere obedientiam *quam famuli dominis suis profitentur*, et adesse hanc obedientiam etiamsi ejusmodi famuli sint stipendiati, nec subsint regularibus nisi ratione famulatus. Quod autem revera Sacra Congregatio tertiam illam conditionem exprimendam non existimet, utpote in duobus aliis sufficienter inclusam, satis patebit ex sequentibus declarationibus.

« In una Mediolanensi, discusso inter cætera hoc dubio : « *An laicis qui intra claustra regularium habitant et illis actu* « *serviunt possint regulares sacramentum eucharistiæ et tempore* « *Paschæ, ac extremæ unctionis ministrare, necnon in eorum* « *ecclesiis eisdem laicis sepulturam dare*, Sacra Congregatio sub « mensem junii 1587 rescripsit : *posse.* » (*Thesaurus resolut.*, tom. 8, pag. 17.)

In *Vratislaviensi* (jurium parochialium, 25 januarii 1738), deliberandum erat : *An patri abbati monasterii S. Vincentii... sive religiosis ab eo deputatis competat exercitium omnimodæ jurisdictionis parochialis quoad personas inservientium eidem monasterio eorumque familias, tam degentium infra quam extra illius septa ?* Responsum est *negative, et Patrem abbatem, sive religiosos ab eo deputatos, posse tantum laicis degentibus intra septa monasterii, eique actu inservientibus, ministrare sacramenta eucharistiæ etiam tempore Paschatis, ac extremæ unctionis, necnon sepulturam dare in propria ecclesia, juxta decretum editum in Mediolanensi.*

5. Ergo prorsus rejicienda est opinio moderni cujusdam scriptoris (Mariani Verhoeven), qui, in opusculo, *de Regularium et sæcularium clericorum juribus* inscripto, pagina 109, regularium famulos pretio conductos a supradicto privilegio excludit, utpote qui dici nequeant sub regularium *obedientia* vivere. « Ut enim, inquit, hujusmodi personæ exemptionis jure « gaudeant tres conditiones simul concurrere debent; scilicet « requiritur ut... ; ut... ; et tandem ut sub eorum obedientia

Digitized by Google

« vivant. Atqui nèmo dixerit, famulos conductitios vivere « sub regularium *obedientia.* » Porro quod putavit præfatus auctor a *nemine* dici, communiter tradunt probati doctores, ut ostendimus. Si nempe isti famuli intra septa monasterii habitent, id est, modo continuo degant, quamvis regularibus obedire non teneantur nisi ratione famulatus, et quamvis sint salario stipendiati, censendi sunt *sub regularium obedientia* sufficienter vivere, ad hoc ut possint ibi a regularibus communionem paschalem, viaticum, ultimam unctionem et sepulturam recipere.

Quæstio XI^a^. — *An, secluso privilegio speciali, juvenes in collegiis regularium et puellæ in conventibus monialium educationis causa degentes, a lege parochiæ eximantur quoad communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem et sepulturam?* — Dicimus *secluso speciali privilegio;* quia si cui monialium conventui concessum fuerit speciale privilegium, ut puellæ ibi degentes valeant a capellano communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem et sepulturam recipere: item si aliqui religiosi privilegium speciale habeant ut idem alumnis suis convictoribus præstare possint, absque licentia Episcopi aut parochi, nulla erit difficultas. At vero, si non adsit speciale hujusmodi privilegium,

1° Certum est quæstionem controverti inter doctores, et mihi quidem videtur difficillima, nec tentabo eam enucleare; sed nonnulla duntaxat adnotabo quæ utiliora visa sunt.

2° Duplex distingui potest controversiæ caput : *primo* nempe an dicta exemptio a lege parochiæ deduci valeat e *textibus juris communis : secundo,* an deduci saltem possit e privilegiis quæ aliquibus ordinibus concessa sunt, et quæ per privilegiorum communicationem, evaserint cæteris communia.

3° Textus juris, qui proferri solent, quæstionem disputationi obnoxiam relinquere videntur.

Primo, caput 10 sessionis 24 (*de Refor.*) Tridentini concilii, declarat quidem ab Ordinarii jurisdictione exemptas sæculares personas, quæ regularibus *actu serviunt, et intra eorum septa*

Digitized by Google

ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt. Sed ibi agitur duntaxat de iis qui serviunt seu de famulis, quales non sunt juvenes et puellæ de quibus agimus.

Secundo, eadem synodus (sess. 25, c. 11 *de Regul.*) sic disponit: *In monasteriis, seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personæ, tam regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediate, in iis quæ ad dictam curam... pertinent, jurisdictioni... Episcopi.* Ex eo quod ibi dicatur *præter eas quæ sunt de illorum familia* concludunt multi a lege parochiæ liberos esse omnes qui dici possunt *de familia* regularium : tales autem esse dictos juvenes et puellas commensales, existimant. Et revera ibi sat clare distinguit synodus casum quo monasterium habet curam earum solummodo personarum sæcularium *quæ sunt de familia*, et casum quo curam habet insuper aliarum sæcularium personarum. Et quoad posteriorem casum, decernit curam illam exercentes fore subjectos Ordinario. Unde concludendum venit contrarium in priori casu ; nempe monasterium quoad curam personarum sæcularium *quæ sunt de familia*, ordinariæ jurisdictioni Episcopi aut parochi non subjacere. Sed probandum remaneret dictos juvenes et puellas esse revera *de familia* regularium. Non desunt enim qui existiment eos esse tantum *hospites* et *inquilinos* (locataires), non vero familiares.

Tertio, adducit Ferraris (voce *Approbatio*, art. 1, n. 65) constitutionem *Superna* Clementis X, in qua sic statuitur : *Cæterum in monasteriis et etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam prælatos regulares quam confessores regularium eorumdem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum sæcularium* (intellige, ait Ferraris, sine approbatione Episcopi), *qui inibi sunt vere de familia et continui commensales ; non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt.* Textus hic difficultatem non tollit ; quia controvertitur num juvenes in collegiis regularium convictores, et puellæ quæ intra claustra monialium educantur *sint vere de familia.*

Digitized by Google

Quarto. Ex decisionibus autem Sacrarum Congregationum, quæ pro et contra producuntur, ego saltem non potui peremptoriam quæstionis solutionem introspicere.

4° An vero dictorum juvenum a lege parochiæ exemptio deduci valeat ex privilegiis, quæ aliquibus ordinibus concessa, facta sint cæteris communia? Refert Suarez privilegium quoddam Benedictinis concessum, et in compendio privilegiorum societatis Jesu positum, vi cujus, ut ipse existimat, dari potest a regularibus extrema unctio iis qui intra collegiorum septa ægrotant, etiamsi non inserviant, nec dici valeant de familia; quod et applicat juvenibus, studiorum causa, in collegiis degentibus : « De altera vero conditione, ha-« bitationis in eadem domo, quod interdum per se sola suffi-« ciat, colligi potest ex concessione facta Benedictinis, quæ « sub his verbis refertur in nostro compendio (verbo *Extrema* « *Unctio*) : *Possunt nostri iis qui intra septa collegiorum seu* « *domorum infirmati fuerint, extremam unctionem Apostolica* « *auctoritate libere et licite, parochialis presbyteri vel alterius* « *cujuscunque Episcopi vel superioris licentia vel assensu nul-* « *latenus requisito, ministrare*... In hac (concessione) nulla fa-« miliaritatis, obsequii aut servitii mentio fit; sed solum postu-« latur, ut intra monasterium aliquis ægrotet; quod potest « contingere, vel occasione hospitii, vel si contingat *aliquos* « *sæculares intra monasterium vel collegium studii causa*, vel « per aliam similem occasionem diutius commorari... Pro « hujusmodi ergo casibus utilissimum erit hoc privilegium « hoc modo intellectum; et... in hoc sensu videtur pro « societate admissum et applicatum in dicto compendio... » (*De Religione*, tom. 4, tract. 10, lib. 9, cap. 4, n. 16.) Si ejusmodi privilegium, vel alia quæ forte concessa sunt, ad cæteros etiam regulares per viam communicationis pertinerent, dici posset eximi dictos juvenes convictores a lege parochiæ, quoad extremam unctionem, viaticum, etc. Verum obstare videntur plures Sacrarum Congregationum declarationes, verbi gratia, in *Astensi* 27 novembris 1717 (*Thesauri*, tom. 1,

Digitized by Google

pag. 8) mota est quæstio de comite Eustachio Pallio, qui in conventum Eremitarum Sancti Augustini secesserat, ibique, solutis conventui alimentis, vitam sub habitu sæculari ducebat. Cum læthali morbo decubuisset, Patres conventus, irrequisito parocho, ei viaticum et extremam unctionem ministrarunt, atque defunctum in sua ecclesia sepelierunt. Reclamante parocho, propositum est Sacræ Congregationi dubium : 1° *An Patres Sancti Augustini licite potuerint, irrequisito parocho, sacramenta administrare et corpus tumulare... ? Et quatenus negative?* 2° *An sit locus exhumationi cadaveris et restitutioni omnium emolumentorum funeralium in casu?* Responsum est : *Ad primum, negative. — Ad secundum, negative, quoad primam partem, et quoad secundam, teneri ad quartam funeralium.* De hujusmodi autem decisionibus, præfato privilegio contrariis, mentio fit in compendio privilegiorum societatis Jesu (voce *Eucharistia*, § 4, *institutum S. J.*, vol. 1, pag. 295 et 296, edit. Prag. 1757). Ibi enim in annotatione sic habetur : « Usus hujus privilegii in famulis erit prout dicetur inferius... « In hospitibus vero, quum in factis particularibus sint in con- « trarium plures decisiones S. Congregationis, eo nonnisi caute « et sine offensione parochorum utentur superiores..., atten- « dendo semper locorum consuetudinem. »

5° Quod attinet ad consuetudinem, quæ procul dubio in hac re multum attendenda est, videtur in favorem regularium fere generalis fuisse, prout ex variis documentis perspicere potui.

6° Quando agitur de puellis in conventu monialium educationis causa degentibus, facilius doctores admittunt, posse ipsis viaticum et extremam unctionem, irrequisito parocho, ministrari. Sic, verbi gratia, sentit Mathæucci (*Official. cur. eccles.*, cap. 32, pag. 251, edit. Rom. 1709) : « Puellis in edu- « cationem receptis intra regularium exemptarum monasteria, « non possunt sacramenta administrari, nec viaticum, nec ex- « trema unctio, a parochis ; quia sunt in loco exempto et clau- « suræ terminis restricto, quem parochi non possunt intrare..., « et sic est praxis Romæ et in tota Italia. » Quam praxim

Digitized by Google

agnovit quoque, licet ægre eam videatur probasse Jacobus Pignatelli (*Consultationum*, tomo 7, consult. 63). De sepultura autem quoad easdem puellas magis disputatur.

His adnotatis, et supponendo rem esse adhuc nostris temporibus controversiæ obnoxiam, quid in praxi prudenter agi possit, superest exquirendum.

7° Hodiernus Mechliniensis Archipræsul, in quadam sua de regularium exemptione epistola, hac de re disposuit in hunc modum : *Superiores ordinum exemptorum gaudent ordinaria jurisdictione in sibi subditos religiosos, hisque sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ, viaticum et extremam unctionem administrare possunt ac tenentur. Superior cujusque domus est parochus, ipsaque domus est quodammodo parochia religiosorum in ea habitantium..... Religiosis æquiparantur novitii, famuli et commensales continui, qui sunt sub obedientia superioris. Abstrahendo a quæstione quæ inter canonistas controvertitur, an discipuli convictores commensalibus annumerandi sint, specialiter justisque de causis concedimus et statuimus ut regulares, qui cum consensu nostro scholas aut collegia aperuerint, discipulos omnes, sive internos sive externos, certioratis tamen prius parochis, ad primam communionem et communionem paschalem in ecclesiis vel sacellis suis admittere valeant; necnon ut discipulis in scholis vel collegiis decumbentibus, sacrum viaticum et extremam unctionem administrent, ac ibidem defunctis justa persolvant* (apud Kersten, *Journal hist. et littéraire*, tom. 2, pag. 574. — *Statut. diœcesis Brugensis*, parte 1, tit. 6, art. 3, pag. 70).

Advertat lector bene posse aliquod hospitale, aliquodve personarum collegium, aut alium locum pium, per solam Episcopi auctoritatem eximi ab obligatione paschalem communionem excipiendi in parochia, necnon recipiendi a parocho viaticum et extremam unctionem. Unde in hypothesi etiam quod certum foret jus parochi de quo agimus, relative ad dictos juvenes convictores, et dictas puellas in monialium conventibus degentes, sufficit decretum episcopale ad sus-

Digitized by Google

pendendum hocce jus parochiale; quia tandem potest Episcopus hisce juvenibus et puellis facultatem concedere communionem paschalem in sacello conventus quem incolunt faciendi: atque item potest pro administrando ipsis viatico et extrema unctione deputare collegii directores quoad dictos juvenes, et capellanum monialium quoad dictas puellas. Unde si ejusmodi decretum edicat Episcopus, præcavebuntur dissentiones et jurgia. Atvero non item litibus præcluderetur aditus, si contrarium in parochi favorem Episcopus decerneret. In hypothesi enim quod dictum jus quoad ejusmodi juvenes et puellas regularibus competat, sive ex jure Tridentino, sive ex privilegiis, non potest ipsis adimi Episcopi auctoritate. Hinc nihil consultius videtur, quam ut ad instar citatæ Mechliniensis Archiepiscopi dispositionis, a lege parochiæ ejusmodi juvenes et puellæ decreto episcopali prorsus liberi declarentur. Et de facto sic videmus in praxi generaliter inductum; non tantum quando dicti juvenes et puellæ a regularibus et monialibus proprie dictis educantur, sed etiam quando ipsis præsunt sæculares presbyteri, et moniales quæ nec solemnia vota, nec quandoque etiam simplicia perpetua habent. In seminariis Galliæ, verbi gratia, ægrotantibus juvenibus, non a parocho, sed a seminarii directoribus viaticum et extrema unctio ministrantur, atque idem præstatur a capellano puellis in conventibus earum etiam monialium quæ proprie religiosæ non sunt. Multumque id expedire, satis per se patet. Quis non videat, verbi gratia, non utilitatem, sed haud parvum inconveniens secuturum, si deberent puellæ quæ in monialium claustris educantur, per plateas exire ut in parochiali ecclesia paschalem communionem reciperent? Item ut quid vocandus et expectandus parochus ad ministrandum viaticum et extremam unctionem, quando in collegio præsto sunt regulares presbyteri, atque ipsi juvenum confessarii, qui id peragant? Sane parochi querimonias de hac praxi emittentes aliud a se intendi quam salutem animarum palam facerent.

Quæstio XII^a^. — *An possint regulares primam communio-*

Digitized by Google

nem absque licentia parochi, in suis Ecclesiis pueris aut puellis porrigere? — Prætermissam in meo tractatu *de Parocho* quæstionem illam advertens reverendus D. de... vicarius generalis, monuit me, ne inutilem existimarem; eo quod nempe magis in dies apud Galliæ parochos invalescat falsa opinio, qua parochialibus juribus adcensetur ejusmodi puerorum ad primam communionem admissio. Sed revera vix confutatione digna videtur opinio hæc recens orta, et apud doctores ac canonistas fere inaudita. Nihil in jure reperitur quo vel minimum fulciri possit. Etenim nedum ad solos parochos pertineat judicare, an puer idoneam ætatem ad sacra recipienda attigerit, judicium illud potiori jure ad parentes et ad confessarium pertinere docet catechismus romanus : *Qua vero ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater, et sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari an hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant* (*catechismus rom.*, *de eucharistiæ sacr.*, § *eucharistiæ sacramentum quando, quoties et a quibus sumendum*). In quibusdam regionibus, verbi gratia, in Helvetia et Hispania, puer quisque, cæteris grandioribus personis communicantibus permixtus, quando ipsius confessario et parentibus bene visum fuerit, ad eucharisticas dapes primum accedit. Hinc merito Nardi (*dei Parochi*, t. 1, cap. 7, pag. 169, not. 3) : « Admissio « puerorum ad primam communionem si fiat a parocho, bene « est; verum non est hoc jus ipsorum. Possunt parentes liberos « suos alio quam ad parrochiam mittere, si opportunum existi- « ment. Arimini noviter communicantes sacrum panem prima « vice accipiunt dominica in albis; atque ex antiquissima con- « suetudine et lege synodali debent omnes a parochis mitti ad « ecclesiam cathedralem, ubi Episcopus eis sacratissimam eu- « charistiam porrigit. »

Nec dicatur primam communionem fieri debere in parochia, quia est communio paschalis. Nam incœpto paschali tempore, vel puer tenetur præcepto communicandi, vel non-

Digitized by Google

dum obligationi subjacet: si prius, tenebitur utique, sicut cæteri fideles, unam communionem intra tempus paschale facere in sua parochia; quæ tamen communio bene potest esse secunda, si bis intra dictum tempus communicet: si posterius, jam non tenebitur usque ad proximum pascha eucharistiam in parochia recipere. Proinde si interea fiat aptus ad communicandum, liberum ei erit alibi quam in parochia divinum panem recipere.

Hinc patet in ecclesiis regularium, sicut in aliis, posse fieri primas communiones, attento jure communi.

Absit tamen ut minoris faciamus praxim illam, in Galliis et alibi introductam, necnon Episcoporum etiam statutis firmatam, qua solent omnes simul ejusdem parochiæ pueri, mox sacro pane reficiendi, certo tempore piis ad id exercitiis et catechesibus disponi, et magno cum apparatu ad sacram mensam deduci. Imo valde utilis mos ille, ut per se patet; nec mirum rem hanc inter parochorum curas non infimas ab Episcopis commendari. Sed ne somnient parochi esse id de parochialibus juribus; nec læsos se existiment, si forte quis Episcopus curam hanc, pro cunctis etiam civitatis parochiis, cathedralis clero, aut alicui regularium communitati committat, vel si unus aut alter juvenis identidem, præsertim prævio Episcopi aut vicarii generalis assensu, privatim alibi quam in parochia primam communionem recipiat. Id si injuriam reputent parochi, palam faciunt se in seminariis haud recte officium suum edoctos fuisse. Præterito sane et superiori sæculo passim viguit mos, ut parentes filios suos, non ad suam semper respective parochiam, sed si magis ipsis placeret ad aliquam regularium ecclesiam, ibi ad primam synaxim a regularibus disponendos, mitterent. Lovanii, verbi gratia, id officii præstabant Patres societatis Jesu, non tantum quoad exteros scholares suos, sed et quoad alios pueros, e variis parochiis a parentibus missos; atque in ipsorum ecclesia, non secus ac in parochialibus ecclesiis, solemniter primæ communiones fiebant.

Digitized by Google

QUÆSTIO XIIIª. — *Quid liceat regularibus quoad sanctissimi sacramenti expositionem?* — Distinguenda est expositio publica ab expositione privata; de quo sic Cavallieri (oper. liturg., tom. 4, c. 7, decr. 2, cap. *in ord.* 109, n. 3): « Ea autem « dicitur expositio publica, non quæ præcise fit reseratis ec- « clesiæ foribus, sed detecto insuper sacramento: quare sic- « uti, quamvis cuique pateant ecclesiæ portæ..., regulares « non indigent licentia Ordinarii pro expositione sacramenti « *velati*, ita nec eadem egebunt ad exponendum illud dete- « ctum, dummodo clausæ sint januæ, aut expositio fiat in ora- « toriis in quibus sæcularibus personis non patet aditus, sed « solum regularibus; concionum instar, quas ut regulares in « propriis ecclesiis ad laicos habeant, indigent benedictione « Episcopi; secus si easdem habere debeant ad personas « mere regulares. Quæ si minus arrideant, utpote nimis an- « gustis arctata limitibus, lubens et publicam regularibus expo- « sitionem indulgeo irrequisita licentia Ordinarii, dummodo « iisdem adsistat legitima præscripta consuetudo; quæ cum a « productis sanctionibus minime abrogetur, in valido perstat « robore. » His prænotatis,

I. Regula generalis est, necessariam esse regularibus, etiam exemptis, Ordinarii licentiam, ut possint sanctissimum sacramentum *publice* exponere. Hanc exemptorum ab Ordinario quoad id dependentiam, implicite sancivit Tridentina synodus his verbis: *Quæcunque in diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis ubi oportet provideri æquum est* (cap. 8, sess. 21 *de Ref.*). Sed eam insuper omnino certam fecerunt plures Sacrarum Congregationum declarationes, e quibus sequentem subjicimus: *Sacra Congregatio... censuit, non licere regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, sanctissimum eucharistiæ sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario: ex causa autem privata posse, dummodo sanctissimum sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit* (vide illam

Digitized by Google

decisionem apud Benedictum XIV, institutione 30, n. 11).

II. Non videtur necessaria Episcopi licentia quando regulares pro se habent legitime præscriptam consuetudinem. Id satis evincunt citata Cavallieri verba. Atque idem satis aperte innuit Benedictus XIV in citata institutione 30, ubi (cum esset Bononiensis Archiepiscopus) sic pro sua diœcesi statuebat: « Attamen... si contraria jampridem consuetudo inva-« luerit, ut nempe in aliquo templo certis quibusdam diebus « in tabella minime descriptis sacra eucharistia publice expo-« natur, satis erit, si ejusdem rei causa, et ad ipsam consuetu-« dinem probandam argumenta nobis exhibeantur; quæ si a « nobis obsignentur, pro necessaria facultate sufficient, donec « novum aliquid contra statuatur. » (N. 14.)

III. Episcopi licentia non indigent regulares, sive pro exponenda sacra eucharistia *velata*, adstante populo; sive pro exponenda *detecta*, exclusis sæcularibus. Quia nempe in neutro casu fit expositio *publica*, pro qua sola Episcopi facultas requiritur. Satis patet ex adductis supra Cavallieri verbis.

Quid autem observandum sit in exponendo sanctissimo sacramento, sive obtecto, sive detecto, vide apud auctores liturgicos.

CAPUT III

DE HIS QUÆ SPECTANT AD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

Quæstio Iª. — *Quomodo differant approbatio et jurisdictio?* — « Approbatio est authenticum judicium, seu declaratio de « idoneitate et sufficientia sacerdotis ad audiendas confessio-« nes, facta ab habente potestatem episcopalem vel quasi « episcopalem. Est in re communis. Et additur *quasi episco-« palem*, ad denotandum, quod etiam prælati exempti regu-« larium potestatem quasi episcopalem habentes, examinare

Digitized by Google

« et approbare possunt confessarios pro regularibus sibi « subjectis.

« Hinc patet quod approbatio non sit collatio jurisdictionis; « sed ista duo inter se differant. Approbatio enim est actus « intellectus seu judicium, quo Episcopus vel superior solum « judicat sacerdotem A., verbi gratia, esse idoneum et suffi- « cientem ad audiendas confessiones : collatio vero jurisdi- « ctionis est actus voluntatis, quo superior confert seu dat « tali sacerdoti potestatem in suos subditos ad audiendas eorum « confessiones... Approbatio stare potest sine jurisdictione, ut « si Episcopus, non obstante judicio de idoneitate sacerdotis, « eum adhuc non deputaret ad audiendas confessiones. » (Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 1.)

Quæstio IIª. — *Utrum regulares pro confessionibus audiendis, jurisdictionem habeant a Papa, an vero eam recipere debeant ab Episcopis?* — Ad illius quæstionis solutionem procedemus hoc modo : 1° exponemus quodnam fuerit jus commune ante Tridentinam synodum : 2° quomodo jus illud per dictam synodum immutatum sit : 3° adducemus *communem* doctorum sententiam, quæ tenet regulares habere jurisdictionem a Papa; ita ut pro sæcularium confessionibus non indigeant jurisdictione Episcopi, sed duntaxat, ut Episcopus eos approbet, id est, idoneos judicet : 4° eorum qui huic sententiæ communi adversantur rationes memorabimus.

I. *Exponitur jus commune ante Tridentinam synodum.* — 1° Quod jam a remotissima antiquitate regulares sacramentum pœnitentiæ ministraverint et alia sacra munia obierint, testantur documenta. *Doctos ac probos monachos, presbyterii honore dedicatos, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, debita miseris laxare... moderata dispensatione commendamus* (cap. *Doctos*, 16, q. 1). *Moderamine Apostolicæ auctoritatis decernimus, ut monachi, si presbyterii honore dedicati sint, cum ligandi solvendique potestate, decimarum... portionem, non minus quam cæteri sacerdotes, sibi vindicent* (cap. *Moderamine*, 16, q. 1). Item Bonifacius Papa IV, ad Petri cathedram

Digitized by Google

anno 607, evectus : *Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, audacissime quidem, zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt et Deo vivunt, sacerdotalis officii penitus indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injunctam potestatem. Sed omnino labuntur : neque enim beatus Benedictus, monachorum præceptor almificus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo... Nos vero tantorum Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari* (c. *Sunt nonnulli*, 16, q. 1). Hæc documenta transcripsimus ex Clericato (*de Sacramento pœnitentiæ*, decisione 38); qui auctor ita subjungit : « En igitur quod per spatium undecim sæcu-« lorum et ultra (*intellige ante Tridentinam synodum*), ex sa-« crorum canonum testimonio, monachi audiebant confessiones « laicorum, eisque sacramenta Ecclesiæ administrabant. » Quod autem decimo tertio sæculo ministerium illud obire potuerint *sine licentia Episcopi*, ex generali ecclesiæ lege, omnino certum est. Nam

2° Jus determinavit Bonifacius VIII, anno 1294, in hunc modum : *Præfati ministri, priores, provinciales et ministri ordinum prædictorum eligere studeant personas sufficienter idoneas, quas repræsentent vel faciant præsentari Prælatis... Et si idem Prælati petitam licentiam confessionum hujusmodi audiendarum concesserint..., cum gratiarum recipiant actione... Quod si quemquam ex dictis fratribus præsentatis... non ducerent admittendum, eo amoto... debeat alius surrogari. Si vero iidem Prælati præfatis fratribus ad confessiones (ut præmittitur) audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusarint, Nos, ex nunc, ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, atque eisdem beneficium absolutionis impertire, gratiose concedimus de plenitu-*

Digitized by Google

dine Apostolicæ potestatis (cap. *Super cathedram*, extravag. *de Sepulturis*).

Equidem Benedictus XI, anno 1303, decreto huic Bonifacii VIII derogans, regularibus facultatem absolute concessit confessiones audiendi *absque licentia diœcesanorum* (extrav. *Inter cunctas, de Privilegiis*). Sed Clemens V, anno 1304, et in concilio Viennensi, hanc Benedicti XI dispositionem revocavit, in vigorem reduxit Bonifacii VIII decretalem, quæ videtur tanquam jus commune viguisse usque ad Tridentinam synodum. Dicimus tanquam *jus commune*, abstrahendo nempe a particularibus privilegiis.

II. *Quid per Tridentinum concilium statutum sit?* — Capite 15, sessionis 23 (*de Ref.*), sic statuerunt Tridentini Patres: *Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis, per examen* (*si illis videbitur esse necessarium*) *aut alias idoneus judicetur; et approbationem* (*quæ gratis detur*) *obtineat: privilegiis et consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstante.* Equidem in dubium vocatum fuit, num verba hæc antiquis quorumdam ordinum religiosorum privilegiis sufficienter derogassent: sed dubitationem omnem sustulit constitutio *Cum sicut* Urbani VIII, 12 septembris 1628. « Quapropter hisce nostris temporibus nullum « reperitur privilegium quo regulares possint audire confes- « siones sæcularium ac eos absolvere, *absque approbatione* « *Episcopi*, ac prævio examine, si illos Episcopus examinare « voluerit. » (Clericatus, *de Sacramento pœnitentiæ*, decisione 38, n. 9.)

Hoc Tridentino decreto interierunt privilegia prius existentia confessiones audiendi absque approbatione Ordinarii. Item sublata est decretalis Bonifacii VIII, quæ facultatem confessiones audiendi tribuebat regularibus, in casu quo, a superioribus suis idonei reperti, et Episcopo præsentati, ab eo

Digitized by Google

licentiam ad hoc ministerium exercendum non consequerentur.

III. *Quænam sit sententia communis circa quæstionem, a quo jurisdictionem regulares accipiant?* — « Communis opi-« nio est, inquit Clericatus, quod eam habeant a Papa. » Est autem Clericatus de iis qui huic sententiæ communi adversantur. Unum aut alterum ex iis qui sententiam communem sequuntur subjicimus.

Sic apud Ferraris (voce *Approbatio*, art. 1, n. 62) : « Cum « regularis ab Episcopo omnino exemptus et sedi Apostolicæ « immediate subjectus existat, nulla per ipsius Episcopi ap-« probationem jurisdictionis potestas ei tribuitur, sed illam « approbatus statim ab ipsa Sede et summo Pontifice, per « privilegia ordini concessa, immediate consequitur. Qua « quidem jurisdictione, personæ, non solum illius civitatis et « diœcesis in qua approbantur, sed etiam forenses et aliarum « diœcesium in ea ad illos confluentes, eis in foro pœnitentiæ « subjiciuntur... Hæc autem jurisdictio, cum ob decretum con-« cilii Tridentini ipsis regularibus suspensa sit, donec ab Epi-« scopo prius examinati approbentur..., tunc secuta dicta appro-« batione, jam eis jurisdictionis attributa potestas relaxatur. »

Idem tenent moderni Bollandiani in suo *Examine libri Mariani Verhoeven*, pagina 461 : « Animadvertendum etiam est, « aiunt, regulares saltem mendicantes, non ab Episcopis mitti, « sed a sancta Sede. Re quidem vera, ad Dei verbum publice « annuntiandum in suis ecclesiis, regulares petant oportet « ab Episcopo benedictionem; eamque obtineant necesse est « ut in alienis ecclesiis concionentur; neque confessiones va-« lide excipere possunt absque approbatione Episcopi : atta-« men certum est, positis his conditionibus, jurisdictionem « Pontificiam per superiores regulares eis conferri in quos-« cunque fideles diœcesis, in qua approbati fuerint. Quod « adeo verum est ut plures graves doctores arbitrentur, « Franciscanos et nonnullos alios, propter peculiaria statuta, « inhabiles esse ad jurisdictionem episcopalem admittendam; « et proinde invalidas fore absolutiones, quas cum quibusvis

Digitized by Google

« Ordinariorum diplomatibus impertirentur, nisi simul per « licentiam superiorum regularium Pontificia eis collata esset « jurisdictio. Apud alios autem regulares, ubi similia decreta « non vigent, obtinet regula *beneficium non præjudicat bene-* « *ficio;* iique vel alterutra, vel utraque jurisdictione investiri « possunt. »

IV. *Quænam sint rationes auctorum a communi opinione recedentium?* — Dicunt voces illas Tridentinæ synodi, *et approbationem obtineat*, intelligendas esse non de mero judicio circa idoneitatem, sed de *licentia* seu de *collatione jurisdictionis*. Id inferunt ex eo quod separatim duas illas conditiones ponat synodus: *nisi idoneus judicetur*, *et approbationem obtineat*. Si approbationem obtinere (inquiunt) idem esset ac idoneus judicari, alterutrum, non utrumque membrum posuisset synodus; quia alioquin idem foret sensus ac si posuisset *nisi idoneus judicetur*, *et nisi idoneus judicetur;* quod absonum est. Insuper illud inferunt ex eo quod duas illas conditiones æque exigat a sæcularibus et a regularibus confessariis. Unde vel dicendum est neque sæculares indigere jurisdictione episcopali; vel voces, *nisi approbationem ab Episcopis obtineat*, idem sonare ac si positum fuisset, *nisi jurisdictionem ab Episcopis obtineat:* falsum prius, ergo verum posterius. Et fatendum est ejusmodi rationes haud esse gravitate destitutas.

Responderi potest, de se aptam esse vocem *approbatio* ut in utrumque sensum trahatur; id est, ita ut significare possit solum judicium de idoneitate, et judicium cum licentia. Usurpatam autem fuisse vocem hanc a synodo juxta *subjecti exigentiam:* proinde quoad confessarium sæcularem intelligendam esse etiam de collatione jurisdictionis, quia illa indiget; quoad regularem vero de solo judicio idoneitatis, quia jurisdictionem jam aliunde habet, nempe a Papa. Fateor tamen hac responsione non mihi videri peremptorie elisas præallatas rationes.

Unde quod pro audiendis confessionibus suorum religiosorum, regulares confessarii ab Episcopo non dependeant, sed jurisdictionem a Papa habeant per suos superiores, omnino

Digitized by Google

certum est; quia quoad hoc nihil mutavit Tridentina synodus; et ante illam synodum jurisdictionem hoc modo habebant. Atvero quoad confessiones *sæcularium*, necessarium non esse ut *jurisdictionem* ipsis Episcopus conferat, sed sufficere ut idoneos ipsos judicet, est quidem sententia multo communior; non tamen extra omnem omnino controversiam.

Quæstio IIIª. — *Quasnam confessiones audire nequeant regulares absque approbatione Ordinarii?* — 1° Ad audiendas confessiones *sæcularium*, necessaria est regularibus Episcopi approbatio, nisi habeant beneficium parochiale. Id omnino certum est atque extra controversiam positum. Constat tum ex Tridentina synodo (sess. 23, c. 15 *de Ref.*), tum variis summorum Pontificum constitutionibus. Vide Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 6.

2° Estque necessaria regularibus approbatio Episcopi ad valide absolvendos sæculares, *etiam a venialibus*. Vide ibidem, n. 7 et seq.

3° Item ipsis necessaria est ad audiendas confessiones monialium, etiam eis subjectarum. Vide infra, quæstione 23, ubi fuse id probatur.

4° A posita generali regula excipiendi sunt novitii et nonnulli alii sæculares, qui sunt de regularium familia, ut infrà dicitur. Hos nempe licite et valide absolvere possunt regulares absque Ordinarii approbatione.

5° Nec sufficit approbationem fuisse expostulatam, sed necesse est eam fuisse *obtentam*. Equidem supra citata decretalis Bonifacii VIII, necnon Clementina *Dudum*, *de Sepult.*, § *Statuimus*, contrarium statuerant. Casu nempe quo regulares approbare recusaret Ordinarius, decernebatur ut nihilominus confessiones *libere liciteque audire valerent*. Sed huic juris dispositioni derogatum est per concilium Tridentinum, citato capite 15, sessionis 23. Neque ulla superest de hoc controversia.

Et dicta necessitas approbationis quoad audiendas sæcularium confessiones, intelligenda est de regularibus etiam do-

Digitized by Google

ctoribus et theologiæ professoribus. Vide apud Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 47.

Quæstio IVᵃ. — *Quasnam confessiones audire valeant regulares absque approbatione Ordinarii?* — 1° « Regulares pro con-« fessionibus suorum regularium non indigent approbatione « Episcopi, sed solum sui prælati regularis; quia ex quo « prælati regulares habeant jurisdictionem quasi episcopalem « in suos subditos, competit eis hæc facultas approbandi ad « confessiones a jure communi et antiquo; nec est revocata « a concilio Tridentino sessionis 23 capite 15, quia ibi fit « solum sermo de confessariis sæcularium, ut legenti patet, et « expresse habetur ex decreto Clementis VIII, 26 maii 1593, « ubi sic præcipitur ipsis regularibus prælatis : *Superiores in « singulis domibus deputent duos aut tres aut plures confessa-« rios, pro subditorum numero majori vel minori*, etc. » (Ferraris, voce *Approbatio*, art. 2, n. 1.)

2° Item, quamvis novitii, utpote nondum professi, vere regulares non sint, absolvi tamen possunt a confessariis religiosis absque approbatione Ordinarii. Quia nempe exemptionis privilegium extenditur ad eos etiam sæculares in conventu degentes qui sunt *de familia*. De quorum præcipue numero censendi sunt novitii (vide apud Ferraris, loco cit., n. 2 et seq.).

3° « Possunt autem regulares sine approbatione Episcopi, « et cum sola approbatione sui prælati regularis, audire con-« fessiones illorum sæcularium qui sunt *vere de familia*, in suis « monasteriis et continui commensales. Secus vero illorum, « qui tantum ipsis deserviunt, et cum sæcularibus exteris « extra monasterium habitant et vivunt. Sic statuit S. Congre-« gatio Concilii 14 augusti 1568, decreto hujus tenoris : *Præ-« lati regulares seu alii religiosi confessores, non possunt audire « confessiones sæcularium qui deserviunt ipsorum monasteriis, « absque approbatione vel licentia Episcopi; secus autem si illi « sæculares sint vere de familia et continui commensales*. Et sic « expresse decrevit Clemens X in sæpius laudata constitutione, « incipiente *Superna*, præcisis his verbis : *Cæterum in mona-*

Digitized by Google

« *steriis et etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivi-*
« *tur, posse tam prælatos regulares quam confessores regula-*
« *rium eorumdem monasteriorum seu collegiorum, audire*
« *confessiones illorum sæcularium* (intellige sine approbatione
« Episcopi) *qui inibi sunt vere de familia et continui commen-*
« *sales; non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt.* Et col-
« ligitur etiam ex concilio Tridentino (cap. 11, sess. 25 *de Ref.*),
« ubi has personas continuo commensales et de familia in mo-
« nasteriis regularium excipit omnino a jurisdictione Episcopo-
« rum præcisis his verbis : *Præter eas, quæ sunt de illorum*
« *monasteriorum, sive locorum familia...*

« Vere autem de familia et continui commensales ad fruen-
« dum hoc privilegio dicuntur omnes *oblati, donati seu tertia-*
« *rii;* atque etiam *sæculares, qui religiosis deserviunt* et *intra*
« *eorum monasteriorum septa ac domos resident et sub eorum*
« *obedientia vivunt,* licet non ratione voti, sed ratione servitutis.
« Isti namque eximuntur a subjectione Ordinariorum, et gaudent
« privilegiis religiosorum quibus inserviunt, quamvis salario
« sint stipendiati, ut colligitur ex concilio Tridentino (sess. 24,
« c. 11) his verbis : *Exceptis tamen iis, qui prædictis locis...*
« *inserviunt, et intra eorum septa et domos resident, subque*
« *eorum obedientia vivunt.* » (Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1,
n. 64 et seq.)

4° Non tamen possunt regulares nisi ab Episcopo fuerint approbati pro sæcularium confessionibus, audire confessiones tertiariorum aut tertiariarum in propriis domibus degentium. Vide id documentis probatum apud Ferraris, l. cit., n. 63.

Quæstio V^a^. — *Quænam sint præcipuæ sedis Apostolicæ constitutiones et Romanarum Congregationum declarationes, circa modum quo regulares ab Episcopo pro confessionibus approbari possint aut debeant?* — Cum circa ejusmodi approbationem multæ ortæ sint difficultates, pro quarum solutione quam maxime attendendum est ad sedis Apostolicæ dispositiones et Sacrarum Congregationum decisiones hac de re emanatas, visum est præcipua ejusmodi documenta hic in unum colligere.

Digitized by Google

1. *Declaratio S. Congregationis Concilii, ad sedandam litem, quæ anno* 1653 *inter Episcopum Patavinum et ipsius diœcesis regulares exarserat* (1). — « 1° An facultas seu approbatio au-« diendi sæcularium personarum confessiones, prævio examine, « sit simpliciter et absolute regularibus concedenda?

« 2° An hujusmodi facultas seu approbatio, ad beneplaci-« tum concessa, potuerit dicto edicto (2) absque causa revo-« cari?

« 3° An hujusmodi licentia seu approbatio, ad beneplacitum « concessa, potuerit ab eodem Episcopo reduci ad annum, seu « ad aliud tempus limitatum?

« 4° An regulares simpliciter in examine rigoroso semel ap-« probati possint iterum examinari ab eodem Episcopo?

« Die 17 januarii 1654 Sacra Congregatio Eminentissimorum « Cardinalium concilii Tridentini interpretum.

« *Ad primum* respondit : dandas esse declarationes antiquas « tenoris sequentis : *Die* 8 *novembris* 1596, *S. Congregatio* « *Concilii, omnium Patrum sententia mature perpensa, cen-* « *suit, Episcopum minime posse facultatem regularibus au-* « *diendi sæcularium confessiones limitare*; *ideoque munus* « *Episcopi, ex decreto Concilii* (*cap.* 15, *sess.* 23), *esse ipsos* « *regulares approbare, si idonei sint; sin minus, reprobare;* « *sed minime posse illis facultatem coarctare.*

« *In Salernitana* 15 *augusti* 1597, *dubitatum fuit, an Epi-* « *scopus posset regularibus restringere licentias audiendi con-* « *fessiones personarum sæcularium, ut ad certum tempus, vel* « *ad ejus beneplacitum duntaxat daret? S. Congregatio Conci-* « *lii, post maturam discussionem respondit, non posse; sed,* « *prævio examine, servandam esse constitutionem S. memoriæ* « *S. Pii V, ut absolute admittantur vel repellantur.*

(1) Eam transcribimus ex Clericato (qui et ipse patavinus erat et rei bene scius), *de Sacramento pœnitentiæ*, decisione 38, n. 20.

(2) Patavinus Episcopus edixerat, ut regulares suas pro confessionibus obtentas licentias infra mensem exhiberent, volens illas moderari, prævio etiam examine. Contra illud edictum regulares ad S. Congregationem recursum instituerant.

Digitized by Google

« *Die* 16 *januarii* 1616, *S. Congregatio Concilii declaravit,* « *Episcopum debere, de vigore S. Concilii, regulares ad con-* « *fessiones audiendas personarum sæcularium approbare, vel* « *reprobare.*

« *Ad secundum* respondit : facultatem et approbationem ad « beneplacitum concessas potuisse per Episcopum absque causa « revocari.

« *Ad tertium* respondit : hujusmodi licentias et approbatio- « nes ad beneplacitum concessas potuisse ab Episcopo ad tem- « pus limitatum reduci.

« *Ad quartum*... Die 7 februarii 1654, S. Congregatio præ- « dicta censuit, regulares simpliciter in examine rigoroso semel « approbatos, non posse iterum examinari ab eodem Episcopo, « nisi nova superveniente causa. »

II. *Constitutio* Superna *Clementis X*, 21 *julii* 1670. — Tribus prioribus paragraphis determinat Pontifex quæ spectant ad publicas regularium prædicationes. Tum sic prosequitur :

« § 4. Ad hæc religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcula- « rium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia « diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, « quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi a quo ipsi reli- « giosi jam fuerant approbati.

« Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum « sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri áp- « probatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjecta- « rum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione. « Atque approbatus pro audiendis confessionibus monialium « unius monasterii minime posse audire confessiones monia- « lium alterius monasterii. Itidemque confessarios extraordina- « rios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad monia- « lium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, « expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum « confessiones audire; sed toties ab Episcopo esse approbandos, « quoties casus deputationis contigerit.

« Cæterum in monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta re-

Digitized by Google

« gularia instituta vivitur, posse tam prælatos regulares quam « confessores regularium eorumdem monasteriorum seu colle- « giorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi « sunt vere de familia et continui commensales; non autem illo- « rum, qui tantum ipsis deserviunt.

« Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas *idonei* « *generaliter* reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et « indistincte, absque aliqua limitatione temporis certorumque « locorum aut generis personarum, in diœcesi propria admit- « tendos. Quoad cæteros vero, qui *non adeo idonei* reperiuntur, « si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos « cum limitata facultate prout eisdem Ordinariis magis expe- « dire videbitur, probare et admittere.

« Semel autem simpliciter approbatos posse in diœcesi Epi- « scopi approbantis, quovis anni tempore, etiam paschali, et « quorumcunque, etiam infirmorum, confessiones audire, « absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia. De qua « tamen confessione teneri dictos religiosos eorumdem infir- « morum parochum illico certiorem reddere : et hoc posse illis « ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi con- « fessiones præcipi : sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi « fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relin- « quendam.

« § 5. Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis « tempore paschali confessi fuerint, constitutioni quæ incipit « *Omnis utriusque*, quoad confessionem duntaxat, satisfecisse « censendos.

« Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas *præ-* « *vio examine simpliciter et absque ulla temporis præfinitione* « ab ipsomet Episcopo (secus autem si ab ejus vicario, aut ab « antecessoribus Episcopis) *approbatos*, non posse ab eodem « qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessio- « nibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revo- « cari, nisi nova superveniente causa, *quæ ipsas confessiones* « *concernat*.

Digitized by Google

« De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet; « nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare, « sed sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postula- « verit.

« § 6. Porro si regulares cum scandalo, aut alias inhoneste « vivant; vel aliquod delictum committant, per quod rationa- « bili Episcopi judicio videantur a confessionibus suspendendi, « in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus .., « utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, « ac proinde nihil obstare quominus ob eam possit Episcopus « regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a « confessionibus audiendis.

« Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul « unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, « inconsulta sede Apostolica, nullatenus posse.

« Ex facultatibus per mare magnum aliave privilegia regu- « laribus cujuscunque ordinis, instituti, aut societatis etiam « Jesu concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in « casibus ab Episcopo reservatis...

« § 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus « sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reser- « vatis posse absolvere.

« Posse autem regularem confessorem in ea diœcesi in qua « est approbatus, confluentes ex alia diœcesi, a peccatis in ipsa « reservatis, non autem in illa ubi idem confessor est approbatus, « absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reserva- « tionis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda mi- « grasse. »

III. *Decretum S. Congregationis Inquisitionis* 30 *januarii* 1659. — Cum Andegavi in Gallia circa nonnullas propositiones exorta esset dissensio, fuerunt propositiones istæ, Alexandri VII auctoritate, per decretum præfatæ S. Congregationis, qualificatæ ut sequitur :

« *Prima:* Concilium Tridentinum non obligat regulares in « Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcula-

Digitized by Google

« rium confessiones audire possint; neque ex illius concilii « auctoritate privilegia regularium restringi possunt, cum in « Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei; « neque etiam bulla Pii IV pro confirmatione illius concilii pro- « mulgata. — Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim et « schisma inducens, S. Concilio Tridentino et sedi Apostolicæ « injuriosa (1).

« *Secunda:* Ubi concilium Tridentinum est receptum, non « possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas « regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque « illas nulla ex causa revocare. Quinimo ordines mendicantium « religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; « et si ab Episcopis religiosi non probentur, rejectio illa « tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset. — « Complex accepta, est falsa, temeraria, scandalosa et erro- « nea (2).

« *Tertia:* Regulares ordinum mendicantium semel appro- « bati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua diœ- « cesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova « Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent po-

(1) Censura hæc attingit eos omnes qui dicunt Tridentinum concilium non vigere in Gallia quoad disciplinam, sed tantum quoad dogmata, eo quod nempe Gallia hujus synodi sanctiones disciplinares non receperit. Quod bene notent scriptores illi, qui hodie adhuc idem sustinere non verentur.

(2) Van Espen (parte 2, sect. 1, tit. 5, c. 8, n. 18) citat tantum primum membrum hujus secundæ propositionis, nempe sola hæc verba: *Ubi concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas.* Et postea loco censuræ *complex accepta*, etc., ponit censuram primæ propositioni affixam. Ubi non unum, sed duplex mendacium obtrudit auctor ille, ut lectoribus suis persuadeat posse in omni casu, id est, quando etiam regulares *generaliter idonei* reperiuntur limitari approbationem ipsis ab Episcopo datam. Fuit ergo (atque id lector bene adnotet) secunda hæc propositio censurata, non quoad priora verba sejunctim sumpta, sed quatenus *complex accepta* (*dans son ensemble*): primum autem membrum falsum est in sensu generali, prout sonat, acceptum; quia includit etiam casum quo regulares *non adeo idonei* in examine reperiuntur; quo casu potest Episcopus approbationem pro arbitrio limitare. Van Espenii mendacio deceptus est auctor additionum ad Ferrarium (voce *Approbatio*, art. 1, n. 109).

Digitized by Google

« testatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab « Episcopo auctoritas ista ipsis indulta non fuerit. — Quoad « primam partem est falsa, et saluti animarum perniciosa. « Quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum et « sedi Apostolicæ injuriosa.

« *Quarta :* Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse « tenetur, nec ad annuam confessionem ; nec ad missas paro- « chiales ; nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei « rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus « annuntiantur et docentur. — Quoad primam et secundam « partem simpliciter accepta, est erronea et temeraria : supposi- « tis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et « quoad tertiam partem de auditione verbi Dei servetur disposi- « tio sacri concilii Tridentini.

« *Quinta :* Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec « concilia provinciarum vel nationum sancire, nec delinquen- « tes aliquibus pœnis aut ecclesiasticis censuris mulctare pos- « sunt. — Suppositis itidem privilegiis Apostolicis, nullam me- « retur censuram. Verum ista non est prædicanda, nec publice « docenda, prout nec præcedens quarta.

« *Sexta :* Regulares mendicantes petere possunt licite a judi- « cibus sæcularibus ut injungant Episcopis, quatenus ipsis man- « data concedant ad prædicandum in Adventu et Quadragesima. « Quod si renuant facere Episcopi, decretum judicum sæcula- « rium tantumdem valet, ac si permissio dictis religiosis con- « cessa fuisset. — Est falsa, erronea, in hæresim ac schisma « inducens. » (Decretum hoc in extenso relatum reperies apud Pignatelli, tomo 4, consultatione 174, n. 30.)

Quæstio VI^a^. — *An liberum sit Episcopo nullum regularem approbare, nisi cum limitatione circa tempus, vel loca, vel personas, aut cum clausula* AD BENEPLACITUM ? — Notet bene lector sensum quæstionis, quia maximi momenti est. Tripliciter nempe excogitari potest jus regularium quoad illam pro confessionibus obtinendam approbationem ; et de unaquaque ex tribus illis hypothesibus quæri potest num vera sit et admittenda. 1^a^ hypo-

Digitized by Google

thesis hacce formula exprimi potest : *Tenetur Episcopus regulares, vel nullo modo approbare, vel approbare simpliciter, id est sine ulla limitatione.* Si hæc hypothesis foret vera, non tantum Episcopus non posset dare *semper* et exclusive approbationem limitatam, sed *nunquam* et in nullo casu posset eam dare. 2ª hypothesis potest sic exprimi : *Tenetur Episcopus approbare sine limitatione regulares illos quos* generaliter idoneos *reperit : quos autem non judicat* adeo idoneos, *potest vel limitate, vel nullo modo approbare.* Si hæc hypothesis vera sit, liberum Episcopo non est quibuslibet regularibus dare limitatam duntaxat approbationem ; sed potest approbationem limitare aliquibus, nempe *non adeo idoneis ;* aliis vero, nempe *generaliter idoneis,* debebit illimitatam concedere. 3ª hypothesis sic enuntiari potest : *Jus habet Episcopus approbationem illimitatam denegandi regularibus, quantumvis reperiantur idonei, et eos cum limitatione duntaxat approbandi.* Hanc ultimam hypothesim tenuisse videtur Benedictus XIV, imo et in praxim deduxisse quando erat Bononiensis Archiepiscopus, ut infra videbitur.

Ex his tribus hypothesibus veram esse *secundam* hic probare intendimus. Procedemus autem hoc modo : 1º exquiremus quænam fuerit sententia S. Congregationis Concilii et S. Congregationis Episcoporum et regularium ante constitutionem *Superna* Clementis X ; 2º thesim nostram stabiliemus ; 3º memoratam Benedicti XIV sententiam exponemus ; 4º eam haud niti peremptoriis rationibus ostendemus ; 5º Exponemus opinionem Clericati, a doctrina Benedicti XIV ex parte diversam, sed thesi nostræ pariter oppositam ; 6º illam opinionem confutabimus.

I. *Quænam fuerit S. Congregationum sententia ante bullam* Superna *anni* 1670 ? — 1º Sacræ Congregationis Concilii sententia fuit, non posse unquam Episcopum approbationem regularibus limitare ; sed teneri eum vel ad approbandos regulares sine limitatione, vel ad eos omnino rejiciendos. Anno 1596 censuit, *Episcopum minime posse facultatem regularibus au-*

Digitized by Google

diendi sæcularium confessiones limitare; ideoque munus Episcopi, ex decreto concilii (c. 15, sess. 23), *esse ipsos regulares approbare, si idonei sint, sin minus, reprobare; sed minime posse illis facultatem coarctare* (vide, sub præcedenti quæstione, documentum I). Anno 1597, ad dubium, *an Episcopus posset regularibus restringere licentias audiendi confessiones sæcularium, ut ad certum tempus vel ad ejus beneplacitum duntaxat daret*, respondit : *Non posse, sed, prævio examine, servandam esse constitutionem S. memoriæ Pii V, ut absolute admittantur vel repellantur* (vide dictum documentum I sub præcedenti quæstione). Anno 1616, idem iterum declaravit (vide ibidem). Anno 1653, ad dubium, *an facultas seu approbatio audiendi sæcularium personarum confessiones, prævio examine, sit simpliciter et absolute regularibus concedenda*, respondit, dando tres citatas declarationes ; quod idem erat ac eas iterum confirmare (vide documentum I sub præcedenti quæstione). A referendis aliis ejusdem Congregationis decisionibus abstinemus ; quia ex istis quatuor satis patet ipsius hac de re sententia. Fuit nempe sententia hæc juxta *primam* ex tribus hypothesibus, quas supra, ad intelligentiam quæstionis, distinximus.

2° Atvero Sacra Congregatio Episcoporum et regularium juxta *secundam* hypothesim censuit; et quidem jam ab anno 1587. Nam 2 julii dicti anni sic decrevit :

Regulares qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis eorumque examinatoribus reperti et probati fuerint, generaliter quoque et indistincte absque ulla limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, admittantur in diœcesi propria. De cæteris vero, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere. Decisionem hanc transcripsimus ex Lucio Ferraris (verbo *Approbatio*, art. 1, n. 60). Ibi expresse distinguuntur *generaliter idonei*, ab aliis *non adeo idoneis*, et de prioribus decernitur esse approbandos absque limitatione, secus de posterioribus.

Digitized by Google

3° Concludendum est aliquam extitisse diversitatem sentiendi apud S. Congregationes, ante constitutionem *Superna* anni 1670; cum S. Congregatio Concilii responderet, nullum regularem posse approbari cum limitata facultate; sed quemlibet esse approbandum simpliciter, vel omnino rejiciendum: altera autem memorata Congregatio distingueret inter *generaliter idoneos*, et *non adeo idoneos*, prioribus attribuens jus exigendi approbationem illimitatam, non autem posterioribus.

4° Sed de sententia quæ liberum facit Episcopo approbationem limitare etiam *generaliter idoneis* ex prævio examine repertis, ne vestigium quidem invenitur in Sacrarum Congregationum responsis, aut Pontificum constitutionibus, sive ante sive post bullam *Superna*. Hæc de temporibus bullam *Superna* præcedentibus prænoscenda erant. Nunc jus commune hodiedum vigens determinemus.

II. *Tanquam certum nunc tenendum videtur, non posse Episcopum approbationem limitare regularibus, quos reperit* GENERALITER IDONEOS : *aliis vero* NON ADEO IDONEIS *potest vel limitatam facultatem, vel nullam concedere.* — Hujus nostræ conclusionis fundamentum est constitutio *Superna* Clementis X, diei 21 julii 1670. Nam in ista constitutione illud idem decernitur quod in conclusione posuimus; et juri communi sic stabilito fuisse postea derogatum nullatenus probari potest; ita ut jus illud adhuc hodie vigere censendum sit. Textum ipsum constitutionis proferamus.

Hac generali et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus... illos religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte, absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum, in diœcesi propria admittendos; quoad cæteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere. « Ubi vides (ait Ferraris, hunc ipsum tex-

Digitized by Google

« tum adducens), quod approbare regulares cum limitata fa-
« cultate relinquitur arbitrio Ordinariorum solum quoad illos
« qui *non adeo idonei* reperti fuerint : quoad illos vero, qui
« ad audiendas confessiones *idonei generaliter* reperti fuerint,
« generaliter quoque et indistincte, absque ulla limitatione...
« decernitur esse admittendos. » (Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 60.) Res adeo patet, ut ipse etiam Clericatus, qui regularibus haud plus æquo favet, conclusionem nostram, attento jure scripto, omnino admittendam confessus sit : unde ad eam impugnandam recurrit ad contrariam consuetudinem, ut infra videbimus. Adnotet lector, vi citatæ legis ecclesiasticæ, ablatam fuisse auctoritatem omnem anteriori S. Congregationis Concilii sententiæ, quæ Episcopos adstringebat ad approbandos regulares, vel illimitate, vel nullo modo ; atque e contra canonizatum, seu in legem certam evectum fuisse S. Congregationis Episcoporum et regularium decretum anni 1587 ; cum illud, ad verbum, in sua constitutione inseruerit Clemens X.

Quod autem huic legi ecclesiasticæ, a Clemente X sancitæ, non fuerit postea ullo generali decreto derogatum, satis patebit usque ad Benedicti XIV tempora, documenta expendendo quæ urget in contrarium clarissimus Pontifex. Post laudatum autem Pontificem, nulla, quod sciam, intervenit sedis Apostolicæ dispositio, Clementinæ legi derogans.

III. *Exponitur contraria Benedicti XIV sententia.* — Quæstionem obiter attingit clarissimus Pontifex in opere suo *de Synodo diœcesana* (l. 9, c. 16, n. 7) : sed uberius et magis ex professo in sua institutione 86. Unde ipsius sententiam ex illa institutione, ad quam remittit et quam scripsit cum esset Bononiensis Archiepiscopus, proferemus.

Sic decernit pro sua Bononiensi diœcesi : *Tertio, facultatem audiendæ confessionis certis limitibus concludendam volumus, ita ut anni spatium nunquam excedat, eoque peracto sacerdos tum regularis, tum sæcularis illius prorogationem a Nobis petere teneatur* (instit. 86, n. 4).

Digitized by Google

Postea ut hujusce diœcesanæ legis æquitatem, et cum jure communi consonantiam ostendat, in hunc modum disserit :

« Si de sæcularibus presbyteris agitur, id nunquam in du-
« bium revocatum fuit. Pro regularibus tantum rationes
« afferuntur, ob quas contendunt aliqui facultatem audiendi
« confessiones, quæ nullo temporis spatio definita fuit, regu-
« laribus adimi non posse nisi legitima causa obvenerit, quæ
« ad confessiones ipsas pertineat. Nec profecto desunt, qui
« id magno studio tuentur; nec desunt sententiæ editæ a
« Sacra Congregatione Concilii, quæ statuunt ab Episcopo fa-
« cultatem excipiendi confessiones sæcularium, aut penitus
« denegandam regularibus, aut sine ulla limitatione conce-
« dendam... Attamen Clemens X aditum Episcopis reseravit
« ut limitatas ejusmodi facultates regularibus impertirent,
« præcipiens, ut magis idoneis absque ulla limitatione, contra
« vero minus idoneis circumscripta facultas tribuatur (*et ibi*
« *citat Benedictus XIV textum jam a nobis adductum consti-*
« *tutionis* Superna). Quamobrem cum hæc doctrinæ virtutisque
« præstantia dignosci nequeat, nisi examen circa quæstiones
« theologiæ moralis instituatur, quod ita facile non est, ideo
« facultas tantum limitata, tum sæcularibus tum regularibus
« presbyteris tradi consuevit, ita ut magis idoneis ad annum,
« cæteris autem ad minus temporis spatium eadem facultas
« protrahatur. Scriptores etiam ex regularibus idem unani-
« mes asserunt : *hinc infero primo* (inquit Cardinalis de Lugo)
« non debere damnari approbationem cum ejusmodi limitatio-
« nibus ab Episcopo datam tanquam injustam respectu
« etiam regularium : possunt enim de facto intervenire
« vel omnes, vel aliqua ex rationibus adductis, vel aliæ
« similes, quibus prudenter moveatur Episcopus ad non
« approbandum absolute et universaliter, sed cum aliqua
« limitatione. Congruit etiam Fagnanus (in cap. *Grave*, n. 50,
« *de Officio Ordin.*), qui fatetur probari a Sacra Congrega-
« tione... ut limitatæ facultates regularibus tribuantur. Cum
« vero nonnulli regulares in hac re adversarentur Cardinali San-

Digitized by Google

« doval, et Episcopo Andegavensi, Urbanus VIII opinionem « ejusdem Cardinalis confirmavit (in sua constitutione anni « 1639). Alexander autem VII, die 30 januarii, anno 1659, « hanc sententiam tanquam falsam, temerariam pravamque « proscripsit: non possunt Episcopi limitare seu restringere « approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones « audiendas, neque ulla ex parte revocare (Cabassutius, in « *Theoria et praxi juris can.*, l. 1, c. 10, n. 13). Tandem illud « etiam certissimum est, quod constitutione Innocentii XIII, « a Benedicto XIII, ut dictum est, confirmata sancitur: « *Declaramus, sacerdotes tam sæculares quam regulares, qui ab* « *Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limi-* « *tatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel* « *quoad tempus, non posse pœnitentiæ sacramentum adminis-* « *trare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab Epi-* « *scopis præscriptum, quocunque privilegio, etiam in vim bullæ* « *quæ appellatur cruciatæ sanctæ, competente, nullatenus suf-* « *fragaturo.* »

IV. *Expenditur præmissa Benedicti XIV doctrina.* — Tanta est laudati Pontificis auctoritas, ut in iis etiam, quæ tanquam privatus scriptor tradidit, plurimum ei sit deferendum: in iis, inquam, quæ tanquam *privatus doctor* scripsit: nam quæ definivit ut Pontifex, an pro inconcussis habenda sint, ne in dubium quidem vocare fas est. At quidam ita extremi sunt, ut si viderint vel minimum recedi a præfatis Benedicti XIV opinionibus, quas tanquam privatus sustinuit, statim offendantur, atque id crimini vertant. Sed pace ipsorum dixerim, in hoc aperte excedunt. Et certe ipsimet Benedicto XIV adversantur, qui initio operis sui *de Synodo diœcesana*, præmonuit liberum catholicis doctoribus esse ipsius sententias impugnare, ubi hæ, nec a se tanquam Pontifice, nec ab aliis Pontificibus definitæ fuissent, aut alias ad certam et tenendam doctrinam catholicam non pertinerent. Et quid mirum, si in tot quæstionum millibus, a clarissimo Lambertino discussis, genuinam conclusionem haud semper assecutus sit? In præsenti autem

Digitized by Google

quæstione, eo magis licuit laudati Lambertini sententiam ad crisim vocare, quod expressæ Clementis X decisioni opposita videri possit. Nihilominus subjectas adnotationes, ob tantam apud me viri auctoritatem, non absolute, sed dubius proferam, et doctiorum judicio subjiciam.

1° Existimavit revera Lambertinus, fas esse Episcopo approbationem limitare regularibus etiam *generaliter idoneis.* Nam absque ulla distinctione inter *generaliter idoneos* et *non adeo idoneos*, pro sua Bononiensi diœcesi sancivit, ut *nunquam* ultra annum regulares approbarentur. Atque idem palam faciunt hæc alia ipsius verba, *ita ut magis idoneis ad annum, cæteris autem ad minus temporis spatium eadem facultas protrahatur.* Unde ego non video quomodo concordare possit ipsius sententia cum hac tam expressa Clementis X sanctione, *decernimus illos religiosos qui idonei generaliter reperti fuerint, absque aliqua limitatione admittendos.* Jam vero recenseamus rationes, quas adduxit ad ostendendam hujus suæ diœcesanæ legis cum jure consonantiam.

2° Memorat sententiam, quæ ante Clementem X tenebat, approbationem regularibus *aut penitus denegandam aut sine ulla limitatione concedendam ;* et addit Clementis X decretum potestatem Episcopis fecisse, ut limitatas licentias darent *minus idoneis.* Id quidem verissimum est ; sed non probat etiam *generaliter idoneis* posse facultatem limitari ; prout tamen limitaverat Lambertinus in sua diœcesi Bononiensi.

3° Post adductum Clementis X textum sic arguit : « Quamobrem cum hæc doctrinæ virtutisque præstantia dignosci « nequeat, nisi examen circa quæstiones theologiæ moralis « instituatur, quod ita facile non est, ideo facultas tantum « limitata... tradi consuevit, ita ut magis idoneis ad annum, « cæteris autem ad minus temporis spatium facultas protra« hatur. » Ratio hæc mihi peremptoria non videtur. Esto dignosci aliquando nequeat *generalis idoneitas* nisi per examen : sequitur duntaxat examen esse faciendum. Quod autem id *non ita sit facile*, non intelligendum videtur quoad Episcopum

Digitized by Google

aut examinatores ab ipso deputatos; siquidem ubique fiunt ejusmodi examina, et ipse Lambertinus diligenter ea fieri curabat. Unde loquitur ibi de difficultate quoad regulares examinandos. Sed imprimis, si regulares sint docti, non erit eis difficile examen subire. Si sint indocti, eo magis necesse est eos examinari. Unde difficultas quam haberent religiosi ad subeundum examen, non est ratio ad examen illud omittendum. In examine autem si reperiantur *generaliter idonei*, nulla est ratio cur limitetur facultas, siquidem lex præscribit in eo casu eam absque limitatione dandam esse. Unde ratio hæc ex difficultate examinis non mihi videtur peremptoria.

4° Invocat postea Lambertinus auctoritatem doctorum : *scriptores, etiam ex regularibus, idem unanimes asserunt.* Et citat ex Cardinali de Lugo verba hæc, *hinc infero primo*, etc. Sed ibi non dicit de Lugo denegari posse facultatem illimitatam iis regularibus qui *generaliter idonei* reperiuntur; sed dicit tantum multas dari posse rationes ob quas Episcopus regularem aliquem merito judicet non esse *generaliter idoneum;* et consequenter vituperandum non esse Episcopum quando regulares approbat cum limitationibus, quia adesse facile possunt ejusmodi rationes. At posito casu, quo Episcopus regularem agnoscat tanquam generaliter idoneum, omnino sustinet de Lugo ei deberi facultatem illimitatam. En ipsius verba: « Quando in particulari circa aliquam personam, maxime re- « ligiosam, non procederent prædictæ rationes, sed Episco- « pus haberet notitiam sufficientem ut eam absque limitatione « approbaret, non videntur absque alia justa causa apponi posse « ejusmodi limitationes. Nam ille habet jus, ut petat appro- « bationem simpliciter et absolutam prævio examine, cui se « offert: ergo supposita plena notitia, quæ de ipso habetur, « non potest Episcopus pro solo libitu negare approbationem « simpliciter. »

5° Addit Benedictus XIV : « Congruit etiam Fagnanus, qui « fatetur probari a S. Congregatione, ut limitatæ facultates « regularibus tribuantur. » Aliud est quod possit Episcopus

Digitized by Google

dare facultates limitatas ; aliud quod possit *non dare nisi limitatas*. Potest dare limitatas aliquibus regularibus, nempe *mediocriter idoneis*, quod negabat antiqua sententia, asserens aut illimitate, aut nullo modo esse approbandos. Unde quando Fagnanus dicit, *possunt enim regulares ad certum tempus approbari*, idem est ac si diceret dari etiam locum approbationi limitatæ. Qui sensus Fagnani inde patet, quod sese referat ad *decretum S. Congregationis Episcoporum et regularium hac de re editum*. Videtur enim loqui de decreto a nobis supra transcripto, necnon in constitutione *Superna* inserto, in quo fit distinctio inter *generaliter idoneos* et *non adeo idoneos*, et facultas fit Episcopis ut posterioribus approbationem limitent, non autem prioribus.

6° Allegat Benedictus XIV constitutionem Urbani VIII. Sed in hac constitutione nullibi decernitur posse regularibus *generaliter idoneis* denegari approbationem illimitatam. Equidem ibi memorat Urbanus VIII approbationem concessam ad tempus, et approbationem concessam absque limitatione ; ac varia statuit quoad utrumque casum : sed nequaquam dicit liberum esse Episcopo approbationem illimitatam denegare regularibus *generaliter idoneis*. (Constitutio hæc, quæ incipit *alias*, 30 januarii 1629, legi potest apud Pignatellum, tom. 4, consult. 174, n. 22.)

7° Allegat Benedictus XIV, ex Cabassutio, propositionem ab Alexandro VII damnatam. Sed *primo*, Cabassutius truncavit propositionem, truncavit et censuram. Nos supra (sub quæst. 5) decretum illud S. Inquisitionis integrum exhibuimus. Propositio illa integra sic se habet : *Ubi concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimo ordines mendicantium religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur ; et si ab Episcopis religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.* Censura autem fuit in hunc modum : *complex accepta, est*

Digitized by Google

falsa, temeraria, scandalosa et erronea. Cabassutius dimidiam partem propositionis suppressit. Et postea in censura suppressit voces istas, *complex accepta*. Sed hæc prætermittamus.

Secundo, ut falsa sit hæc propositio : *Episcopi non possunt limitare approbationes*, satis est dari casus in quibus eas limitare possint : non autem necesse est ut possint eas limitare semper et in omni casu. Ergo hujus propositionis condemnatio non probat posse approbationem limitari regularibus *generaliter idoneis*.

8° Tandem allegat Benedictus XIV, § 17 bullæ *Apostolici* 13 maii 1723 Innocentii XIII. Et ibi quidem agitur de regularibus qui licentiam *limitatam* obtinuerunt. At ne verbo quidem statuitur liberum esse Episcopo illimitatam approbationem denegare regularibus, qui reperti fuerint generaliter idonei.

9° Hinc allatæ a Benedicto XIV rationes optime quidem evincunt dari sæpe locum approbationibus limitatis, et falsam esse sententiam quam multi olim defendebant, regulares aut illimitate aut nullo modo esse approbandos. Et forsan hoc solum probare voluit clarissimus Pontifex. Sed tunc non valent ad ostendendam decreti sui diœcesani cum jure consonantiam. Nam in suo decreto, approbationem illimitatam denegabat omnibus regularibus absque exceptione, ac proinde etiam *generaliter idoneis ;* et monebat se ad annum duntaxat facultatem eis concessurum.

Objicies. — Doctrinam illam, non ut *privatus doctor* tantum sustinuit Benedictus XIV, sed etiam tanquam Pontifex. Sic enim habet in constitutione sua *Apostolicum*, 30 maii 1753 : « Cæterum confessarii munus regularibus deferri potest sine « temporis determinatione, vel cum limitatione : quod luculen- « ter constat, tum ex Brevi a summo Pontifice Urbano VIII « dato Cardinali Sandoval anno 1639, inserto a Cabassutio in « *Theoria et praxi juris canonici* (l. 1, c. 10, n. 13), tum ex « recensita constitutione Clementis X *Superna*, ad § 4. »

Respondeo. — Ibi quidem dicitur posse dari approbationem *regularibus illimitate*, vel *cum limitatione :* at non dicitur

Digitized by Google

posse dari *cum limitatione* regularibus *omnibus*, id est, etiam iis qui *generaliter idonei* reperiuntur. Unde sensus est, posse dari approbationem illimitate aliquibus, et cum limitatione aliis. Excludit igitur Pontifex veterem opinionem, juxta quam *aut illimitate aut nullo modo* dandam esse approbationem sustinebatur : at non excludit expressam Clementis X decisionem, qua definitur, dandam esse absque ulla limitatione approbationem iis regularibus qui *generaliter idonei* reperiuntur, et aliis *non adeo idoneis* posse dari limitatam. Qui sensus vel ex eo patet, quod sese referat Benedictus XIV ad dictam Clementis X constitutionem.

Nec forsan absque superno Providentiæ ductu contigit, ut scribens tanquam Pontifex, eam opinionem, cui tanquam privatus doctor adhæserat, non insereret.

V. *Exponitur sententia Clericati.* — Etiam auctorem illum thesi nostræ adversarium habemus ; sed ex alio capite. Ipse scilicet concedit in rigore juris teneri Episcopum ad dandam facultatem illimitatam iis regularibus quos reperit *generaliter idoneos*. Sed contendit contra jus illud prævaluisse consuetudinem ; et vi hujus consuetudinis fas Episcopis esse ut nullos regulares approbet nisi limitate. En ipsius verba (*de Sacramento pœnitentiæ*, decisione 38) : « De rigore juris confessores « regulares prætendere possunt licentiam absolutam et inde- « finitam audiendi laicorum confessiones. » (Loco cit., n. 20.) « In puncto juris dicendum est, quod si confessarii regulares « reperiantur absolute idonei, in doctrina, prudentia ac bo- « nitate, sunt absque ulla temporis limitatione simpliciter « approbandi et admittendi ad confessiones audiendas ; secus « si non perfecti in studio totius theologiæ moralis et casuum « conscientiæ ; ut declaravit S. Congregatio Cardinalium, die « 2 julii 1587..., et docet Eminentissimus Cardinalis de Lugo, « *de Pœnitentia*, disputatione 21, n. 60, et alii plures...

« De facto autem aliter est respondendum, quia invaluit « praxis et usus Urbis et orbis, in omnibus episcopatibus, ut « quantumcunque confessarii, tam sæculares quam regulares,

Digitized by Google

« reperiantur idonei et virtuosi, non admittantur ad exci-
« piendas laicorum confessiones nisi *ad annum*, ut testatur
« Nicolius..., et observatur in hac curia episcopali Patavina,
« in qua ego plurimis annis portavi hoc gravissimum onus
« examinandi, approbandi et licentiam concedendi audiendi
« confessiones sacerdotibus sæcularibus et regularibus. »
(Ibid., n. 17.)

VI. *Confutatur exposita Clericati sententia.* — 1° Nimia videtur assertio hæc, universalem esse consuetudinem ut *nulli regulari* approbatio concedatur, nisi ad annum, aut cum alia limitatione. Fateor tamen me nondum inquisivisse quænam Romæ aut alibi vigeat hac de re praxis. At difficile mihi persuadeam nullos esse regulares, Romæ præsertim, qui absolutam approbationem habeant. Id saltem non admittam, nisi exhibitis sufficientibus testimoniis.

2° Supposita etiam in facto dicta consuetudine, qualem asserit Clericatus, non inferri potest regularibus deperiisse præfatum jus absolutam et sine limitatione approbationem obtinendi. Quomodo enim inducta sit asserta consuetudo, tradit ipsemet Clericatus hoc modo : *Regulares acquiescunt limitatis licentiis* (n. 17). *Regulares cedunt juri suo, et in facto contenti sunt eam recipere ad annum, ut jam fit in omnibus episcopatibus.* Notetur autem dictum jus regularium in eo esse ut, *si petant* se approbari simpliciter, et reperiantur generaliter idonei, absque limitatione approbentur. Si vero hoc non exigant, non est contra ipsorum jus quod limitata duntaxat approbatio concedatur. Ut ergo valeret consuetudo ad perimendum dictum jus, deberet constare repetitis denegationibus, quando regulares *postulant absolutam approbationem*, et volunt jure suo uti : non autem sufficit praxis dandi ipsis limitatam facultatem, si aliam non exigant. Quod autem regulares plerumque hac in re jus suum non urgeant, inde facile explicatur, quod curiæ episcopales non semper eis sint admodum benevolæ, ut constat ex tot perlatis ad S. Congregationem Episcoporum et regularium causis. Ac ne in re non adeo necessaria novæ exci-

Digitized by Google

tentur dissensiones, prudenter silere malunt quando limitata duntaxat eis approbatio conceditur. Hæc qui perpenderit, facile concedet, ex allegata praxi (etiamsi revera generalis foret) nequaquam præfatum regularium jus pro perempto esse habendum.

Cæterum liceat et illud addere : haud videri a spiritu Dei ductum, quod absoluta facultas iis regularibus, qui plane noscuntur *generaliter idonei*, non concedatur ; quamvis ipsi ex humilitate, aut pacis amore, non reclament. Imo quia non reclamant, et cedunt jure suo, æquius foret et menti Ecclesiæ magis consonum, ut hoc fiduciæ atque benevoli animi testimonio exornarentur.

QUÆSTIO VII^a^. — *An regulari, absolutam pro confessionibus approbationem postulanti, possit Ordinarius denegare examen, et vel nullam, vel limitatam duntaxat approbationem concedere ?* — Respondendum negative, nisi forte absque examine Episcopo certo constaret, regularem illum non esse generaliter idoneum. Nam decernit Clemens X, *religiosos qui idonei generaliter reperti fuerint, generaliter quoque et absque aliqua limitatione esse admittendos. Cæteros vero qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate admittere.* Verba hæc aperte supponunt teneri Episcopum, si ignoret idoneitatem regularis approbationem postulantis, ad eam inquirendam seu ad examen faciendum. Alioquin lex foret absona. Posset enim eam Ordinarius semper eludere dicendo, regularem illum non fuisse a *se repertum* generaliter idoneum, intelligendo scilicet nescire se an hac idoneitate polleat, et simul nullum examen faciendo. Ex quo sequeretur, liberum Ordinariis esse, ut nulles regulares pro confessionibus approbent, quod admitti nequit. Unde sensus legis est :

1° Posse quidem Ordinarium, si alias quam per examen absolutam religiosi idoneitatem compertam habeat, ei absolutam approbationem *absque ullo examine* concedere.

2° Si vero ignoret hujus religiosi idoneitatem, tenetur, illo

Digitized by Google

postulante, ad examen devenire. Ex quo examine si constet generalis idoneitas, tenebitur Episcopus absque limitatione approbare.

3° Quod si ante ullum examen certo constet Ordinario, regularem non esse generaliter idoneum (quod quandoque contingere potest), poterit examen omitti, et denegari absoluta approbatio.

Omnino ergo tenendum est quod dicit Clericatus : *De rigore juris confessores regulares prætendere possunt licentiam absolutam et indefinitam audiendi laicorum confessiones* (loco cit. sub præcedenti quæstione); hoc autem prætendere non possent, si Episcopus, dum ei certo neque idoneitas neque inidoneitas constat, posset ipsos ad examen non admittere, ut patet.

Quæstio VIII^a. — *Casu quo regularis non repertus fuerit generaliter idoneus, an possit Ordinarius ne limitatam quidem facultatem ei concedere ?* — Respondendum affirmative. Nam in hoc casu decernit Clemens X, *arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate admittere.* Quod autem arbitrio relinquitur, non præscribitur ; ergo licite contrarium fieri potest ; ergo potest tunc Episcopus *cum limitata facultate non admittere*, id est nullo modo admittere. Unde hoc Ordinarii prudentiæ omnino relictum est.

Quæstio IX^a. — *An regulares generaliter approbati ab Ordinario prævio examine, possint iterum ab eodem Ordinario examinari ?* — Respondendum negative. Constat tum bulla *Romani Pontificis* sancti Pii V, tum declaratione quadam S. Congregationis Concilii (vide duos illos textus apud Ferraris, voce *Approbatio*, n. 49), tum denique ex constitutione *Superna* Clementis X in qua sic decernitur : *Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas, prævio examine simpliciter et absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo* (*secus autem si ab ejus vicario aut ab antecessoribus Episcopis*) *approbatos, non posse ab eodem qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat.*

Digitized by Google

Dubium tantummodo esse potest, an restrictio hæc *nisi nova superveniente causa*, cadat etiam in membrum *non posse iterum examinari*, an vero duntaxat in membrum *non posse a confessionibus suspendi*. Ego non video cur non sit ad prius etiam membrum referenda. Nam contingere potest ut confessarius quam maxime idoneus, ob morbum aliquem vel senectutis effectum, memoriam et scientiam necessariam deperdat. De quo si dubitet Episcopus, non video cur non possit ex ea nova causa confessiones concernente, eumdem confessarium, quem ipsemet simpliciter approbaverat, iterum ad examen vocare. Quod si textus Clementis X ita intelligendus sit, responsioni nostræ addenda est limitatio hæc, *nisi nova superveniente causa*, etc.

Quæstio X^a^. — *An Episcopus possit iterum examinare regularem quem non ipse, sed vel antecessor, vel alius simpliciter approbavit?* — Respondendum affirmative. Nam in modo citato Clementis X textu dicitur, *secus autem si ab ejus vicario, aut ab antecessoribus Episcopis*. Unde ut nequeat Episcopus regularem simpliciter approbatum iterum examinare, debet adesse hæc circumstantia, quod *ipsemet* Episcopus *per seipsum* illimitatam approbationem huic religioso concesserit.

Quæstio XI^a^. — *An Episcopus examinare possit religiosum, quem ipse quidem per seipsum simpliciter approbavit, sed absque prævio examine?* — Videtur respondendum affirmative. Nam ubi Clemens X decernit non posse iterum examinari simpliciter approbatos, expresse agit de iis, qui ab ipso Episcopo fuerunt simpliciter approbati *prævio examine*. Quas voces non addidisset, si voluisset idem jus currere de iis, quos *absque prævio examine* Episcopus simpliciter approbasset (vide textum Clementis X sub quæstione 9).

Quæstio XII^a^. — *An Episcopus a confessionibus audiendis suspendere possit regularem simpliciter approbatum?* — Distinguendum an regularis simpliciter approbatus fuerit ab ipsomet Episcopo, an vero ab ejus vicario, vel ab Episcopo prædecessore.

Digitized by Google

1° Si approbatio absoluta data fuerit ab ipsomet Episcopo, is jam nequit regularem illum ab audiendis confessionibus suspendere, nisi ex nova superveniente causa confessiones concernente. Ita clare disposuit Clemens X (vide textum sub quæstione 9, vel bullam ipsam sub quæstione 5).

2° Si dicta approbatio data fuerit ab ejus vicario generali, vel ab Episcopo prædecessore, potest Episcopus religiosum illum, non tantum examinare, sed etiam ab audiendis confessionibus suspendere, si minus idoneum illum reperiat. Sequitur ex istis Clementis X verbis, *secus autem si ab ejus vicario aut ab antecessoribus Episcopis*. Item in constitutione *Romani Pontificis* S. Pii V sic decernitur : *A successore autem Episcopo pro majori conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari*. Item declaravit S. Congregatio Concilii his verbis : *Cæterum posse iterum a successore examinari*. Si possit a successore examinari, utique ut videatur num sit idoneus, et a confessionibus arceatur, si talis non fuerit repertus (vide duos ultimos textus apud Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 52).

Quæstio XIIIª. — *An et quatenus facultas, sive absoluta, sive limitata, regularibus concessa, possit ab Episcopo revocari vel restringi ?* — Quæstio hæc ex jam dictis pro sufficienter soluta haberi posset. Eam tamen posuimus, ut in unum colligeremus varios casus, in quibus Episcopus potest vel non potest facultates regularibus concessas revocare vel restringere.

1° Si Episcopus ipse regularibus absolutam facultatem prævio examine concessit, non potest eam revocare, nisi ex nova superveniente causa, confessiones concernente. Id jam probatum est.

2° In eo casu non tantum non potest omnino revocare absolutam facultatem, sed neque eam mutare in facultatem limitatam. Nam Clemens X pro iisdem casibus in quibus decernit non posse religiosum *a confessionibus audiendis suspendi*, pariter decernit non posse *licentias ipsi concessas revocari* (vide § 5 bullæ, supra, quæst. 5). Jam vero limitare (ad certum

Digitized by Google

tempus, vel locum, vel personarum genus, vel ad beneplacitum) facultatem confessiones audiendi quam quis habebat absque ullis ejusmodi restrictionibus, est *licentiam aliquam ipsi concessam revocare*, ut per se patet. Ergo, posito casu, quo Episcopus ipse absolutam facultatem prævio examine concesserit, nequit jam ulla limitatione eam restringere, nisi ex nova superveniente causa, confessiones concernente.

3° Si facultatem illimitatam, non Episcopus ipse, sed vel ejus vicarius vel prædecessor tribuerit, potest Episcopus regulares ad examen vocare, et nisi eos *generaliter idoneos* reperiat, absolutam illam facultatem eis adimere, et vel nullam vel limitatam concedere. Constat ex quæstione 9.

4° Facultas limitata (sive ad tempus, sive ad aliquem locum, sive ad aliquod genus personarum, sive ad beneplacitum), potest ab Episcopo restringi, vel omnino adimi, absque nova causa confessiones concernente. Nam quod nequeat Episcopus, nisi ex nova causa confessiones concernente, regulares ab administrando pœnitentiæ sacramento suspendere, expresse restringit lex ad solum casum, quo ipse Episcopus eis *illimitatam* facultatem concesserit (vide bullam *Superna*, sub quæst. 5). Ergo quoties agitur de facultate *limitata*, liberum est Episcopo, prout visum sibi fuerit, eam retrahere, vel ad arctiores limites reducere.

5° Ex propositione damnata ab Alexandro VII (decreto S. Inquisitionis, 30 januarii 1659), perperam concludunt nonnulli scriptores gallicani, semper et in omni casu liberum Episcopis esse, facultatem confessiones audiendi regularibus limitare et sine causa retrahere. Propositio sic erat : *Ubi concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas nulla ex causa revocare : quinimo ordines mendicantium religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur ; et si ab Episcopis religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset* (vide tatum decretum, supra quæst. 5). Primum membrum ha-

Digitized by Google

bet formam propositionis universalis negantis : unde idem sonat ac si diceretur : *Nunquam et in nullo casu possunt Episcopi limitare*... Proinde ut propositio hæc sit falsa et damnabilis, sufficit *dari casus* in quibus Episcopus dictas facultates regularibus limitare possit. Et revera dantur, ut vidimus. Unde ex hac condemnatione merito quidem infertur posse Episcopum in *certis casibus* approbationem regularibus limitare : at perperam inferretur *semper et in omnibus casibus* liberum Episcopo esse dictam approbationem limitare. Et cæteroquin contrarium expresse generali lege decrevit Clemens X, constitutione *Superna*, citato decreto Inquisitionis posteriore.

At gallicani auctores, fingunt per hanc condemnationem certum Episcopis jus attributum, ut regulares *nunquam* approbent nisi *ad tempus*. Van Espenius, verbi gratia (*Jus eccles.*, parte 2, sect. 1, tit. 5, c. 8, n. 17 et 18), postquam adduxit quamdam cleri gallicani circularem epistolam disponentem ut *posthac nulli regulari detur facultas excipiendi confessiones nisi ad certum tempus limitata*, subjungit : « Cum vero non ob-« stante hac perspicua juris ratione... quidam in diœcesi An-« degavensi sustinere veriti non essent hanc assertionem : « *Ubi concilium Tridentinum est receptum, non possunt Epi-« scopi restringere vel limitare approbationes quas regularibus « concedunt ad confessiones audiendas ;* eam... Alexander VII « in citato decreto ad Episcopum Andegavensem, *falsam, teme-« rariam, scandalosam, in hæresim et schisma inducentem, « et sacro concilio Tridentino et sedi Apostolicæ injuriosam* « declaravit. » Censura qua damnata est dicta propositio, non est illa quam ponit Van Espen, sed est ista : COMPLEX ACCEPTA, *est falsa, temeraria, scandalosa et erronea*. Sed prætermisso hoc Espenii mendacio, ex damnata hac propositione *non possunt Episcopi limitare*, sequitur posse *saltem in aliquo casu limitare*, non autem sequitur quod possint *semper et in omni casu limitare*. Cabassutius idem insinuat ac Van Espen : « Potestatem « habet Episcopus regularibus exemptis, quemadmodum sæ-« cularibus sacerdotibus, facultatem dare ad certum tempus

Digitized by Google

« limitatam. » (*Juris can. theoria et praxis*, l. 1, c. 10, n. 13.) Et in confirmationem adducit dimidiam partem propositionis ab Alexandro VII damnatæ, et censuram afferendo expungit voces *complex accepta*. Idem auctor antea n. 12 bullam *Superna* citaverat, prætermisso loco in quo decernit Pontifex, *generaliter idoneos* esse *absque ulla limitatione approbandos*. Sed prudens adnotaverat : « *Visum est* in Gallia istam constitutionem, « quæ quidem ibidem publicata non fuit, *quoad* « *illas saltem partes jura Episcoporum restringentes*, *non* « *recipere*. »

En apud Gallicanos tota juris sacri agnoscendi et tradendi norma : quoties eis non placet aliqua hujusce juris dispositio, dicunt non recipi in Gallia leges Ecclesiæ id decernentes. Atvero si rex, potestatem ecclesiasticam invadens, de re canonica decreverit, id jus inconcussum ipsis est. Unde Cabassutius (ibidem, n. 14) in præsenti materia, tanquam definitivum argumentum affert decretum Christianissimi regis, 4 martii 1669. De quo decreto nonnihil citabimus, ut intelligat lector, in quam Cæsaropapiam nostrates olim gallicanismi systema traxerit :

« Le roi étant en son conseil... a ordonné et ordonne que « les mandements du sieur Évêque d'Agen... seront exécu- « tés... Lesdits séculiers et réguliers ne pourront confesser « sans avoir obtenu l'approbation dudit sieur Évêque, qui « leur sera délivrée sans frais. Que conformément aux règles « et à l'usage de l'Église, ledit sieur Évêque pourra leur don- « ner son approbation limitée pour le lieu, les personnes, le « temps, et pour les cas à lui réservés... Fait au conseil d'État « du roi, Sa Majesté y étant ... signé : Le Tellier. » (Vide integrum illud documentum in collectione, *Mémoires du clergé*, tom. 6, pag. 1388, edit. Parisiis 1769.)

Quæstio XIV^a^. — *An, sede vacante, possit vicarius capitularis regulares a defuncto Episcopo approbatos, examinare, ac, si minus idoneos repererit, facultatem pro confessionibus eis adimere?* — Distingui debent varii casus, nempe : vel regulares

Digitized by Google

obtinuerant licentiam *illimitatam*, vel licentiam *ad tempus*, vel licentiam *ad beneplacitum*. In primo casu, quæstio difficultatem non habet : certum nempe est (ut patebit ex modo dicendis) non posse tunc regulares examini a vicario capitulari subjici, nec facultate sua spoliari. In duobus autem reliquis casibus res non ita statim liquet. Afferemus primo doctrinam Clericati : tum quid sentiendum videatur subjiciemus.

I. *Quid teneat Clericatus.* — Adnotat de licentiis *ad tempus*, in hunc modum : « Approbatio pro confessionibus data re-« gularibus per Episcopos ad tempus limitatum, puta ad an-« num..., eo tempore elapso expirat sine alia revocatione ; « et in nova prorogatione iidem regulares possunt noviter « examinari, et, si in studio non profecerint, reprobari. » (*De Sacr. pœnit.*, decisione 38, n. 23.) Quoad licentias *ad beneplacitum*, docet cum Diana (tom. 7, tract. 1, resol. 73 et 74) eas *cessare eo ipso per mortem concedentis* (ibid., n. 20, circa finem). De quæstione ipsa vicarium capitularem respiciente sic habet : « Regulares confessarii habentes licentiam *illimi-« tatam* audiendi confessiones ab Episcopo, eo mortuo non « possunt obligari a vicario capitulari, ut compareant ad no-« vam licentiam recipiendam ; et multo minus ad subeun-« dum novum examen. Marchettus (*Praxis vicarii capitul.*, « parte 2, tit. 17, n. 13 et 14), ubi minus bene asserit, id « habere locum etiam circa licentias, quas dedisset Episcopus « *ad suum beneplacitum :* nam, ut dictum est, ipse Diana, pater « et patrocinium religiosorum, fatetur eas morte Episcopi « expirare. Cæterum si *tempus licentiarum* prædictarum ex-« piret sede episcopali vacante, tenentur regulares compa-« rere coram vicario capitulari pro nova approbatione, et, « quatenus ipse velit, novum examen subire. » (Ibid., n. 24.)

II. *Quid sentiendum videatur.* — Valde attendenda est constitutio *Exigentibus* Clementis IV, ad quosdam regulares directa, in qua sic habetur : « Ex parte siquidem vestra fuit « propositum, quod licet vobis a nonnullis Patriarchis, Archie-« piscopis, Episcopis, et aliis ecclesiarum prælatis, audiendi

Digitized by Google

« confessiones subditorum suorum, nechon prædicandi, et « aliqua vota in alia pietatis opera commutandi, in suis diœ- « cesibus licentia sit concessa ; quia tamen ipsis prælatis de- « cedentibus, uti licentia hujusmodi, ecclesiis sic vacantibus, « dubitatis... ; præsentium vobis auctoritate concedimus, ut « in hujusmodi casu possitis uti tandiu libere prædicta licen- « tia, donec viduatis ecclesiis provisum sit de Pastore. » (Vide citatam apud Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 55.) Refert etiam (ibidem, n. 57) Ferraris sequentem S. Congregationis Concilii decisionem, quæ multum ad rem facit : « Regulares prævio examine approbati ab Episcopo defuncto « non possunt a capitulo, seu ejus vicario, sede vacante, exa- « minari, propter privilegium Clementis IV. » Notetur constitutionem illam Clementis IV, habendam esse perinde ac si pro omnibus generatim regularibus lata fuisset, ob privilegiorum inter varios ordines communicationem. Tandem prænotandum est quænam licentiæ, pro confessionibus audiendis concessæ, expirent morte concedentis. Certum est per mortem concedentis non expirare licentiam *illimitatam ;* et de hoc nullum est dubium. Item certum est licentiam *ad tempus determinatum*, non expirare per obitum concedentis, sed perseverare usque ad expirationem præfixi termini ; quod pariter extra controversiam est.

De licentiis *ad beneplacitum*, asserit quidem Clericatus, post Dianam, eas morte concedentis expirare. Sed in contrarium est *communis* doctorum sententia, quam sic exponit Ferraris (voce *Approbatio*, art. 1, n. 10) : « Approbatio *ad beneplaci-* « *tum* seu absque temporis limitatione concessa, non expi- « rat per mortem, vel amotionem ab officio ipsius concedentis ; « quia ejus beneplacitum et voluntas, eo ipso quod non sit « revocata, moraliter perseverare censetur, ut *tenent commu-* « *niter doctores ;* eo vel maxime quia ipsa est quædam gratia, « *quæ morte non perimitur concedentis*, ex capite *Si super* « *gratia* (*de Officio delegati*, in 6)... Et colligitur etiam ex « constitutione S. Pii V incipiente *Romani Pontificis*, et ex

Digitized by Google

« constitutione Clementis X incipiente *Superna*, ubi ex quo « dicatur quod possit a successore revocari approbatio facta « a prædecessore, supponit evidenter quod non sit revocata « per mortem. » His rationibus adde responsum S. Congregationis Concilii, in *Patavina*, 17 januarii 1654 (vide illam supra, sub quæstione 5), in qua dicitur, *facultatem et approbationem ad beneplacitum concessas, potuisse per Episcopum* (agitur de Episcopo successore) *revocari..., potuisse ab Episcopo ad tempus limitatum reduci.* Sane si per mortem concedentis expirent facultates *ad beneplacitum*, non possunt ab Episcopo successore revocari, nec reduci; quia quod desiit existere, nec revocari potest nec imminui. Unde per hæc verba palam fecit S. Congregatio, se minime habere pro extinctis facultates *ad beneplacitum* ob concedentis obitum.

His præmissis, proposita quæstio circa vicarium capitularem solvenda videtur in hunc modum :

1° Si agatur de *licentia illimitata*, nec eam revocare, nec regulares examini subjicere potest vicarius capitularis. Privilegium enim citatum Clementis IV, saltem de hac specie licentiarum intelligendum est. Et idem dicendum de allata S. Congregationis decisione. Confirmatur autem ex eo quod et S. Pius V et Clemens X, facultatem facientes Episcopo successori examinandi approbatos a prædecessore, loquantur de solo *Episcopo successore*, non autem de vicario capitulari, sede vacante. Et quoad hanc partem solutionis unanimis est doctorum sententia.

2° Idem dicendum de *licentiis ad tempus* determinatum. Quandiu nempe tempus illud non expiravit, non potest vicarius capitularis examen a regularibus exigere, aut licentias illas revocare. Id mihi videtur concludendum ex constitutione Clementis IV ; quia ibi regularibus conceditur, ut licentiis a defuncto Episcopo concessis uti valeant usquedum novus Episcopus constituatur. Cum enim non distinguatur inter licentias *illimitatas* et licentias *ad tempus*, de utrisque concessio intelligenda est. Nec objiciatur inde secuturum, posse regu-

Digitized by Google

lares uti licentiis *ad tempus*, etiam post expiratum earum terminum. Nam licentias, quatenus ultra terminum protractas, non *obtinuerunt* a defuncto Episcopo. Ipsis autem conceditur uti licentiis *obtentis*, non aliis.

3° Quoad licentias *ad beneplacitum*, derelinquenda videtur opinio Clericati, qui, supponens eas per mortem concedentis expiratas, concludit debere regulares a vicario capitulari novam licentiam obtinere, si velint confessiones audire. Dicendum e contra, eas non esse per mortem concedentis extinctas, prout tenet *communis* sententia. Dicendum insuper non posse vicarium capitularem eas revocare aut coarctare; quia Clementis IV constitutio de licentiis a defuncto Episcopo obtentis decernit generatim et absque distinctione, eas perseveraturas toto tempore quo vacabit sedes. Sub qua dispositione non est ratio cur non comprehensæ etiam censeri debeant licentiæ *ad beneplacitum*. Nam per hoc decretum voluit Clemens IV, prout ipse dicit, tollere regularium anxietates omnes et dubia sedis vacantis tempore, circa usum facultatum a defuncto Episcopo obtentarum. Porro non minor, sed potius major ratio erat dubitandi de licito usu facultatum *ad beneplacitum* concessarum. Ita mihi videtur saltem multo probabilius, salvo meliori judicio.

Cæterum, ad vitandas difficultates, curiis episcopalibus suaderem, ut nunquam darentur ejusmodi facultates cum clausula *ad beneplacitum;* sed duntaxat vel illimitatæ, vel limitatæ ad tempus aliquod determinatum.

Quæstio XV^a^. — *An regularis approbatus in una diœcesi pro sæcularium confessionibus, censendus sit pariter quoad alias diœceses approbatus?* — Respondendum negative. Ita clare § 4 constitutionis *Superna* (quam vide supra, sub quæstione 5). Vide etiam alias auctoritates apud Ferraris, voce *Approbatio*, art. 1, n. 39 et 73. Omnino derelinquenda est contraria nonnullorum opinio.

Quæstio XVI^a^. — *An regularis approbatus in una diœcesi possit in illa absolvere confluentes ex aliis diœcesibus?* — Respon-

Digitized by Google

dendum affirmative. Bulla *Superna*, § 6 (quam vide supra, sub quæstione 5).

Quæstio XVII^a. — *An dictus regularis possit pœnitentes ex aliis diœcesibus confluentes absolvere a casibus reservatis, sive in respectivis ipsorum diœcesibus, sive in diœcesi in qua regularis est approbatus et confessiones audit?* — 1° A reservatis in diœcesi in qua est approbatus absolvere nequit, nisi hoc ei expresse hujus diœcesis Ordinarius concesserit. 2° A reservatis in aliis diœcesibus absolvere potest, nisi noverit pœnitentes in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Constat utrumque ex constitutione *Superna*, § 7 (vide illam supra sub quæstione 5).

Quæstio XVIII^a. — *An regularis possit, in diœcesi in qua non est approbatus, absolvere eum, qui habet privilegium sibi confessarium eligendi?* — Quæstionem expendemus sejunctim quoad varias personas hocce privilegium habentes, nempe 1° quoad Episcopos, 2° quoad fideles tempore jubilæi, 3° quoad religiosos itinerantes.

I. *An Episcopus possit confiteri alicui sæculari vel regulari, licet is non sit approbatus in diœcesi, in qua Episcopus vult confessionem facere?* — Ante concilium Tridentinum id poterant Episcopi, vi privilegii quod ipsis confertur capite ultimo *de Pœnitentia et remiss.* Atvero an dictum privilegium retinuerint post Tridentinam synodum, fuit quæstio valde disputata sub Gregorio XIII. In Congregatione Concilii nihil resolvi potuit, quia vota pro et contra fuerunt paria. Sed Gregorius XIII, die 2 decembris 1582, definitionem emisit negativam. Unde jam certum est Episcopum extra suam diœcesim non posse confiteri, etiam religioso, qui non sit approbatus ab Ordinario loci. Vide Fagnanum de hoc fuse disserentem (in caput ultimum, *de Pœnitentia et remiss.*), ubi dicit idem extendendum esse ad Eminentissimos Cardinales. Vide etiam Ferraris (voce *Approbatio*, art. 1, n. 80).

II. *An tempore jubilæi possint fideles absolvi a regularibus vel sæcularibus presbyteris, ab Ordinario loci non approbatis?* —

Digitized by Google

Respondendum negative. Ita decisum fuisse, vide apud Ferraris, loco citato. Et cæteroquin in bullis jubilæi solet facultas illa sibi eligendi confessarium expresse restringi per has voces, inter *approbatos* ab Ordinario.

Nota. — An tempore jubilæi moniales confiteri valeant presbyteris approbatis specialiter pro monialibus, expenditur infra, sub quæstione 23.

III. *An regulares iter facientes confiteri valeant alicui non approbato ab Ordinario loci?* — Supponimus licitum non esse regularibus, absque licentia superiorum suorum, confiteri presbyteris sæcularibus, aut etiam regularibus alterius ordinis, extra casum necessitatis. In casu autem necessitatis, id est, quando in itinere versantes, aut aliter, copiam non habent confessarii approbati sui ordinis, dubium non est quin confiteri possint sæculari approbato vel regulari alterius ordinis pariter approbato, ut dicetur infra.

Difficultas autem est, an tunc confiteri etiam valeant sacerdoti *non approbato*, sive sæculari, sive regulari.

1° Certum est regularibus, copiam confessarii sui ordinis non habentibus, concessum esse privilegium sibi assumendi confessarium, sive sæcularem, sive regularem alterius ordinis. Hocce privilegium concessit Innocentius VII, ordini Prædicatorum constitutione *Provenit*, sextodecimo kalendas novembris 1402; et Sixtus IV ordini Minorum constitutione *Supplicari*, 11 augusti 1479. Idem obtinuerunt alii ordines; atque ob privilegiorum communicationem, censenda est omnibus communis ejusmodi facultas, prout adnotat Ferraris (voce *Approbatio*, art. 2, n. 9). Sed in iis privilegiis non expresse conceditur ut dicti regulares possint confiteri etiam *non approbato*, sicut nec ponitur clausula, ut sit *de approbatis*. Sic, verbi gratia, habetur in privilegio Innocentii VII: *Ut, si aliquem presbyterum idoneum, ex professoribus dicti ordinis habere non possint, quemcunque alium idoneum et discretum religiosum, vel sæcularem, in eorum confessorem eligere valeant.*

2° Communis et communissima doctorum sententia est,

Digitized by Google

posse in dicto casu regulares confiteri etiam *non approbato*. Vide Clericatum, qui hanc communem sententiam impugnat (*de Sacram. pœnitent.*, decis. 39, n. 5 et seq.), necnon Ferràris (verbo *Approbatio*, art. 2, n. 9 et seq.).

3° Nihilominus stant in contrarium aliqui doctores; ita ut res dici possit adhuc controversiæ obnoxia. Vide Clericatum, loco citato.

4° Rationes utriusque sententiæ non expendemus; tum quia nimis longum id foret; tùm quia in præsentiarum nobis haud præsto sunt necessaria documenta ad utiliter ventilandam ejusmodi controversiam.

Quæstio XIXª. — *An regularis approbatus ab Ordinario, sed absque facultate absolvendi a reservatis eidem Ordinario, possit nihilominus a dictis reservatis absolvere vi privilegiorum sui ordinis?* — Respondendum negative, nisi forte privilegia ordinis essent posteriora constitutioni *Superna*, et ei expresse derogarent. Nam in ea constitutione sic decernitur : « Ex fa-« cultatibus per mare magnum aliave privilegia... concessis, « factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab « Episcopo reservatis. » Atque id intelligendum est etiamsi habeant facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis. Sic enim in dicta constitutione subjungit Clemens X : « Et ha-« bentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi « Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reser-« vatis posse absolvere. »

Quæstio XXª. — *An regulares approbati ab Ordinario indigeant licentia parochi ad audiendas confessiones infirmorum vel aliorum?* — Respondendum negative; sed quoad infirmos tenentur parochum de audita confessione monere, saltem per scripturam apud infirmum relictam. Vide id statutum in constitutione *Superna* (relata superius sub quæstione 5).

Quæstio XXIª. — *An regulares approbati ab Ordinario pro confessionibus sæcularium, possint eas audire absque superiorum suorum licentia?* — 1° « Quod *licite* non possint audire « confessiones sæcularium absque licentia ac approbatione suo-

Digitized by Google

« rum superiorum, nemo est qui neget; nam facerent contra « obedientiam... 2° At quoad validitatem absolutionis, si « non fuerint a suis superioribus approbati, alii negant, alii « affirmant. » (Clericatus, *de Sacramento pœnit.*, decisione 38, n. 25.) Vide etiam Cardinalem de Lugo (*de Pœnitentia*, disput. 21, sect. 3).

Quæstio XXII^a^. — *An Episcopus possit omnes simul unius conventus regulares ab audiendis confessionibus suspendere?* — Respondeo : id non potest Episcopus, inconsulta sede Apostolica. Nam in constitutione *Superna*, § 6, postquam declaratum est, ob delicta aut scandala ab Episcopo suspendi posse a confessionibus audiendis eos etiam regulares quos ipse Episcopus approbavit, sic additur : *Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta sede Apostolica nullatenus posse.* Eamdem doctrinam aliis documentis firmat Ferraris (verbo *Approbatio*, art. 1, n. 71), in hunc modum : « Regu- « lares approbati ad confessiones sæcularium audiendas ne- « queunt omnes simul unius conventus suspendi a locorum « Ordinariis. Sic expresse decrevit S. Congregatio Episcopo- « rum et regularium, 20 novembris 1615, decreto tenoris « sequentis : *Cum Sacræ Congregationi Cardinalium, negotiis « Episcoporum et regularium præpositorum, innotuerit, con- « fessarios regulares graviter conqueri, quod ab Archiepiscopis, « Episcopis, et locorum ordinariis, ab audiendis confessioni- « bus, quavis ex causa, indiscriminatim suspendantur; ac pro- « pterea sæpe contingere, ut ab eisdem Archiepiscopis, Episco- « pis, et locorum ordinariis, omnibus simul unius conventus « confessariis, confessiones audiendi facultas adimatur : Illus- « trissimi ejusdem S. Congregationis Patres, rati vix fieri « posse, ut hæc sine scandalo magnaque animarum pernicie « contingant, re mature perpensa, ad omnem scandali mate- « riam submovendam, et quo magis spirituali piarum mentium « consolationi consulatur; statuunt et declarant, Archiepisco- « pis, Episcopis, aliisque locorum ordinariis, ad quos confessa-*

Digitized by Google

« *rios approbandi jus spectat, confessarios regulares, alias ab* « *ipsis libere approbatos, ab audiendis confessionibus posthac* « *suspendere minime licere, nisi ex nova causa, eaque ad con-* « *fessiones pertinente, vel ob non servatum interdictum ab ipsis* « *Ordinariis appositum. Statuunt insuper, eosdem, Archiepi-* « *scopos, Episcopos et locorum ordinarios, confessiones au-* « *diendi facultates omnibus simul unius conventus regularibus* « *confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo* « *pacto adimere posse.* »

« Et hoc absolute etiam statuit Clemens X, in toties citata « constitutione *Superna*...

« Nec confessarii regulares restringi debent ad duos pro « qualibet ecclesia : Sacra Congregatio, 2 martii 1646. »

Prorsus ergo rejiciendum est quod dicit Verhoeven (*de Regularium et sæcularium juribus*, pag. 108) : « Si cuidam Ordi- « nario constaret, multos parochianos in sua parochiali eccle- « sia præcepto communionis paschalis non satisfacere, idque « ex eo venire quod quidam regulares in suis ecclesiis sæcu- « larium confessiones excipiant, sane posset tunc Ordinarius « regulares illos jurisdictione sæcularium confessiones excipiendi « privare per totum paschale vel per longius etiam tempus. « *Nec vero is*, ita agendo, *potestatis suæ limites excederet.* »

Nedum ex allegata causa, sed nec ex alia qualibet fas est Episcopo, inconsulta sede Apostolica, omnes simul unius conventus regulares a confessionibus audiendis suspendere.

Cur autem supponit citatus auctor, fideles, ex eo quod regularium ecclesias pro sacra exhomologesi adeant, non impleturos in parochia sua paschalis communionis præceptum ? An forte suspicatur et innuere vult adeo facinorosos fore regulares confessarios, ut hoc peccatum mortale fidelibus suadeant, vel saltem eos in ignorantia hujus obligationis ex proposito relinquant? Ipsa certe hypothesis regularibus injuriosa est ; quia omissio paschalis in parochia communionis non magis provenire potest ex eo quod fideles apud religiosos confiteantur, quam ex eo quod confiteantur apud sæculares presbyteros.

Digitized by Google

Nota. — Ægre tulerunt nonnulli scriptum a me alias, de domino Verhoeven, eum *nec summæ nec sanæ* doctrinæ videri. Sed pace ipsorum dixerim, numquid omni ex parte probant citatum *de regularium et sæcularium juribus* opusculum? Certe in eo multa occurrere, non tantum eruditi viri parum digna, sed et devia et noxia, palam abunde fecerunt patres Bollandiani, in ejusdem opusculi confutatione, *Examen historicum* inscripta. Illud idem domini Verhoeven opus ego periculosum existimavi, et ideo memoratis verbis perstringendum duxi. Cæterum quod aliæ quædam præfati auctoris scriptiones summam ejus erga sedem Apostolicam observantiam, et sincerum doctrinæ romanæ zelum testentur, haud abnuo. Dolendum quod dicto opusculo nonnihil maculæ sibi inusserit. Absit autem ut contristare voluerim, in pium cæteroquin et quoad alia multa commendandum virum, amicitiam. Perperam tamen amicitia suum esse existimaret, erronea etiam et noxia, quæ laudato scriptori pro humana fragilitate exciderunt, amplecti ac defendere.

Quæstio XXIIIª. — *Quid possint regulares quoad audiendas monialium confessiones?* — 1° Regulares non possunt absque approbatione Ordinarii audire confessiones monialium, etiam ipsis subjectarum. Id decrevit Gregorius XV (bulla *Inscrutabili* 5 februarii 1622, § 5) in hunc modum: *Confessores vero, sive regulares sive sæculares quomodocunque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbationem (quæ gratis concedatur) obtineant.* Idem constat ex constitutione *Superna* Clementis X (vide illam supra sub quæstione 5), in qua decernitur religiosos, etsi *generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.* Vide alias auctoritates id evincentes, apud Ferraris (verbo *Approbatio*, art .3, n. 1).

Digitized by Google

2° An præcedens conclusio intelligenda etiam sit de *generalibus* et *provincialibus* regularium? — Affirmative respondet Clericatus (*de Sacram. pœnit.*, decis. 42, n. 2): « Abbates « (inquit) aliique prælati regulares altioris gradus, etiam pro- « vinciales et generales, non possunt audire confessiones « monialium sibi subjectarum absque prævia approbatione « Episcopi; ut resolutum fuisse a S. Congregatione testa- « tur Barbosa; et concedit Bordonus (resol. 5, n. 1), ubi « tamen subdit, quod prædicti abbates et prælati non sunt « examinandi; quia idoneitas eorum includitur in eminentia « prælaturæ ac dignitatis quam obtinent; cui de jure est de- « ferendum, ne dignitates ecclesiasticæ vilescant, et, qui ratione « officii sunt pastores ac magistri, cogantur fieri discipuli et « condiscentes. »

Ferraris primo idem sustinuerat (verbo *Approbatio*, art. 3, n. 4), allegans auctoritatem S. Congregationis Concilii hoc modo: « Proposito dubio pro parte abbatis generalis Vallum- « brosanorum, an ipse posset audire confessiones monialium « sibi subjectarum absque præcedenti approbatione Episcopi « diœcesani, eadem Congregatio sub die 13 novembris 1637, « respondit, non posse. » Sed postea, mutata sententia, contrarium sustinet (ibid., n. 15). Allegat bullam, *Pastoralis officii* Benedicti XIII, in qua sic, § 8, disponitur: *ab hujusmodi tamen lege... eximimus superiores generales ac etiam provinciales cujusvis ordinis regularis; quibus, ut confessiones monialium, sibi subjectarum duntaxat, absque istiusmodi speciali approbatione Episcopi diœcesani audire licite et valide possint, permittimus et indulgemus.*

Nititur præterea Ferraris rationibus, quæ habentur in appendice ad tractatum 6 theologiæ moralis Salmaticensium, præsertim, quod provinciales et generales sint parochi respective ad moniales sibi subjectas; cum ordinariam jurisdictionem in eas habeant.

Duæ illæ auctoritates a Ferrario adductæ haud mihi videntur peremptoriæ. Ad bullam Benedicti XIII respondetur, illam pro

Digitized by Google

ecclesiis Hispaniarum fuisse editam, ita ut non valeat ad probandum jus commune.

Ad alteram rationem respondetur : equidem prælatis regularibus ordinariam jurisdictionem competere in moniales ipsis subjectas : sed potuit Ecclesia huic jurisdictioni aliquam limitationem apponere, et in particulari potuit decernere ut dicti prælati non valeant illarum monialium confessiones audire absque prævia Ordinarii approbatione. Porro quæstio est, an id fecerit, dum præviam illam approbationem quoad regulares requisivit *indistincte*, id est, nullam distinctionem statuens inter regulares prælatos et non prælatos.

Attentis prædictis, fateor mihi non omnino liquere, an revera Ordinarii approbatione indigeant abbates, generales ordinum et provinciales, ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum : quapropter doctioribus rem enucleandam relinquo. Quod autem examini subjici non debeant dicti prælati regulares, mihi videtur, cum citato Bordono, omnino tenendum.

3° Regulares ab Episcopo generaliter approbati pro confessionibus sæcularium, non ideo censentur approbati pro confessionibus monialium, etiam ipsis subjectarum ; sed indigent speciali quoad moniales approbatione. Id fuit decisum a S. Congregatione Concilii (ad dubium 9). Vide hanc decisionem, a Gregorio XV et Urbano VIII approbatam, post bullam *Inscrutabili* (bullarium, edit. Cocquelines, parte 5, t. 5, p. 4); idem expresse decernit constitutio *Superna* Clementis X, § 4 (vide illam supra, sub quæstione 5).

4° Sacra Congregatio Concilii, loco citato (ad dubium 10) declaravit, *regularem ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.*

Et ad dubium 11 : *Confessores extraordinarios semel deputatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries, in vim approbationis ejusmodi, illarum confessiones audire ; sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

Digitized by Google

Atque eadem expresse sancivit Clemens X in dicta constitutione *Superna*, § 4. Ac præterea subjunxit: *Confessarios extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire; sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

5° An tempore jubilæi possint moniales confiteri cuilibet ex approbatis ab Episcopo, licet non sit specialiter approbatus quoad moniales? — Negative respondet Ferraris (verbo *Approbatio*, art. 3, n. XI) hoc modo: « Confessarii non approbati « specialiter ad audiendas confessiones monialium nequeunt « earum confessiones audire, *neque tempore jubilæi*. Deducitur « ex citata constitutione Gregorii XV incipiente *Inscrutabili* « et Clementis X incipiente *Superna*; ubi declaratur confes- « sarios approbatos generaliter ad audiendas confessiones sæ- « cularium, non posse audire confessiones monialium sine « speciali approbatione pro ipsis. Et hoc etiam clare habetur « ex declaratione S. Congregationis missa ad Episcopum Abu- « lensem..., in qua decernitur quod approbatus ad audiendas « confessiones certi generis personarum, vel in certa ecclesia, « non censetur approbatus *simpliciter*; ac proinde quod non « potest virtute jubilæi eligi ad audiendas confessiones aliarum « personarum, aut extra ecclesias designatas: et sic tanto minus « ad audiendas confessiones monialium, sine specifica appro- « batione pro ipsis... Et sic etiam potest dici quod approbatus « pro monialibus unius monasterii, neque tempore jubilæi cen- « setur approbatus pro monialibus alterius monasterii. »

Idem tenet Clericatus (*de Sacramento pœnit.*, decis. 41, n. 6): « Est tam insuperabilis, inquit, hæc inhabilitas monia- « lium eligendi sibi quem maluerint confessarium, ut neque « tempore jubilæi confiteri possint, nisi uni ex illis specialiter « deputatis per Episcopum et approbatis ad monialium con- « fessiones eo tempore excipiendas, ut bene notat Pax Jorda- « nus..., minime attenta opinione contraria Bordoni (in resol. 5,

Digitized by Google

« n. 6, et in res. 34, n. 53), ubi *frivolis quidem rationibus* ve-
« ritatem deserit. »

Ego nescio an *frivolæ* sint rationes Bordoni, quem præ manibus non habeo. At fateor me rationibus adductis a Lucio Ferraris (Clericatus nullam affert) minime convinci. Nam

Primo, citata responsio ad Episcopum Abulensem, non agit de confessariis approbatis *simpliciter* quoad totam diœcesim, sed de approbatis *secundum quid*, id est quoad unam ecclesiam aut aliquas determinatas personas tantummodo. Quæstio autem est an possint moniales tempore jubilæi confiteri alicui ex approbatis *simpliciter*, seu *generaliter*, pro confessionibus sæcularium.

Secundo, altera ratio, quod nempe statuerint Gregorius XV et Clemens X *approbatos generaliter pro confessionibus sæcularium non posse audire confessiones monialium*, nihil facit ad rem. Nam ibi exprimitur jus commune extra jubilæum; et quæstio est an bullæ jubilæorum huic juri ordinario derogent.

Tertio, dicto juri communi revera derogare primo intuitu videntur bullæ jubilæorum. Sit in exemplum formula jubilæi ab ipsomet Clemente X adhibita (bulla *Cum inscrutabilis*, 16 junii 1670) : *Insuper omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, sæcularibus et regularibus... licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque presbyterum confessarium tam sæcularem quam regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis*. Et antea dixerat Pontifex, *ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis*. Attenta hac formula statim in mentem venit, nihil monialibus concedi si (quemadmodum antea) confiteri non possint nisi *specialiter approbatis pro suo monasterio*. Et tamen absonum est dicere nihil ipsis concedi. Sed,

Quarto, responderi potest concessionem in eo esse, quod confessarii isti pro monialibus specialiter approbati, possint eas absolvere a peccatis et censuris reservatis, prout expresse in bullis jubilæi habetur; quod ante jubilæum facere non poterant. Atque idem est de personis sæcularibus : etiam ante jubilæum

Digitized by Google

poterant confiteri omnibus simpliciter approbatis; sed non poterant ii confessarii a reservatis peccatis et censuris absolvere : vi autem bullæ jubilæi jam id possunt.

Juxta hanc interpretationem, voces istæ *ex approbatis*, intelligendæ sunt de *approbatis respective* quoad unamquamque fidelium classem : id est, relative ad personas sæculares, intelligendi veniunt confessarii qui pro sæcularium confessionibus approbantur : relative ad unumquemque monialium conventum, illi soli qui pro isto conventu specialiter approbati fuerunt : relative ad viros religiosos, illi qui a prælato regulari pro religiosorum confessionibus excipiendis deputati sunt. Unde tandem confessarii, quibus fieri potest confessio tempore jubilæi, sunt illi ipsi (et non alii) qui, etiam extra jubilæum, absolvere possunt a non reservatis. Et gratia concessa in eo consistit, quod iidem illi confessarii possint insuper, vi jubilæi, a reservatis absolvere.

Quinto, dictus modus intelligendi voces *ex approbatis*, tenendus videtur : tum quia sensui obvio bullarum jubilæi, attentius perpenso, optime quadrat : tum quia juxta hunc sensum invaluit praxis; siquidem Episcopi, jubilæi bullam publicando, quandoque admonent non posse a monialibus eligi confessarium nisi inter approbatos *specialiter pro ipsis;* prout fecere in ultimo jubilæo nonnulli Galliæ Episcopi.

Suspicor autem haud deesse aliquas S. Congregationum decisiones, quæ hanc praxim firment. Nullas tamen in præsentiarum præ manibus habeo.

6° Quando moniales regularibus sunt subjectæ, confessarios ipsarum eligere ac deputare pertinet ad prælatum regularem, non autem ad Episcopum. Sed, ut dictum est, necesse est ut Episcopus eos approbet : alioquin confessiones forent nullæ. «Confessarii (inquit Clericatus, *de Sacram. pœnitentiæ*, decis. 42, «n. 1) audituri confessiones sacramentales monialium subje«ctarum regularibus, sunt eligendi per ipsorum superiores ac «prælatos regulares.» Id tanquam certum supponunt verba hæc bullæ *Inscrutabili* Gregorii Papæ XV, 5 februarii 1622 : *Li-*

Digitized by Google

ceatque Episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessores amoveant : iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos confessores... amovendi quoties et quando opus esse judicaverit. Et ante citatam bullam neque opus erat approbatione Ordinarii; sed necessitas hæc per constitutionem illam fuit inducta. Quod adeo verum est, ut, orto dubio, *an confessores monialium, ante edictam constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari et approbari*, responsum sit, *eos posse durante triennio, ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine et approbatione Episcopi* (vide dubia circa dictam bullam decisa, et post illam in bullario impressa).

7° Potest tamen Episcopus, *ex rationabili causa*, si existimet amovendos esse regulares deputatos et approbatos ad monialium confessiones audiendas, superiorem regularem admonere, ut eos amoveat; et tunc, nisi eos amoveat dictus superior, amoveri poterunt ab ipso Episcopo. Patet ex modo citatis Gregorii XV verbis.

8° Cum vero circa istam potestatem Episcopo tributam ortum esset dubium, *an ejusmodi causam Episcopus superioribus regularibus significare teneatur*, responsum est (ad 12), *non teneri ejusmodi causam significare superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri* (vide dubia ista, post bullam *Inscrutabili* impressa in bullario).

9° Cum ex capite 10 sessionis 25 Tridentinæ synodi, teneatur superior regularis monialibus sibi subditis confessarium extraordinarium bis aut ter in anno offerre, voluit sedes Apostolica ut confessarius ille extraordinarius, saltem semel in anno, seligeretur e sæcularibus, vel ex regularibus alterius ordinis. Ita dispositum fuit ab Innocentio XIII et Benedicto XIII; et postea confirmatum a Benedicto XIV, constitutione *Pastoralis curæ*

Digitized by Google

(tomo 2 ipsius bullarii, n. 56). Unde potest Episcopus ad id regulares compellere.

Quæstio XIVª. — *An possit Episcopus regulares cogere ad audiendas fidelium confessiones?* — Affirmative respondet Cardinalis de Luca : « Illi regulares qui ex instituto vitam activam « profitentur et confessiones audire solent, ita se declarantes « gerere munus operariorum in vinea Domini, per quemdam « implicitum quasi contractum se obligare videntur parere « Episcopo tanquam ejusdem vineæ præfecto ac majori cu- « stodi : potissime quia (ut dictum est) Episcopo etiam invito, « ipsi hanc operariorum partem, non data personali deme- « rentia, exercere prætendunt, recurrendo ad Sacram Congre- « gationem quando id denegetur. » (Annotationes ad S. conc. Trident., discursu 2, n. 13.) Quod regulares vitam activam profitentes, sacramentum pœnitentiæ (ubi non sint impediti), administrare renuant, est casus fere chimericus. Unde an omnino rigorosa sit hæc Cardinalis de Luca opinio, expendere omittimus.

CAPUT IV

DE PRÆDICATIONIS MINISTERIO.

1° Extra ecclesias suorum ordinum prædicare non possunt regulares absque obtenta licentia Episcopi. Sic enim decrevit Tridentina synodus (capite 2 sessionis 5) : *In ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt... Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint : ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.*

2° In ecclesiis vero sui ordinis prædicare possunt, *petita Episcopi benedictione*, etiamsi eam non obtinuerint, modo tamen Episcopus non *contradicat*. Constat hisce textibus : *Regulares vero cujuscunque ordinis... personaliter se coram Episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant* (Trid. syn., c. 2, sess. 5, *de Ref.*).

Digitized by Google

Atque ibi agit synodus de prædicatione regularium *etiam in ecclesiis suorum ordinum*. Cum autem in dubium vocari posset, num sufficeret regulares benedictionem petivisse, etiamsi Episcopus eam non concederet, vel etiam prædicationem expresse prohiberet, Clemens X, constitutione *Superna*, declaravit, *prædicare posse quamvis illam non obtinuerint*. At simul ita subjunxit : *Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem ecclesiis licere regularibus prædicare*. Et ipsamet Tridentina synodus (cap. 4, sess. 24 *de Ref.*) expresse sanxerat ut *nullus in ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat*. Unde in praxi, nec in ecclesiis sui ordinis prædicare possunt regulares absque assensu Episcopi : nam vel Episcopus benedictionem non recusabit, et hoc ipso consentiet prædicationi ; vel contradicet, et tunc prædicari non poterit. Casus enim quo, licet benedictionem recusans, suam contrariam voluntatem non manifestabit, rarissime continget.

3° Possunt regulares absque Episcopi licentia et benedictione conciones et exhortationes habere ad fratres suos, exclusis sæcularibus ; quia nempe præmissæ prohibitiones prædicandi etiam in ecclesiis sui ordinis contradicente Episcopo, aut non postulata ejus benedictione, intelliguntur de prædicationibus *publicis*, in quibus admittuntur sæculares ; non autem de prædicationibus ad fratres, excluso populo. Patet ex sensu obvio textuum Tridentinorum ; et ita intelligunt doctores. Item patet ex modo citando loco constitutionis *Superna*.

4° An regulares, absque petita benedictione Episcopi, prædicare possint ad crates monialium sibi subjectarum, clausis foribus, seu excluso populo ? Attenta sola constitutione Clementis X, quæ incipit *Superna*, respondendum foret negative. Sic enim in ea constitutione decernitur : *Et hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscunque oratoriis sui ordinis sermonem coram populo, vel in ecclesiis aut ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis, et nullus sæcularis ibi intersit,*

Digitized by Google

habere voluerint. Nihilominus Sacra Congregatio Concilii (in *conversana* 8 maii 1751) ad dubium : *an ad crates ecclesiæ seu collocutorii, aut alibi, liceat commissario monialium sermonem aut conciones habere ad moniales sine Episcopi licentia?* Respondit: *affirmative pro solis monialibus, et clausis januis*. Quam decisionem citans adnotator Lucii Ferraris (verbo *Prædicare*, n. 128), sic animadvertit : « Videtur autem hac resolutione re- « cessum a mox dicta constitutione Clementis X. » Notetur tamen ibi excludi quidem necessitatem *licentiæ* Episcopi ; non autem *petendæ benedictionis*, saltem expressis terminis : et Clemens X petendam benedictionem solummodo injungit in hoc casu.

5° Regulares prædicaturi in ecclesiis suorum ordinum per totam quadragesimam, aut continuate per aliquod aliud tempus, non tenentur benedictionem ab Episcopo petere pro singulis concionibus ; sed sufficit ut eam obtineant ante primam ; prout aperte indicant verba hæc Tridentini decreti (sess. 5, c. 2 *de Ref.*), *antequam prædicare incipiant*. Vide Ferraris, verbo *Prædicare*, n. 77.

6° « Regulares cujuscunque ordinis, nisi a suis superioribus « de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, « ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum præ- « dicare non possint. » Sunt verba Tridentinæ synodi (cap. 2, sess. 5 *de Ref.*).

7° Prædicatores etiam regulares tenentur emittere professionem fidei, si ab Episcopo exigatur. Vide auctoritatibus probatum a Pignatello (tom. 4, consultatione 206, n. 68). Vide etiam Ferraris (verbo *Prædicare*, n. 65).

8° Jus habet Episcopus examinandi circa doctrinam regulares, antequam in ecclesiis, quæ non sunt suorum ordinum, prædicent : « Posse autem Episcopum, licentiam concessurum « regularibus, in ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt præ- « dicare volentibus, illos... quoad doctrinam examinare, si ita « ipsius arbitrio (quod moderatum et discretum esse debet) « visum fuerit. » (Clemens X, in constitutione *Superna*.) Vide etiam Ferraris, loco citato, n. 66.

Digitized by Google

« In ecclesiis vero suorum ordinum prædicare volentes, non « spectat ad Ordinarium eos examinare, sed ad eorum superio- « res. » Ita Pignatelli (tom. 4, consult. 206, n. 66), dicens ita fuisse decisum a S. Congregatione, in *Salernitana* 19 decembris 1610. Idem docet Ferraris, verbo *Prædicare*, n. 81.

9° Potest Episcopus *licentiam prædicandi semel iisdem* (regularibus) *concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere.* Ita decrevit Clemens X, constitutione *Superna.*

10° In eadem constitutione sic additur : *Non posse tamen Episcopum generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum prædicent.* Adnotat rationem Pignatelli (tom. 4, consult. 206, n. 64 : « Quia non præsumitur adesse justa « causa pro omnibus prædicatoribus unius religionis ; S. Con- « gregatio Episcoporum, in *Salernitana* 19 novembris 1610. »

11° « Ipse tamen Episcopus (inquit Pignatelli, loco citato) « licentiam concionandi non debet denegare, si prædicator « fuerit idoneus, absque *legitima et rationabili causa ;* sine qua « *nec illum potest a prædicatione suspendere.* Si vero illam de- « neget, vel aliquem a prædicationis munere suspendat, *non* « *tenetur causam exprimere*, cur id faciat, vel cur regularibus, « etiam in eorum ecclesiis prædicare prohibeat (S. Congrega- « tio Concilii ad constitutionem 18 Gregorii XV), quia non est « vera censura...

« Sed tamen requisitus, illam exprimere tenetur Sacræ Con- « gregationi : eadem Sacra Congregatio in *Castellanensi*, 6 oc- « tobris 1603. »

Quod nequeat Episcopus absque *rationabili causa* regularem jam approbatum a prædicationis munere suspendere satis expresse habetur in constitutione *Superna* Clementis X ; qua liberum fit Episcopo, *licentiam prædicandi semel iisdem concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere.*

Quod pariter nequeat Episcopus prædicandi facultatem regularibus denegare absque *rationabili causa*, evincunt hæc

Digitized by Google

ejusdem constitutionis verba : *Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere*. Id valde notandum est quia inde sequitur, quoad utrumque casum, jus regularium ad S. Congregationem Concilii, vel Episcoporum et regularium, recurrendi ; nempe

12° In utroque casu, si regulares existiment non adfuisse *causam rationabilem*, quamvis interea Episcopi prohibitioni parere teneantur, nec possint exigere ut Episcopus ipsis dicat, qua de causa facultatem prædicandi deneget, aut concessam suspendat, possunt tamen ad sedem Apostolicam recurrere ; et tenebitur Episcopus Sacræ Congregationi, cui negotium Pontifex examinandum commiserit, causam denegatæ vel retractæ facultatis manifestare, si hanc ab ipso petat Congregatio.

Ex quo patet, regulares non ita ab Episcopo dependere quoad prædicationem, ut is ex *mero beneplacito* possit ab eo munere ipsos ablegare, quemadmodum nonnulli existimare videntur. Quod bene adnotat ipse etiam Verhoeven (*de Regularium et sæcul. cler. juribus*, pag. 154), auctor haud certe suspectus nimiæ in regulares benevolentiæ.

« Ordinario fas non est, inquit, ad merum arbitrium et « voluntatem suam suspendere regularem a prædicationis « officio, vel solum prohibere ne sacras habeat conciones ; sed « arbitrium illud debet esse moderatum et discretum. Unde, « si quando contingeret, ut Ordinarius adversus regularem « severius quam par esset, in re hujusmodi procederet, regulari « semper via patet ad S. Congregationem interpretum Concilii « Tridentini, vel ad S. Congregationem Episcoporum et regula- « rium recurrendi. Quibus Sacris Congregationibus Ordinarius, « si rogetur, exponere debet rationum momenta, ob quas regu- « larem a prædicationis officio suspenderit, vel ipsi prohibuerit « ne eodem fungeretur. Quod si Sacræ Congregationi constiterit, « Ordinarium suæ potestatis limites in ea re transgressum esse, « ac suæ agendi rationis justas causas non habere, S. Congre- « gatio efficacia quidem remedia in promptu habebit ad inju- « riam regulari illatam quam citissime reparandam. »

Digitized by Google

13° Regulares prædicatores non possunt absque Episcopi licentia, etiam in sui ordinis ecclesiis pauperes et miserabiles personas commendare (Ferraris, verbo *Prædicare*, n. 83).

14 Si regulares habeant ecclesiam parochialem monasterio suo unitam, et voluerint prædicare per regularem sui ordinis, illius prædicatoris deputatio non pertinet ad Episcopum, sed ad priorem regularem (vide Pignatelli, tomo 4, consult. 206, n. 70).

Et generatim regulares « non cogi possunt ad acceptandum « in suis ecclesiis concionatores sæculares, vel, diversarum « religionum ; nisi tamen esset consuetudo in contrarium. » (Pignatelli, ibid.)

15° Potest Episcopus prohibere ne regulares ea hora in ecclesiis conciones habeant qua ipse *per semetipsum* prædicaturus est. Estque id extra controversiam, prout videre est apud Benedictum XIV, *de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 17, n. 7.

An autem idem dicendum quando *coram Episcopo* solemniter concio habenda est, fuit valde disputatum. Prævaluit autem apud Sacram Congregationem Concilii doctrina hæc : non posse prohiberi regulares quominus prædicent eadem hora, si agatur de *consuetis* concionibus coram Episcopo habendis : secus si agatur de extraordinariis, id est, si Episcopus *ex causa publica, convocatis clero, magistratu et populo, coram se prædicare faciat* (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 17, n. 7).

Non tamen debet Episcopus per modum statuti hanc prohibitionem, pro concionibus illis extraordinariis coram se habendis edicere (ibid., n. 8).

16° A fortiori nequit regularibus injungi, ne in suis ecclesiis prædicent eadem hora, qua concio in ecclesia parochiali habenda est, si huic concioni non intersit Episcopus.

17° « Episcopus prohibere potest regularibus ne aliquo die « concionentur, ut totus populus conveniat ad cathedralem : « Sacra Congregatio Concilii... » (Ferraris, voce *Prædicare*, n. 63).

Digitized by Google

SECTIO IV.

DE JURE REGULARIUM QUOAD BONORUM SUORUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONEM.

Ad faciliorem difficultatum, quæ hic expendendæ occurrunt, expositionem et solutionem, distribuenda visa est præsens sectio in hunc modum : 1° exquiremus quodnam foret jus communitatum religiosarum administrandi bona sua, si leges ecclesiasticæ nihil de hac re statuissent. Nec putet lector otiose præmitti ejusmodi indagationem. Nam jus positivum determinavit quidem de aliquibus administrationis actibus quænam sint religiosæ communitatis partes, seu quid ei liceat aut prohibitum sit; at de cæteris rei administratoriæ operationibus nihil sancivit. Proinde quoad hosce posteriores administrationis actus, quid regularibus licitum sit aut vetitum, repeti nequit ex jure positivo; sed concludendum est ex ipsa communitatum religiosarum natura, seu ex jure ipsis competente ex hoc ipso quod tanquam communitates legitime existant. 2° Quoniam vero notabilem dictæ administrationis partem, eam nempe quæ circa bonorum immobilium et mobilium pretiosorum alienationes versatur, jus positivum certo modo faciendam præscripsit, de hac immobilium et mobilium pretiosorum alienatione secundo loco disseremus. 3° Tandem agemus de cæteris administrationis actibus. Et videbimus de his nihil jure positivo determinatum fuisse quoad communitates virorum : atvero quoad communitates mulierum, statutam peculiarem, tum a prælato suo regulari (si cui subjiciantur), tum ab Ordinario loci dependentiam.

Digitized by Google

SUBSECTIO I

QUÆNAM FORET COMMUNITATUM RELIGIOSARUM POTESTAS ADMINISTRANDI BONA SUA, SECLUSO JURE POSITIVO.

1° Notionem præviam trademus de dominio et administratione rei temporalis religiosarum communitatum. 2° Expendemus an religiosa communitas habeat ex seipsa jus administrandi bona sua, et an jus illud a sede Apostolica possit ei adimi aut restringi. 3° An et quatenus, secluso jure positivo, ab Ordinario dependeat communitas in administrandis bonis suis.

CAPUT I

DE DOMINIO ET ADMINISTRATIONE RERUM TEMPORALIUM APUD RELIGIOSAS COMMUNITATES, NOTIO PRÆVIA.

1° Ecclesiastica censenda sunt bona cujuslibet communitatis, modo fuerit *auctoritate ecclesiastica* erecta et approbata. Ita tenent doctores communiter. Et de hac quæstione tractare solent ubi determinant quænam communitates subjiciantur prohibitioni non alienandi bona sua absque beneplacito Apostolico. Cum enim illi prohibitioni non subjiciantur, nisi eæ quarum bona sunt *ecclesiastica,* determinare quænam ex illis communitatibus huic legi subjiciantur, idem est ac quærere quarumnam bona pro ecclesiasticis habenda sint. Porro ad illud dignoscendum concorditer hanc regulam tradunt auctores: Si communitas, vel conservatorium, vel locus pius fuerint *per auctoritatem ecclesiasticam* erecta, subjiciuntur dictæ prohibitioni; secus si auctoritate ecclesiastica erecta non fuerint. « Recepta distinctio est, ait Cardinalis de Luca, ut « inspiciendum sit, an confraternitas, seu hospitale, vel alter « locus pius, formalem habeat erectionem in locum ecclesia-

Digitized by Google

« sticum, cum ordinaria vel Apostolica auctoritate, necne. » (*De alienationibus*, discursu 1, n. 12.) Idem tradit Cardinalis Petra : « Cæterum quoad locum seu communitates quæ subji-« ciuntur vel non huic constitutioni seu prohibitioni non alie-« nandi bona sine beneplacito Apostolico, distinctio est : quod « si sit *mere locus laicalis*, etsi ibi opera pia exerceantur, et « proinde dicatur pius, non afficiuntur ejus bona dispositione « extravagantis Paulinæ : si autem sit locus auctoritate ec-« clesiastica erectus, quamvis administretur a laicis, tamen « bona subduntur huic prohibitioni... Unde conservatoria, so-« cietates, seminaria, collegia et hujusmodi, si sint *erecta auc-« toritate Ordinarii*, et sic ecclesiastica, subjiciuntur : secus si « non sint talia. » (Tomo 5, in const. 5 Pauli II, sect. 3, n. 21 et seq.) Hinc dubium non videtur quin ecclesiastica sint bona quæ possidentur in communi a societate Sancti Sulpicii, et a cæteris Galliæ religiosis communitatibus virorum, et mulierum, sive simplicia duntaxat, sive etiam nulla in eis vota emittantur. Cum istæ omnes congregationes fuerint (ut suppono) *auctoritate ecclesiastica* erectæ et approbatæ. Dicimus *erectæ ;* quia absolute contingere posset ut Ordinarius aliquam piorum sæcularium, etiam collegialiter viventium, communitatem approbaret, quin tamen locum in ecclesiasticum aut communitatem in ecclesiasticam *erigere* intenderet ; prout adnotat Cardinalis de Luca, loco citato. De quo si dubium intercideret, ex adjunctis et ex ipsa approbationis formula res foret decidenda. In præsenti autem capite de his tantum communitatibus agemus, quæ vere *auctoritate ecclesiastica erectæ sunt :* ac proinde jam supponimus ipsarum bona, in communi possessa, pro ecclesiasticis esse habenda. Et videndum remanet an et quatenus horum bonorum dominium ad ipsas pertineat.

2° Vox *dominium* sumi potest in usuali vel in strictiori sensu. Juxta usualem sensum, ille dominium bonorum ecclesiasticorum habere dicitur, qui libere de iis disponere potest, etiamsi non ipsius, sed Dei solius proprietas sint. Et sic, in *usuali* saltem sensu certum est, Romano Pontifici competere bonorum

Digitized by Google

omnium ecclesiasticorum dominium. Disputatur autem an sit eorum dominus in stricto sensu. Alii nempe id affirmant, alii vero strictum dominium soli Deo attribuunt, et tenent Papam esse duntaxat *supremum administratorem*, non autem proprie *dominum*. Sed quoad effectus practicos, idem esse jus Papæ in utraque sententia omnes concedunt. Nos autem hic vocem *dominium* in usuali sensu usurpamus.

3° Juxta receptam doctrinam, bonorum a communitatibus religiosis in communi possessorum dominium residet, *primario* penes Deum; *secundario* penes Papam; *tertiario* penes ipsammet communitatem. Cum de hac re non moveatur difficultas adducemus duntaxat pauca hæc Tamburini verba: « Non nego, imo constanter affirmo, dominium omnium quæ « possident omnes in universum religiosi, remanere penes « Deum : secundario penes summum Pontificem et totam Ec- « clesiam : tertio penes ordines et monasteria. Sed pro nunc « affirmo, in religionibus quæ possident in communi, admini- « strationem (quam cum dominio improprie sumpto confundo) « consistere penes prælatos primo et principaliter; secundario « penes eorum ministros et officiales, attentis in hac re pro- « priis constitutionibus et consuetudinibus.

« Difficultas non parvi momenti remanet explicando de do- « minio rerum fratribus Sancti Francisci concessarum, penes « quem resideat. Aliqui dicunt, omnium rerum quæ in nu- « mero, pondere et mensura consistunt et consumuntur usu, « dominium esse penes eos qui eas donant, donec per ipsos « fratres consumptæ sint : aliarum vero rerum dominium esse « apud sedem Apostolicam. Ita Azor.

« Navarrus dicit dominium omnium rerum donatarum « Franciscanis existere, sive apud Deum vel summum Pontifi- « cem. Et Bannes... affirmavit non sibi placere opinionem do- « ctorum affirmantium, dominium rerum comestibilium esse « apud summum Pontificem, et pecuniarum esse apud dantem.

« Sanchez (*in Præc. decal.*, l. 7, c. 18, n. 15) dicit domi- « nium pecuniarum quæ Franciscanis in eleemosynas largiun-

Digitized by Google

« tur, remanere apud dantem : aliorum vero omnium, sive « unico sive pluribus usibus consumptibilium, et aliorum « omnium, verbi gratia, domorum, ecclesiarum, dominium « esse apud summum Pontificem. » (Tamburinus, *de Jure abbatum*, tom. 3, disput. 11, q. 1, n. 8 et seq.)

4° Ex his inferas, bona communitatum ad ipsas pertinere, seu esse ipsarum dominium, non quidem independenter a summo Pontifice, sed *secundario* post ipsum. Unde potest quidem Papa de omnibus et singulis ejusmodi bonis valide disponere. At posito quod de iis revera non disponat, et quandiu non disponet, hoc ipso ad communitates ipsas pertinet de suis respective hujusmodi bonis disponere.

5° Inferendum venit insuper, nullum Ordinario competere jus dominii in dicta bona : quia præter et super dominium ad communitatem pertinens, non est aliud quam præfatum atque simul altius Romani Pontificis dominium.

6° Actus *administrationis* universos, reducit Suarez ad triplex caput : *acquirere*, *conservare*, *alienare*. Qui auctor postea determinat quosnam actus sub unaquaque specie comprehendat : « Sub prima comprehendimus omnem acquisitionem bo- « norum quæ religioni fit : sub secunda omnem actionem quæ « pertneit ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, « custodiam et usum talium bonorum : ad tertiam pertinet « omnis consumptio, distractio, seu alienatio, imo etiam omnis « usus talium bonorum. » (*De religione*, tom. 4, tract. 8, l. 2, c. 26, n. 1.) Idem vide apud Tamburinum (*de Jure abbatum*, tom. 3, disput. 11, q. 3, n. 1.)

CAPUT II.

AN RELIGIOSA COMMUNITAS, SECLUSA LEGE ECCLESIASTICA CONTRARIA, HABERET EX SEIPSA JUS ADMINISTRANDI BONA SUA ; ET AN JUS ILLUD A SEDE APOSTOLICA POSSIT EI ADIMI AUT RESTRINGI ?

PROPOSITIO I^a. — *Religiosa communitas, nisi lex positiva con-*

Digitized by Google

trarium decernat, habet ex seipsa jus bona sua administrandi; nec opus est ut jus illud ab aliquo ipsi concedatur. — Sequitur 1° ex eo quod sit communitas : Nam *unaquæque communitas habet jus proprium administrandi sua bona, quo non privatur communitas religiosa, eo quod religiosa sit; quia non repugnat voto paupertatis singulorum, nisi hoc etiam voluntarie profiteatur* (Suarez, loco mox integre citando).

Sequitur 2°. Ex eo quod dominium bonorum suorum habeat sensu quem diximus superiori capite. Quamvis enim dominium illud sit *primario* penes summum Pontificem, est simul *secundario* penes ipsam communitatem : ita ut quandiu summus Pontifex de bonis illis non disponit, hoc ipso dispositio hæc penes communitatem maneat. Unde jus illud administrandi, antecedenter ad omnem concessionem, residet in ipsa communitate.

3° Confirmatur ex doctrina Suaresii, quam sequuntur communiter doctores. Suaresius nempe tenet, ex primæva religionum institutione, et etiam juxta jus antiquum, penes abbatem residere totam administrandi potestatem; atque id probat ex eo quod potestas hæc administrandi, *ex sola rei natura*, sit *immediate in ipsa communitate.* En ipsius hac de re theoria : « Dicendum est, juxta primævam institutionem religionum, « quam jus antiquum admittebat, totam administrationem « bonorum monasterii esse seu fuisse apud solum abbatem. « Colligitur ex capite *Nullam* (18, q. 2), ubi Pelagius Papa « inquit : *Universa quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad « utilitatem monasterii pertinent, abbatis sollicitudo, ad quem « potestas tota pertinere conferet, debeat adimplere.* Hoc autem « jus quantum ex verbis ejus colligitur, non constitutivum, « sed declarativum fuit : non enim de novo statuit, sed pro « constanti supponit totam potestatem esse apud abbatem. « Est ergo advertendum, ex vi status religiosi, et secluso « omni jure positivo ecclesiastico, fieri potuisse (et antiquitus « ita factum est) ut hæc potestas tota in solo prælato existat. « Dico *fieri potuisse;* quia hoc semper dependet ex voluntate

Digitized by Google

« et consensu totius communitatis. Si enim ex sola rei natura « loquamur, ex vi institutionis religiosæ congregationis, in « qua singulæ personæ paupertatem profitentur, potestas « administrandi quæcunque bona, immediate est in ipsa com- « munitate; quia est illa domina seu usuaria per se primo. « Item quia ex rei natura non est major ratio de uno mem- « bro illius communitatis, quam de alio. Præterea quia cum « omnes habeant votum paupertatis, nullus potest proprio « nomine uti hujusmodi bonis. Ergo oportet ut facultas, in « quocunque particulari sit, derivetur ab alio : non potest « autem resolutio ultima fieri nisi ad totam communitatem ut « sic; quia in nulla particulari persona sistere possumus *intra* « *communitatem ipsam.*

« Non oportet autem *extra illam* progredi, ut scilicet pote- « stas illa manet ab Episcopo vel Pontifice. Nam unaquæque « communitas habet jus proprium administrandi sua bona; « quo non privatur communitas religiosa, eo quod religiosa « sit; quia non repugnat voto paupertatis singulorum, nisi « hoc etiam voluntarie profiteatur. Pendet ergo hoc ex vo- « luntate eorum, qui ad instituendam vel inchoandam talem « communitatem primum convenerunt. Nam illi possunt sta- « tuere, et quasi pacisci ut tota administratio temporalium « rerum sit apud solum prælatum..... Semel autem facta et « approbata institutione, qui eam postea profiterentur, con- « sequenter præberent suum assensum, et quantum in ipsis « esset, idem jus in prælatum transferrent. Confirmatur et « declaratur : nam hæc potestas administrandi bona tempo- « ralia, nec est jurisdictionis, nec per se requirit illam, sed « est potestas dominativa, sub hac comprehendendo potesta- « tem ministerialem a domino commissam. Ergo talis potestas « respectu communitatis religiosæ, per se et ex natura rei, ac « secluso jure positivo, non pendet a concessione Pontificis, vel « alterius prælati ecclesiastici; sed ex voluntate eorum, qui in « tali communitate sociantur. Ergo per eamdem voluntatem fieri « potest, ut in solum prælatum ea potestas transferatur.

Digitized by Google

« Quod autem ita in initio religionum factum sit, intelligi « potest ex antiquis institutoribus religionum et regulis « eorum. » Ibi multa adducit Suaresius, quæ factum illud probent. Tum sic concludit : « Talis fuit olim religionum insti- « tutio, quoad hanc partem ; eamque jure communi antiquo « Pontifices approbarunt. » (*De religione*, tom. 4, tract. 8, l. 2, c. 26, n. 2 et seq.) Ostendit postea huic prælati regularis administrativæ potestati, nullam primitus limitationem appositam fuisse, etiam quoad alienationem bonorum monasterii, præter illam quæ ex jure naturali dimanat, nempe, ut potestatem hanc haberet *in utilitatem monasterii,* non autem in ejus detrimentum.

Valde attendenda est theoria hæc Suaresii, circa potestatem administrativam bonorum temporalium in religiosis communitatibus. Summari potest in hunc modum : 1° potestatem hanc communitas non accipit ab extra, id est, a Papa vel ab Ordinario loci ; sed eam habet per se, seu ex hoc ipso quod tanquam communitas legitime existat. 2° Residet primario in communitate ipsa quatenus tali ; non autem in ullo ipsius membro sejunctim sumpto. 3° Cum autem exerceri nequeat nisi ab aliquo vel aliquibus determinatis membris, potest communitas statuere, ut ab ipsius abbate seu prælato, pro tempore existente, exerceatur : idque sive cum omnimoda independentia, sive cum obligatione aliquot membrorum consilium vel etiam consensum requirendi. 4° Potestas hæc administrandi bona sua pertinet, non tantum communitatibus quæ habent vota solemnia, sed etiam iis quæ vel simplicia duntaxat, vel nulla emittunt. Etenim Suarez hanc potestatem fundat in ipsamet *communitatis natura;* unde et concludit ea non privari communitatem religiosam, *eo quod religiosa sit :* quia nempe, licet religiosa, est communitas. Consequenter nec eo jure privabitur communitas, ex eo quod simplicia, vel nulla vota emittat.

Propositio IIª. — *Dicta potestas communitatis administrandi bona sua intelligenda est universaliter, seu quoad omnes admi-*

Digitized by Google

nistrationis actus, non exceptis alienationibus. — Nam receptum principium, quod quælibet communitas potestatem habeat administrandi bona, intelligitur eo sensu quod possit, *acquirere, conservare et alienare;* quia id vocatur simpliciter administratio. Præterea communitas habet bonorum suorum *dominium,* eo sensu quem supra exposuimus. Sed dominium tam implicat potestatem consumendi et alienandi, quam conservandi. Quod autem dominium illud resideat *primario* in summo Pontifice, probat tantum posse Papam bonorum communitatis dispositionem sibi reservare, si velit : non autem probat non remanere penes communitatem jus alienandi, quandiu Papa ipse jus illud sibi non reservaverit.

Cæterum hanc nostram conclusionem ex Suaresii doctrina desumpsimus. Ipse nempe sustinet ex primæva institutione, et etiam ex antiquo jure, ad prælatum regularem pertinuisse alienandi etiam potestatem : « Tertius actus et præcipuus « hujus potestatis (administrandi) est alienatio talium bono- « rum; sub qua voce comprehendimus omnem usum quo « talia bona consumuntur. Hic ergo actus etiam est commissus « vi juris antiqui prælato monasterii sine ulla limitatione, « præter eam, quam jus naturæ postulat, nimirum ut talis « dispensatio sit *fidelis et in monasterii utilitatem.* » (*De religione*, tom. 4, tract. 8, l. 2, c. 26, n. 8.) Et postquam id probavit in particulari quoad alienationem bonorum mobilium, extendit etiam ad immobilia, ibidem, n. 18 et 19 : « Neque « invenio, inquit, in antiquis historiis limitationem aliam præ- « lato regulari impositam, in usu hujusmodi administrationis, « quoad alienationes talium bonorum, præter illam genera- « lem, quæ ex natura rei est per se conveniens, ut graviora « negotia sine prudentum consilio non transigantur : hæc enim « alienatio rerum immobilium inter res graves monasterii « merito computatur... Quantum autem et quale futurum « esset illud consilium, non fuit fortasse eodem modo ab om- « nibus constitutum; sed unaquæque religio suam consue- « tudinem, vel regulam servabat. Nec etiam invenio ante

Digitized by Google

« Leonem X peculiarem modum aut formam circa hoc præ-« scriptam. » Quidquid sit de tempore quo cœperit sedes Apostolica communitatibus religiosis potestatem alienandi restringere, et certis limitibus concludere, id tenendum dicimus, communitates ex se potestate illa non carere, nisi expressa dispositione ea ipsis adempta fuerit.

Propositio IIIª. — *Dicta administratio, religiosis communitatibus competens, potest a Papa ipsis adimi et restringi.* — Loquimur enim de communitatibus *ecclesiastica auctoritate* erectis; quarum proinde bona, in communi possessa, ecclesiastica sunt. Porro certum est ecclesiasticorum bonorum omnium supremam administrationem penes Romanum Pontificem residere. Unde potest bona unius communitatis ipsi adimere, et ad alios usus ecclesiasticos transferre. Quod si valeat Papa ipsa etiam bona communitati adimere, poterit a fortiori limites ei quoad modum administrandi statuere. In quo probando non immoramur, quia extra controversiam est, et aperte sequitur ex suprema illa, in Romano Pontifice omnino agnoscenda, administrationis potestate, quoad omnia mundi ecclesiastica bona.

CAPUT III.

AN ET QUATENUS, SECLUSO JURE POSITIVO, AB ORDINARIO DEPENDERET COMMUNITAS RELIGIOSA PRO ADMINISTRANDIS BONIS SUIS.

Prænotanda. — 1° Quæstionem expendimus extra casum cujuslibet privilegii communitatibus a sede Apostolica concessi; ac proinde extra casum quo ab ordinaria Episcopi jurisdictione communitas exempta foret. 2° Certum supponimus dominium in bona communitatis, seu jus de illis disponendi residere *primario* penes summum Pontificem, *secundario* penes ipsam communitatem, nullatenus vero penes Episcopum vel loci Or-

Digitized by Google

dinarium; prout supra explanavimus. 3° Excludimus casum quo religiosa communitas, per suas constitutiones, ipsa sibi in peculiarem superiorem constituisset pro tempore existentem loci Episcopum, eique supremam administrandæ rei temporalis potestatem attribuisset. Possunt enim existere in diœcesibus communitates cum ejusmodi instituto approbatæ et legitime erectæ; nec tunc dubium est quin administrationis actus a consensu Episcopi dependeant, juxta modum in earum communitatum constitutionibus determinatum. 4° Quæstio ergo hic expendenda versatur circa communitates non exemptas, legitime tamen auctoritate ecclesiastica erectas, et quarum institutum nullam peculiarem potestatem Ordinario attribuit. 5° De hisce communitatibus quæritur quomodo in rei temporalis administratione ab Ordinario dependerent, *seclusis juris positivi dispositionibus*, quæ circa hoc supervenere, et de quibus infra mox disseremus.

Propositio I^a^. — *Casu quo potestate sua administrandi communitas abuteretur posset Ordinarius abusum coercere.* — Nam ordinaria Episcopi jurisdictio in communitates comprehendit procul dubio jus et potestatem abusus et excessus earumdem communitatum coercendi. Ergo poterit Episcopus, ob peccaminosam ejusmodi administrationem, earum communitatum superiores et officiales ad tribunal suum vocare, compertaque excessuum veritate, congruis in eos pœnis animadvertere. Unde dubium non est, quin potestas communitatis bona sua administrandi, aliquatenus ab Ordinario dependeat; ita nempe ut possit, imo et debeat Ordinarius delicta in ejusmodi administratione commissa coercere et punire (1).

Propositio II^a^. — *Secluso casu quo in administrandis bonis*

(1) Duobus præcipue modis contingere possunt communitatum religiosarum excessus in bonorum suorum administratione : *primo*, per dilapidationem; bona scilicet absque utilitate vendendo, et cum prodigalitate dispensando, vel consumendo; *secundo*, per imprudentes et illicitas acquisitiones : quando nempe communitas temere emendo vel mutuando, ita sese ære alieno gravat, ut facile prævideatur imparem eam futuram solvendis debitis; ex quo damnum tertii et scandalum orietur.

Digitized by Google

suis communitas delinquat, nequit Episcopus eam administrandi potestatem ipsi restringere, aut in eam sese ingerere. — Loquimur semper, *secluso jure positivo*, quo major in hac re potestas Ordinariis tribueretur. Seponendo ergo illam, quæ ex jure positivo proveniret, Episcopi potestatem, dicimus haud liberum ei esse communitatem in bonorum suorum administratione turbare aut præpedire. Nam ipse nullum habet in bona hæc dominium. Aliunde ipsius ordinaria in communitatem jurisdictio non comprehendit potestatem administrandi bona illa : nam administratio bonorum temporalium non pertinet ad potestatem jurisdictionalem, sed ad potestatem dominativam, ut tradunt doctores communiter. Ergo nullo titulo potest administrationem hanc sibi attribuere, nisi eidem administrationi conjungatur delictum. Ratione autem delicti (cum delicta sub ipsius jurisdictionem cadant) bene poterit pravam administrationem coercere, ut dictum est.

Propositio IIIª. — *Stante accusatore, vel fama publica, de excessibus a communitate in administratione commissis, potest Ordinarius ad inquisitionem veritatis procedere, et communitatem cogere ad reddendam computorum rationem : secus si non adsit accusator aut fama publica.* — Cum nempe potestatem in hac re non habeat Ordinarius, nisi ratione delicti, idem currit jus ac pro coercendis cæteris subditorum suorum delictis. Quod autem nequeat Episcopus quemquam ex subditis ad tribunal suum citare et judicare, nisi agente accusatore, aut prævia fama publica, vide fuse expositum in meo tractatu *de Judiciis ecclesiasticis.*

A qua tamen generali regula notabilis et frequentis usus occurrit exceptio. Si nempe de clericis agatur, liberum est Ordinario extrajudicialiter, seu ex informata conscientia, eos suspendere. Hinc ubi Episcopo certo constaret de excessibus in administratione commissis, posset superiorem communitatis aliosve, si clerici sint, extrajudicialiter suspendere. Et tunc contra hanc sententiam communitati pateret recursus ad sedem Apostolicam, tenereturque Ordinarius S. Congregationi,

Digitized by Google

ad id negotii deputatæ, causas aperire ob quas ita animadvertendum duxerit (de hisce ex *informata conscientia* sententiis vide meum tractatum *de Judiciis*).

PROPOSITIO IVª. — *Præmissæ conclusiones intelligendæ sunt etiam de religiosis mulierum communitatibus; secluso nempe jure positivo, ipsis etiam dicto modo competeret libera bonorum suorum administratio.* — Equidem, prout ostendemus infra, tenentur hodie moniales administrationis rationem reddere Ordinario, si exemptionis privilegio careant : si vero exemptæ sint, hanc rationem reddere tenentur tum prælato regulari cui subjiciuntur, tum insuper Ordinario tanquam sedis Apostolicæ delegato. Sed bene advertendum est, moniales ad id non teneri, nisi ex jure positivo seu ex consuetudine, quæ vim juris obtinuit. Atque id expresse tradunt doctores. Postquam enim stabilierunt, totam rei temporalis administrationem esse penes abbatem, quærere solent an idem dicendum sit de *abbatissa*. Et respondent affirmative; quamvis simul adnotent invaluisse in praxi, ut moniales quoad actus administrativos magni momenti ab Ordinario, aut a prælatis suis regularibus dependeant. Sic habet Tamburinus (*de Jure abbatissarum*, disput. 32, q. 13) : « Abbatissa « habet liberam bonorum sui monasterii administrationem, « sicuti abbas : et ideo pro suo monasterio potest esse procu- « ratrix... Imo non obstante fœmineo sexu, disponuntur res « monasterii per abbatissam et moniales, sicut per abbatem « et suos religiosos. Idem tradunt Navarrus... Cardinalis.. ; « qui fere omnes colligunt, ex capite *Dilecta* (*de Majoritate et* « *obed.*), universalem administrationem, tam temporalem « quam spiritualem monasterii pertinere ad abbatissam, quoad « omnia quorum fœmina est capax. Id ipsum approbant San- « chez.., Cuccus..., Emmanuel Rodericius..., Diana... Ho- « die tamen dicta administratio non videtur absoluta; sed « fere in omnibus monasteriis habet relationem ad alias mo- « niales ; et in rebus magni momenti ad Episcopos, seu supe- « riores earum. »

Digitized by Google

Idem traditur in editione correcta (1) tractatus *de Monialibus* Pellizarii (cap. 10, sect. 2, q. 19, pag. 245, edit. Romæ 1761) : « Quam potestatem habeat abbatissa circa administra-« tionem bonorum temporalium sui monasterii ? Respondeo, « habere liberam administrationem omnium bonorum sui mo-« nasterii, non minus quam habeat abbas circa bona proprii « conventus... Ut proinde Panormitamus generaliter dicat, « non obstante fœmineo sexu, res monasterii disponi per ab-« batissam ac moniales, sicut disponuntur per abbatem ac « ejus religiosos... Quamquam, ut recte advertit Tamburinus, « hodie dicta administratio non videatur absoluta ac inde-« pendens ; sed fere in omnibus monasteriis habeat relatio-« nem ad alias moniales ; imo et ad Episcopum, aut præ-« latum monialium, in rebus majoris momenti, cum alias « standum sit legitimæ consuetudini, utpote vim legis ha-« benti. »

Ex qua communi canonistarum doctrina, satis perspiciet lector, etiam monialibus competere liberam bonorum suorum administrationem, *secluso positivo et consuetudinario jure*, contrarium disponente.

Conclusio *totius subsectionis.* — In præsenti subsectione quæsivimus *quænam foret communitatis religiosæ potestas administrandi bona sua, si jus positivum nihil de hac re præscripsisset.* Cujus magni momenti quæstionis solutio, per partes tradita, potest sic in unum colligi : 1° communitas haberet plenam et liberam bonorum suorum administrationem, ex hoc ipso quod Papa eam ipsi non adimeret aut restringeret : 2° posset tamen sedes Apostolica dictam administrationem communitati adimere vel restringere : 3° Ordinarius autem non posset administrationem hanc ullatenus præpedire aut in eam sese ingerere, nisi ratione delicti in ejusmodi administratione a communitate commissi.

(1) Prior editio fuit a S. Congregatione Indicis prohibita.

Digitized by Google

SUBSECTIO II.

QUALITER JURE POSITIVO REGULARIBUS ADEMPTA FUERIT LIBERA BONORUM SUORUM ADMINISTRATIO, QUOAD IMMOBILIUM NECNON MOBILIUM PRETIOSORUM ALIENATIONEM.

Disceptationem illam hoc ordine expedimus : 1° præmittitur præcipuorum juris textuum collectio, et notatur quid sint bona *immobilia* et mobilia *pretiosa ;* 2° quosnam regulares attingat prohibitio alienandi immobilia et mobilia pretiosa, absque beneplacito Apostolico; 3° quosnam contractus attingat dicta alienandi prohibitio; 4° an et quatenus regulares ab Ordinario dependeant quoad bonorum alienationes : 5° an ubi requiritur beneplacitum Apostolicum, aliæ simul requirantur conditiones et formalitates.

CAPUT I

COLLIGUNTUR PRÆCIPUI JURIS TEXTUS IN HAC RE ATTENDENDI, ET PRÆNOTATUR QUID IMMOBILIUM ET MOBILIUM PRETIOSORUM NOMINE INTELLIGI SOLEAT.

I. Extravagans AMBITIOSÆ. — Anno 1468 Paulus Papa II decrevit in hunc modum : « Ambitiosæ cupiditati, illorum « præcipue qui... immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata « (ex quibus ecclesiæ, monasteria et pia loca reguntur, illu- « strantur, et eorum ministri sibi alimoniam vindicant) pro- « fanis usibus applicare, aut... usurpare præsumunt, occur- « rere cupientes; omnium rerum et bonorum ecclesiastico-

Digitized by Google

« rum alienationem, omne pactum per quod ipsorum dominium « transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et con- « ductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel « contractum emphyteoticum, præterquam in casibus a jure « permissis.., et cum ecclesiarum evidenti utilitate, ac de « fructibus et bonis quæ servando servari non possunt..., « fieri prohibemus... » (*Ibi insuper annullat Pontifex contractus quos prohibet*)... « pœnam excommunicationis incurrat. »

« Alienanti vero bona ecclesiarum, monasteriorum, loco- « rumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, « aut contra præsentis constitutionis tenorem, si pontificali, « seu abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus ecclesiæ sit « penitus interdictus. Si per sex menses... animo persevera- « verit indurato..., e regimine et administratione suæ eccle- « siæ vel monasterii... sit eo ipso suspensus. » In cæteros alienantes decernit Pontifex pœnam privationis ab officiis, dignitatibus, beneficiis et administrationibus. Habetur decretalis *Ambitiosæ* inter *Extravagantes communes*, lib. 3, tit. 4.

II. Decretum Urbani VIII. — Die 7 septembris 1624 S. Congregatio Concilii, Urbani VIII jussu, decretum edidit tenoris sequentis : « Sacra Congregatio.., speciali Sanctissimi « Domini Nostri jussu, generalibus vel provincialibus capi- « tulis vel congregationibus, abbatibus, generalibus, et qui- « buscunque aliis superioribus regularibus cujusvis ordinis, « congregationis, societatis vel instituti, intra fines Europæ « existentibus, omnium rerum et bonorum immobilium, ac « pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum « per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, « seu vitalitios, hypothecam, locationem et conductionem « ultra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, « præterquam in casibus a jure permissis, fieri perpetuo in- « hibet atque interdicit, absque ipsius Congregationis Concilii « expressa licentia in scriptis et gratis concedenda. » Postea irritum decernitur, quod contra illam prohibitionem fieret. Et præter pœnas a decretali *Ambitiosæ* statutas, decernitur

Digitized by Google

ipso facto incurrenda pœna privationis officiorum, vocis activæ et passivæ, necnon inhabilitatis perpetuæ ad illa obtinenda. Hæc autem statuuntur, non obstantibus *consuetudinibus etiam immemorabilibus*, *privilegiis*, et *ordinationibus Apostolicis* quibuslibet, in favorem quorumcunque *congregationum*, *societatum*, *monasteriorum*, *conventuum*, *collegiorum*, *domorum*, *ac locorum regularium*. Hoc decretum in extenso referunt auctores plurimi. Illud reperies, verbi gratia, apud Cardinalem Petra (tom. 4, in constitutionem 6 Benedicti XII, n. 5), et apud Ferraris (verbo *Alienatio*, art. 4, n. 30).

III. Decretum S. Congregationis Concilii. — 21 martii 1626, prohibuit S. Congregatio ne regulares pecunias mutuo acciperent cum *hypotheca* super bonis suis, aut dato pignore, et solvendo aliquid pro lucro cessante aut damno emergente. Vide illud decretum apud Cardinalem Petra, loco citato n. 25.

IV. Quænam sub immobilium nomine veniant. — « Nomine immobilium veniunt omnia quæ loco moveri non possunt, ut prædia, domus, agri et similia. Et quantum ad præsens, veniunt etiam nomine immobilium servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, et similia..., census et annui redditus.., jura et actiones ad immobilia.., certa summa pecuniæ specialiter destinata ad emptionem immobilium.., vel ad ædificandam ecclesiam. » (Ferraris, verbo *Alienatio*, art. 1, n. 3 et seq.)

V. Quænam veniant sub nomine mobilium pretiosorum. — « Nomine mobilium pretiosorum quæ alianari non possint veniunt quæ sunt de thesauro ecclesiæ, vel quæ propter pretium, artem, raritatem et antiquitatem conferunt ecclesiæ specialem splendorem ; ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum, et similia... Sic etiam nomine mobilium pretiosorum veniunt insignes reliquiæ sanctorum... Item illa mobilia, ex quorum fructibus annui redditus solent percipi, ut grex ovium, armentum boum.. ; non autem eorum

Digitized by Google

« fructus, cum licitum sit alienare arietes, vitulos et hujus-
« modi. » (Ferraris, verbo *Alienatio*, art. 1, n. 7 et seq.)

CAPUT II.

QUOSNAM REGULARES ATTINGAT PROHIBITIO ALIENANDI IMMOBILIA ET MOBILIA PRETIOSA, ABSQUE PONTIFICIO BENEPLACITO.

PROPOSITIO Iª. — *Ordines incapaces possidendi in communi, huic prohibitioni non subjacent quoad alienationem immobilium : bene vero quoad alienationem mobilium pretiosorum, quorum conservatio ipsis non interdicitur.* — Sunt nonnullæ religiones, quæ nequeunt bona immobilia *in communi* possidere. Tales sunt Minores observantes et Capuccini. His autem nihilominus donari possunt et legari bona immobilia : non quidem ita ut bona hæc retinere valeant ; sed in hunc finem ut ea vendant, et redactam inde pecuniam in usus suos consumere valeant. Quod autem ejusmodi religiosi non attingantur dicta prohibitione alienandi immobilia sine beneplacito Apostolico, patet ex ipso hujusce legis fine. Voluit nempe sedes Apostolica ut bona immobilia monasteriorum a regularibus *accurate conservarentur*, et dilapidationi obnoxia non forent. Sed hoc non potuit legislator velle quoad eos ordines, quibus interdicit, ne ulla bona immobilia conservare seu retinere valeant, et quibus e contra injungit, ut sibi data vel legata immobilia, quamprimum commode fieri potest, vendant : ergo eos ordines sub dicta sua prohibitione comprehensos non voluit. Ergo præfati regulares absque ulla licentia Romani Pontificis aut S. Congregationis Concilii bona immobilia, quæ sibi donantur aut legantur, vendere possunt. Et ita tenent canonistæ unanimiter : vide Cardinalem Petra (tom. 4, in const. 6, Benedicti XII, n. 7), Ferraris (voce *Alienatio*, art. 3, n. 5) : et fuit a S. Congregatione Concilii decisum, ut citatis locis videre est. Sub hac categoria censendæ sunt etiam domus pro-

Digitized by Google

fessæ societatis Jesu ; quia et ipsæ incapaces sunt bona immobilia retinendi.

Atvero dictis ordinibus non interdicitur mobilia pretiosa, ecclesiis suis incorporata seu addicta, conservare ac retinere. Proinde, quoad ejusmodi bonorum mobilium alienationem, nulla est ratio cur regulares illi non attingantur generali prohibitione alienandi absque Pontificio beneplacito, fuitque ita pluries a S. Congregatione Concilii declaratum. Verbi gratia, in una *ordinis S. Francisci*, 18 martii 1719 (in *Thesauro resoiut.*, tom. 1, pag. 173, edit. Urbini 1739), sic decisum est : *Quoad mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata esse necessarium beneplacitum Apostolicum quoad vero omnes alias res, in posterum non posse syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia edictorum affixione, et venditio fiat majori oblatori* (vide Cardinalem Petra, tom. 4, in const. 6 Benedicti XII, n. 9).

Propositio IIª. — *Dictæ prohibitioni subjacent omnes religiosorum et monialium ordines, in quibus solemnia vota emittuntur, nisi privilegium in contrarium obtinuerint post Urbani VIII sanctionem.* — Nam in decreto Urbani VIII, prohibitio alienandi immobilia aut mobilia pretiosa sine licentia Apostolica, dirigitur in omnes superiores *regulares* cujuslibet ordinis. Ergo saltem attingit regulares stricte sumptos, id est qui ex instituto per vota *solemnia* professionem emittunt. Et de hoc non est difficultas. Diximus autem, *nisi privilegium post Urbani VIII sanctionem obtinuerint.* Nam privilegia anteriora, utpote a dicto Pontifice sublata, eis non suffragantur. Sed quemadmodum post decretalem *Ambitiosæ*, plerique ordines religiosi (nisi forte dicendum sit omnes) ab obligatione obtinendi Pontificii beneplaciti, pro dictis alienationibus, sese eximi petierant et obtinuerant, ita et post Urbani VIII decretum, multis idem iterum concessum est. Nec mirum : cum enim regulares plerumque haud careant zelo ad conservanda et augenda bona sua, et aliunde necessitas hæc recurrendi Romam pro singulis contractibus alienationem aliquam inducentibus, conventuum temporalem utilitatem multoties non parum impediat, facile

Digitized by Google

perspiciunt Romani Pontifices plus nocumenti quam emolumenti ex lege dimanare ; hincque ab ea exemptionem religiosis ordinibus concedunt. Unde mihi nequaquam probandi videntur illi auctores, qui Romanos Pontifices carpunt, quod in concedenda exemptione a multis legibus, in regulares generaliter latis, faciles sese præstent. Non id temere Pontifices, aut ex importunitatibus (ut dicitur) facere censendi sunt ; sed quia experientia edocti, utiliorem ipsa legis observatione exemptionem agnoverint. Et notatu dignum est, auctores, qui tanto zelo regulares adactos volunt necessitati obtinendæ Apostolicæ licentiæ pro alienationibus, ex ea ratione quod alioquin immineat periculum *ne bona regularium imminuantur*, eosdem esse, qui regulares querelantur, quod in dies ditiores evadant, et nimium multa bona sibi accumulent.

Propositio III^a^. *Dictæ prohibitioni subjacere censendæ sunt etiam moniales, quæ vel nulla vel simplicia duntaxat vota emittunt.* — 1° Quia comprehensæ videntur sub his decreti Urbani VIII verbis, *capitulis vel congregationibus, et quibuscunque regularibus superioribus cujusvis congregationis, societatis vel instituti.* 2° Quia lex attingit generaliter *bona ecclesiastica omnia* et *loca pia,* ut patet ex textu decretalis *Ambitiosæ :* sed bona dictarum monialium, ab ipsis in communi possessa, ecclesiastica sunt ; et etiamsi conventus isti non comprehenderentur sub voce *monasteria,* comprehenderentur saltem sub denominatione *locorum piorum :* ergo. 3° Ita decisum fuisse quoad moniales, quæ Romæ extant in domo *Turri Speculorum* dicta, necnon quoad eas quæ *Convertitæ* nuncupantur, refert Cardinalis Petra (tomo 4, in constit. 6 Benedicti XII, n. 21). Porro ejusmodi moniales vota solemnia non habent. 4° Accedit communis doctorum sententia : citabimus duntaxat laudatum Cardinalem Petram (tomo 5, in constit. 5 Pauli II, sect. 3, n. 21 et seq.) : « Ibidem regulares omnes compre-
« henduntur sub hac prohibitione alienandi... Excipiuntur
« tamen aliqui regulares, qui ex eorum instituto non possunt
« retinere, sed tantum acquirere ad effectum vendendi...

Digitized by Google

« Moniales item subduntur hujus bullæ (*ambitiosæ*) prohi-
« bitioni : est extra difficultatem, cum sint earum monasteria
« loca ecclesiastica, prout conservatoria...

« Cæterum quoad loca, seu communitates quæ subjiciun-
« tur vel non huic constitutioni, seu prohibitioni non alie-
« nandi bona sine beneplacito Apostolico, distinctio est : quod
« si sit *mere locus laicalis*, etsi ibi opera pia exerceantur, et
« proinde dicatur pius, non afficiuntur ejus bona dispositione
« extravagantis Paulinæ : si autem sit locus *auctoritate eccle-*
« *siastica erectus*, quamvis administretur a laicis, tamen bona
« subduntur huic prohibitioni (Barbosa., Cardinalis de Luca.,
« Rota..).

« Unde conservatoria, societates, seminaria, collegia et hu-
« jusmodi, si sint *erecta auctoritate Ordinarii*, et sic *ecclesia-*
« *stica*, subjiciuntur : secus si non sint talia. »

Propositio IVᵃ. — *Sub dicta prohibitione comprehendi censendæ sunt religiosæ virorum congregationes, quæ vel nulla, vel simplicia tantum vota emittunt.* — Constat ex rationibus, quoad moniales votis solemnibus carentes, allatis.

Nota. — Requiri beneplacitum Apostolicum pro alienatione, etiam bonorum pertinentium *ad pia opera mere laicalia*, *nulla auctoritate ecclesiastica erecta* sustinent aliqui (*Thesaurus*, t. 99, index *conclusionum*, verbo *beneplacitum Apost.*)

CAPUT III.

QUOSNAM CONTRACTUS COMPREHENDAT DICTA ALIENANDI PROHIBITIO.

Etsi textus ipse decretalis *ambitiosæ*, necnon aliorum decretorum hac de re editorum, varias alienationum species absque licentia Pontificia illicitas enumeret, in praxi tamen occurrunt casus, de quibus haud facile perspicitur num sub prohibitione comprehendantur. Hinc, pro more canonistarum, exquiremus, 1° quibus in casibus licita sit alienatio absque bene-

Digitized by Google

placito Apostolico ; 2° quibus in casibus necesse sit dictum beneplacitum obtinere.

§ I.

Quænam alienationes fieri possint absque Pontificio benepla cito.

1° Immobilia *modici* valoris alienari possunt absque Pontificia licentia. Nam ante decretalem *Ambitiosæ* alienari poterant de consensu Episcopi : id enim decernebat caput *Terrulas* (causæ 12, quæstionis 2). « Porro S. Congregatio Cardinalium « Tridentini concilii interpretum, die 11 januarii 1596, cen- « suit, neque constitutionem Pauli II, neque concilii Triden- « tini decretum derogasse dispositioni dicti capitis *Terrulas*... « Cum in diœcesi Messanensi essent nonnulla pia legata parvi « redditus, velut domus fere diruta, aut terrulæ quarum fere « nulli erant fructus, petiit Archiepiscopus sibi facultatem « fieri hujusmodi legata alienandi, et in evidentem ecclesiæ « utilitatem convertendi; necnon declarari ad quam usque « quantitatem sibi liceret hujusmodi parva legata absque « beneplacito Apostolico alienare. Die 14 decembris 1613, « S. Congregatio censuit : caput *Terrulas* (12, q. 2) non fuisse « sublatum per extravagantem *Ambitiosæ :* cæterum ad quam « usque quantitatem liceat Episcopo alienare, petendum esse « a jure communi (1). » Hinc apud doctores extra omnem controversiam est, posse alienari immobilia *modici* valoris, absque beneplacito Apostolico.

Quisnam autem censendus sit *modicus valor*, facile non est determinare. Nonnullorum canonistarum sententiam afferemus. Sic habet Ferraris (verbo *Alienatio*, art. 3, n, 3) : « Res « *modici* valoris sunt quæ non æstimantur ultra viginti solidos, « secundum glossam.., et ut censuit S. Congregatio Episco- « porum et regularium, in *una faventina*, 22 maii 1611 ; in « qua, viginti solidos ad scuta 25 aurea ascendere declaravit..

(1) Fagnanus, in caput *Nulli, de rebus Ecclesiæ non alien.*, n. 25.

Digitized by Google

« Et in Barensi, in responsione Archiepiscopo visitanti sacra « limina, die 12 aprilis 1698, dixit : *Non posse Episcopum con-* « *cedere facultatem ultra* 25 *scuta aurea.* 25 scuta aurea con- « stituunt scuta 40 monetæ romanæ. » Ibidem in editione Cassinensi adnotatur, 25 scuta aurea, æquivalere in moneta romana scutis 41 cum fractione. Addo ego 41 scuta monetæ romanæ æquivalere, in moneta hodierna Galliæ, circiter 267 francis.

At multum abest ut hæc summa pro certa regula statui possit. « Sane (inquit Fagnanus, loco. cit., n. 26) cum non sit « jure definitum quæ terrulæ dicantur exigui valoris, id to- « tum judicis arbitrio erit relinquendum... S. Congregatio « Concilii alias dixit, quæ res dicantur exiguæ non esse tu- « tum diffinire.

« Quando autem res dicatur modici valoris (ait Card. de « Luca), variæ sunt opiniones relatæ apud allegatos; quarum « nulla pro meo judicio recipienda videtur; sed est arbitra- « rium, pro ecclesiarum et locorum, ipsorumque bonorum « qualitate, decidendum; cum attenta qualitate unius loci « vel ecclesiæ respective, prædium valoris scutorum 50 re- « putetur magnum et considerabile; attenta vero qualitate « alterius loci vel ecclesiæ dicatur minimum et contempti- « bile, quamvis esset valoris scutorum 100. » (*De alienationibus*, discursu 1, n. 117).

Mihi tamen videntur decisiones a Ferrario allatæ, non quidem pro absoluta, bene tamen pro directiva regula sumi posse. Ponderando nempe, eo tempore quo decisiones istæ emanarunt, pecuniam ipsam relative ad res usuales comparandas multo plus valuisse, quam valet hodie, menti ejusmodi declarationum videretur consonum, si nostris temporibus dicta summa duplicaretur. Juxta quam prudentialem normam existimarem hodie in Gallia pro exiguo haberi posse valorem, qui 500 francos non excedit.

2° Quoad alienandi prohibitionem, æquiparantur immobile et mobile pretiosum. Hinc quod dictum est de *exiguo* valore

Digitized by Google

immobilis, applicandum venit mobili, ad discernendum an sit *pretiosum* necne. Hodie nempe in Gallia pro mobili pretioso mihi non videtur habenda res quæ valorem 500 francorum non excedit. Nec proinde ad eam alienandam necesse est ad sedem Apostolicam recurrere. Id tamen intelligendum venit duntaxat de rebus quarum valor pecunia æstimari potest. Nam

Alia sunt mobilia quæ etsi pretio nullatenus æstimabilia, pretiosa tamen dicuntur, et pro talibus haberi debent. Tales sunt sacræ reliquiæ; pro quarum alienatione requiritur beneplacitum Apostolicum, modo sint reliquiæ insignes. De quo sic Cardinalis Petra (in constit. 5 Pauli II, sect. 2, n. 29, t. 5): « Reliquiæ etiam prohibentur alienari, cum habeantur pro « pretiosis mobilibus, imo pretiosissimis, dummodo non sit « parva reliquia. Hinc S. Congregatio Concilii denegavit li- « centiam abbati generali.. donandi.. reliquiam insignem « S. Pancratii, die 14 januarii 1702. »

Idem esse dicendum de imaginibus sacris, quæ sunt in magna veneratione apud populum, aut alia de causa in magno pretio habentur, decisum a S. Congregatione refert ibidem citatus auctor.

3° Absque dicto beneplacito potest fieri locatio ad triennium; imo et ad novennium, dummodo, elapso quolibet triennio, partibus contrahentibus liberum sit contractum rescindere (vide apud Ferraris, verbum *alienatio*, art. 3, n. 7 et seq.).

4° Item absque Pontificio beneplacito possunt bona dari in emphyteusim, si *solitum sit* ea sic locare (Ferraris, ibid., n. 11).

5° Item absque dicto beneplacito alienari possunt fructus, et bona quæ servando servari non possunt; id est, res quæ non durant triennio et usu consumuntur (Ferraris, ibid., n. 14).

6° Item alienari possunt absque dicto beneplacito immobilia et mobilia pretiosa, si instet necessitas, et Papa de facili

Digitized by Google

adiri nequeat : verbi gratia, si fames regionem invaserit, nec valeat aliter pauperibus vita sustentari (ibid., n. 16).

7° An pecuniæ sint quandoque de iis rebus quæ alienari nequeunt absque beneplacito Apostolico ? — Cardinalis de Luca (*de Alienationibus*, discursu 1, n. 19) dicit, verificari casum quo pecunia sine beneplacito Apostolico alienari nequeat, *in ea pecunia, quæ provenit ab alienatione* (*voluntaria seu necessaria*) *stabilium, vel censuum, aut locorum montium ; sive in ea quæ data vel relicta est cum onere perpetuo missarum, vel pro alia fundatione ; ideoque destinata est emptioni bonorum stabilium ; atque interim sub custodia tanquam inalienabilis retinetur*. Paulo post, n. 20, tradit idem auctor, pecunias quæ collocantur in administrationibus guberniorum, ad habendum redditum annuum, non esse de iis bonis pro quorum alienatione requiratur licentia Pontificia.

Atque idem mihi dicendum videtur de pecuniis, quas hodie religiosæ communitates collocatas habent in administrationibus viarum ferrearum, et similibus. Neque enim istæ pecuniæ, sicut nec æquivalentes tituli (qui pro pecunia haberi possunt cum monetæ vices agant, vel saltem pro arbitrio in pecuniam iterum mutari valeant) dici possunt comprehendi sub denominatione boni *immobilis* aut *mobilis pretiosi*.

Unde generatim dici potest sub dicta necessitate obtinendi Apostolici beneplaciti non comprehendi pecunias.

Ab ista autem regula generali excipiendi sunt casus a Cardinali de Luca indicati. Nempe *primo*, si Apostolica sedes concesserit alicujus immobilis alienationem, cum ea conditione ut aliud immobile emeretur, nequit pecunia ex venditione redacta ad aliud quam ad alterius immobilis emptionem expendi, absque nova licentia Apostolica. *Secundo*, si pecunia data aut relicta fuerit cum perpetuo missarum onere, pariter investienda est in aliquo bono immobili, nec potest in aliud expendi sine assensu sedis Apostolicæ. *Tertio*, idem dicendum si data fuerit ad emendum immobile. *Quarto*, census perpetuus non est proprie pecunia, sed jus perpetuum ad percipien-

Digitized by Google

dam annuam pecuniæ summam; et ideo jus illud perpetuum sub boni immobilis denominatione merito comprehenditur. Sed, ut diximus, si jus ad annuum redditum proveniat ex pecunia in administrationibus guberniorum (à la banque de l'État) aut aliis similibus collocata, cum pecunia illa sic collocata possit pro arbitrio retrahi (sive directe reddendo titulum et accipiendo ab iis administrationibus correspondentem summam; sive indirecte vendendo titulum, seu illum mutando in pecuniam apud eos qui semper præsto sunt id facere, accepta retributione modica), haud adest casus *census perpetui;* sed poterit pecunia dicto modo collocata retrahi et expendi absque ullo ad sedem Apostolicam recursu.

§ II.

Quænam alienationes fieri nequeant absque Pontificio beneplacito.

1° Quod nequeant absque beneplacito Apostolico alienari immobilia, valoris plus quam modici, et mobile pretiosum, patet ex ipso decretorum textu.

2° An possit prælatus regularis absque dicto beneplacito repudiare legata monasterio facta, disputatur; sed probabilius nequit (Ferraris, verbo *Alienatio*, art. 4, n. 5).

3° Sine beneplacito Pontificio alienari nequeunt jura perpetua. Hinc, verbi gratia, consentire nequeunt regulares, absque dicto beneplacito, ut servitus aliqua bonis monasterii imponatur: nec servitutem activam quam habent dimittere (ibid., 11).

4° Sine beneplacito Apostolico nequeunt religiosi cædere et vendere arbores, quæ modicum valorem excedunt, et quarum sublatione fundi valor notabiliter imminuitur: secus si fundus inde non deterioretur (ibid., n. 15).

5° Sine dicto beneplacito fieri nequeunt locationes ad longum tempus, ut dictum est superiori paragrapho, n. 3.

6° Item sine dicto beneplacito alienari nequeunt annui census (vide apud Ferraris, loc. cit., n. 21).

Digitized by Google

7° Neque pecunia collocata in montibus pietatis (ibid., n. 25).

8° Quoad pecuniam collocatam in administrationibus guberniorum et similibus, vide dicta superiori paragrapho.

9° Etiamsi bona legata monasterio fuerint, cum ea conditione ut valeant regulares de iis absque beneplacito Apostolico prout libuerit disponere, atque ea alienare, nihilominus ad alienationem requiritur Pontificia licentia. Ita decisum vide apud Ferraris (verbo *Alienatio*, art. 4, n. 26).

10° Nequeunt regulares, absque dicto beneplacito, hypothecare bona sua, hypotheca *speciali* : possunt autem hypotheca *generali*, id est omnia generatim bona monasterii respiciente. Vide id discussum a Cardinali Petra (tom. 4, in const. 6 Benedicti XII, n. 28). Vi autem hypothecæ *generalis*, non poterit creditor, ad sibi satisfaciendum, cogere ad subhastationem bonorum monasterii, cum alienari nequeant absque Pontifico beneplacitio, sed tantum agere poterit ut sibi solvatur de fructibus eorumdem bonorum, et præferendus erit creditoribus chirographariis.

11° Necessarium est beneplacitum Apostolicum ad alienandam pecuniam, quæ relicta fuisset monasterio *ad emendum immobile, vel mobile pretiosum* (Ferraris, verbo *Alienatio*, art. 4 n. 41).

12° Necessarium item dictum beneplacitum pro alienatione ad extinguenda debita. Quamvis enim licita sit alienatio in casu necessitatis, et tunc adsit necessitas, non tamen jus concedit ut prætermittantur præscriptæ solemnitates ; quarum præcipua est Apostolicum beneplacitum (Ferraris, loco cit., n. 42).

13° An sine dicto beneplacito fieri possint alienationes inter monasteria seu conventus ejusdem ordinis ? — « Inter mo-« nasteria ejusdem ordinis, jure societatis universitatem con-« stituentia, ac eumdem prælatum regularem habentia, eas « validas esse sine assensu Apostolico censet Cardinalis de « Luca (*de Regularibus*, discursu 32, n. 16), ad differentiam

Digitized by Google

« monasteriorum quæ cum proprio prælato, de per se inde-
« pendenter ab aliis reguntur.

« Verum contrarium est verius et communiter receptum...
« Ita ad instantiam procuratoris generalis ordinis Prædicato-
« rum declaravit Sacra Congregatio Concilii (in una *regula-*
« *rium alienationis*); in qua proposito dubio: *an alienationes,*
« *de quibus agitur in decreto de rebus regularium non alienan-*
« *dis, quatenus inter monasteria ejusdem ordinis, et quidem cum*
« *utriusque contrahentis monasterii utilitate, fiant, ita prohi-*
« *bitæ et interdictæ censeantur, ut absque Sacræ Congregationis*
« *licentia perfici non possint*: sub die 27 februarii 1666 respon-
« dit: *Ita esse prohibita.* Quam declarationem Sanctissimus pro-
« bavit, ut habetur tomo 25 *decretorum*, pagina 50, a tergo...
« Conventus enim regularium, quamvis sint ejusdem ordinis,
« sunt tamen inter se collegia distincta, ac præsertim quoad
« administrationem bonorum omnino independentia; adeo
« ut prælatus regularis non possit redditus exuberantes
« unius monasterii convertere in solutionem debitorum alte-
« rius monasterii indigentis, ut respondit S. Congregatio (in
« una *congregationis Montis Oliveti* 27 julii 1647, tomo 18 *de-*
« *cretorum*, pag. 376), ibi: *Sacra Congregatio... censuit non*
« *esse concedendam facultatem convertendi, ut inquit, gli avanzi*
« *de frutti de monasteri ricchi e ben governati in solutionem de-*
« *bitorum, quæ ab aliis monasteriis solvi debent.* » (Cardinalis
Petra, tom. 4, in constit. 6 Benedicti XII, n. 33 et seq.)

In ordinibus religiosis, quorum conventus omnes sub generali prælato unicum sociale corpus constituunt, solet ex superfluis singularum domorum redditibus fieri massa communis, ad totam societatem pertinens; ita disponentibus approbatis ordinis constitutionibus. Quod autem ex ista communi massa subveniri possit conventibus indigentibus, absque beneplacito Apostolico, dubium non videtur.

14° « Jura quoque incorporalia, jurisdictionem vel præ-
« eminentiam aliudve jus honorificum concernentia, sub hac
« prohibitione (*nempe alienandi absque assensu Pontificio*) ve-

Digitized by Google

« niunt. » (Cardinalis de Luca, *de Alienationibus*, discursu, n. 18.)

CAPUT IV.

AN ET QUATENUS REGULARES AB ORDINARIO DEPENDEANT, QUOAD BONORUM ALIENATIONES.

I. Non requiritur Ordinarii licentia quando requiritur beneplacitum Apostolicum. Vel enim non obtinetur Apostolicum beneplacitum, et tunc inutilis foret licentia Episcopi; vel obtinetur, et tunc nullius alterius licentia requiritur. Hinc pro alienando immobili cujus valor dici nequeat *modicus*, vel mobili pretioso, nulla necessaria est religiosis communitatibus Episcopi licentia, cum tunc requiratur summi Pontificis assensus.

II. An requiratur licentia Ordinarii pro alienatione boni immobilis valoris *modici?* — 1° Certum est eam requiri saltem quoad communitates religiosas non exemptas. Nam capite *terrulas* (12, q. 2) pro alienando immobili valoris *modici*, inter alia requiritur Episcopi licentia. Aliunde autem jus illud, in capite *terrulas* expressum, nec per decretalem *ambitiosæ*, nec per concilium Tridentinum, nec per ullam aliam dispositionem fuisse sublatum, sed hodiedum perseverare, pluries a S. Congregatione Concilii fuit declaratum. De quo vide Cardinalem de Luca (*de Alienationibus*, discursu 1, n. 16), et Fagnanum (in cap. *Nulli, de rebus Ecclesiæ non alien.*, n. 24 et seq.). — 2° Dixi *saltem quoad communitates non exemptas;* nam ad exemptos regulares quod attinet, num etiam teneantur ad Ordinarium recurrere pro alienando modici valoris immobili, haud adeo clare liquet. Apud Ferraris (verbo *Alienatio*, art. 4, n. 49) auctor additionum, quæ sub rubrica *aliena manu* insertæ sunt, sic asserit : « etiamsi agatur de regularibus « exemptis, assensus alienationibus rerum exigui valoris ne- « quit præstari ab eorum prælato, sed præstandus est ab Epi-

Digitized by Google

« scopo, ut rescripsit S. Congregatio Concilii, in *conversana* « jurisdictionis 8 maii 1751. » In hac causa *conversana* agebatur de quodam monasterio monialium Patribus Carmelitis subjectarum, et pro isto monasterio monialium proponebatur dubium : *an, et a quo sit præstandus assensus alienationi bonorum monasterii, quæ fit vigore canonis* TERRULAS? — Responsum est, *spectare ad Episcopum.* Nescio an ex isto casu particulari inferri possit etiam exempto virorum monasterio necessariam esse licentiam Episcopi, pro alienando immobili valoris modici. Tamburinus (tom. 3, disput. 13, quæst. 5) citat canonistam, qui ab obligatione petendæ licentiæ Episcopi, pro alienationibus, excipit *monasteria privilegiata, quæ Episcopo non subsunt.* Cæterum si prælatus regularis sit *nullius,* seu habeat jurisdictionem quasi episcopalem, haud requiri dictam licentiam Ordinarii, dubium non est, et concedit citatus additor ad Ferrarium.

III. An regulares ab Ordinario dependeant pro alienandis aut consumendis rebus, quæ sub bonorum *immobilium* aut mobilium *pretiosorum* denominatione non comprehenduntur, in sequenti subsectione expenditur.

CAPUT V.

QUANDO REQUIRITUR BENEPLACITUM APOSTOLICUM, AN ALIÆ SIMUL REQUIRANTUR CONDITIONES AUT FORMALITATES AD LEGITIMAM ALIENATIONEM.

« Quamvis per sacros canones, in tertio et sexto libro « decretalium, sub titulo *de Rebus ecclesiæ non alienandis,* « ac etiam per quamplura Apostolica et conciliaria decreta, « diversæ solemnitates in alienationibus bonorum Ecclesiæ « præscriptæ sint, atque super eis adhibendis antiquiores « canonistæ nimium laboraverint; postquam tamen desuper « prodiit constitutio Pauli II, quæ incipit *ambitiosæ,* per « quam prohibitum est dictas alienationes fieri sine Apostolico

Digitized by Google

« beneplacito..., inanis quodammodo remanere videtur di-
« ctorum canonum ac decretorum dispositio, sive labor anti-
« quiorum canonistarum.. ; quoniam, Apostolico beneplacito,
« ad præfatæ extravagantis præscriptum accedente, aliæ
« solemnitates necessariæ non sunt ; adeo ut (excepta *causa*,
« quam non supplet, ut infra) alias omnes suppleat (Rota..
« frequenter ; cum sit conclusio hodie nimium recepta...)

« Proinde dictæ solemnitates a jure communi requisitæ,
« sive quæstiones desuper a canonistis disputatæ, deservire
« solum hodie videntur pro illis alienationibus et contra-
« ctibus, qui sub præfatæ extravagantis dispositione non ca-
« dant...

« Est in foro extra controversiam receptum, ut benepla-
« citum Apostolicum dictam causam *necessitatis vel evidentis*
« *utilitatis* non suppleat... Ideoque firmum ac certum in foro
« principium est, in hujusmodi alienatione duo copulative
« requiri, neque unum sine altero sufficere : causam scilicet
« necessitatis, vel evidentis utilitatis, et solemnitatem in dicto
« beneplacito Apostolico. » Sunt verba præclarissimi Cardi-
nalis de Luca (*de Alienationibus*, discursu 1, n. 1 et seq.).
Quibus præmissis proposita quæstio solvenda videtur in hunc
modum ;

Propositio Iª. — *Pro alienando immobili valoris plusquam modici, necnon mobili pretioso requiritur causa necessitatis aut evidentis utilitatis, et beneplacitum Apostolicum : at nihil aliud requiritur.* 1° Quod requiratur beneplacitum Apostolicum patet ex ipso textu decretalis *ambitiosæ*, et decreti Urbani VIII, necnon ex aliis supra deductis. Excipiendæ tamen, quoad immobilia, communitates quæ incapaces sunt ea retinendi, ut supra dictum est.

2° Simul requiri *causam necessitatis aut evidentis utilitatis*, sequitur ex eo quod, ante decretalem *ambitiosæ*, causa hæc requireretur, et jus quoad hoc nequaquam correctum fuerit. Neque enim ex natura sua beneplacitum Apostolicum hanc conditionem supplet : nam Papa nequaquam censendus est

Digitized by Google

beneplacitum dare extra casum necessitatis aut utilitatis; quia id foret de se pravum et Ecclesiæ nocivum. Imo in formula beneplaciti expresse exigi solet conditio hæc, ut nempe adsit necessitas aut evidens utilitas. Sed etiamsi non exprimeretur, esset nihilominus subaudienda. Unde certum omnino est ad valorem et liceitatem dictæ alienationis requiri dictam causam, « sine qua (ait Card. de Luca, loco cit., n. 45), so-« lemnitas beneplaciti Apostolici nihil prodest, cum absque « dubio istud causam non suppleat. »

3° Nullas alias requiri conditiones et solemnitates, sequitur ex ipsa vi beneplaciti Apostolici. Hoc ipso enim quod Papa bonum ecclesiasticum alienandi facultatem concedat, valide et licite bonum illud alienari potest : posito autem beneplacito Apostolico, Papa dictam facultatem concedit. Et quamvis non censendus sit concedere, nisi sub conditione quod adsit utilitas (quia alioquin noxia Ecclesiæ foret voluntas Papæ, quod supponi non debet), censendus tamen est concedere independenter a quibuslibet aliis conditionibus; quia, posita utilitate, alienatio, etiam neglectis cæteris omnibus formalitatibus effecta, de se bona est, ac proinde Pontifex illam concedens, non censendus est concedere cum obligatione adhibendi ullam aliam formalitatem, nisi id exprimat. Ergo concurrentibus utilitate et beneplacito Apostolico, nihil aliud requiritur. Estque id extra omnem controversiam, et tribunalium Romanorum praxi canonizatum, prout tradit Cardinalis de Luca.

Propositio IIa. — *Utilitas requisita, adesse censenda est, quando ex alienatione certo resultat majus lucrum quam ex non alienatione.* — Nam *utilis* dici nequit alienatio, nisi monasterio magis proficua sit quam non alienatio, ut per se patet. Ut autem sit *evidens*, ad terminos textuum juris, requiritur et sufficit ut sit *certa*, id est, non dubia : nempe requiritur et sufficit ut *certum sit*, plus prodesse monasterio alienationem, quam non alienationem. Patet ex genuino sensu vocis *evidens*, et ex eo quod, si plus requireretur quam certitudo, seu exclusio dubii, ob difficultatem in praxi ejusmodi nescio quam eviden-

Digitized by Google

tiam, certitudine majorem, probandi, lex utilis non foret. Unde unanimiter et apud doctores, et forensi praxi recipitur, sufficere, ut certum sit plus lucrari monasterium, attentis omnibus circumstantiis, ex alienatione, quam ex non alienatione. « Debet (inquit Card. de Luca, loco cit., n. 46) esse « utilitas certa.. ; adeo ut ecclesia plus percipiat alienando quam « retinendo ; unde non sufficit quod non sit in damno, nisi lu- « crum percipiat. »

Propositio IIIª. — *Utilitas requisita intelligenda est relative ad tempus in quo fit alienatio, non autem relative ad tempus subsequens ?* — Contingere potest ut alienatio quæ certo utilis merito existimata est, tempore quo fuit peracta, postea supervenientibus inexpectatis circumstantiis , reperiatur fuisse damnosa. Porro non requiritur certam adesse utilitatem relative ad hanc possibilem circumstantiarum mutationem; sed sufficit utilitatem hanc certo existere relative ad circumstantias prout existunt quando fit alienatio. Alioquin enim fere nunquam licitæ forent alienationes, cum fere semper absolute possibilis sit aliqua in circumstantiis haud prævisa mutatio, quæ alienationem minus proficuam reddat. Proinde lex in damnum cederet. Unde recepta doctrina est, utilitatem hanc requisitam intelligendam esse relative ad circumstantias, tempore alienationis existentes. Vide Cardinalem de Luca (*de Alienationibus*, discursu 1, n. 46).

CAPUT VI.

AN LEX PONTIFICIAM LICENTIAM REQUIRENS PRO ALIENATIONIBUS, VI CONTRARIÆ CONSUETUDINIS, EXTRA ITALIAM VIGERE DESIERIT ?

Propositio Iª. — *Dicta lex, obligans ad obtinendum beneplacitum Apostolicum pro alienationibus, non talis videtur contra quam nulla contraria consuetudo legitime præscribere queat.* — Equidem oppositum defendere videtur Cardinalis Petra (in

Digitized by Google

const. 5 Pauli II, sect. 3, n. 37, tomo 5): « Neque aliqua « consuetudo, inquit, in contrarium potest suffragari, quin « requiratur dictum beneplacitum Apostolicum requisitum « in hac bulla Paulina. » Sed rationes ab Eminentissimo scriptore allatæ non omnino convincunt. Allegat nempe, decretalem *ambitiosæ*, cum subsecutis constitutionibus eam confirmantibus, esse legem universalem; atque aliunde muniri clausula quibuslibet consuetudinibus deroganti. Sed, prout in tractatu *de Principiis* diximus, nulla est lex ecclesiastica, quacunque clausularum formula muniatur, contra quam prævalere nequeat contraria consuetudo, si huic consuetudini Papa consentiat. Consentire autem merito censetur quando (per tempus a jure quoad id determinatum) videns legem non servari, silet, cum posset reclamare sine notabili incommodo. Unde si probari posset alicubi a sufficienti tempore vigere consuetudinem bona ecclesiastica sine Pontificio beneplacito alienandi, non tantum sciente et non reclamante Papa, sed (quod diversum est) *silente, cum posset reclamare sine incommodo*, non video cur consuetudo hæc pro legitima non haberetur.

Adducit insuper Cardinalis Petra valde notabilem decisionem pro diœcesi Mediolanensi emanatam. Prætendebatur nempe ibi viguisse consuetudo contraria ab ipso etiam tempore, quo lata est decretalis *ambitiosæ*. « Imo adducebatur « quod tempore divi Caroli Borromæi Mediolanensis Antisti- « tis, cum fuisset talis non usus expositus Papæ, iste annuisset « pro servatione soliti.... Tamen postulante itidem Archie- « piscopo Mediolani, S. Congregatio infra scriptas ei litteras « dedit: *Dubio... proposito, an ex allegato non usu sive contra- « ria consuetudine.., fieri liceat alienationes, locationes ad « longum tempus, aliasque concessiones bonorum ecclesiasti- « corum et locorum piorum, non obtento prius sedis Aposto- « licæ beneplacito, a constitutione...* AMBITIOSÆ, *aliisque cons- « titutionibus illius confirmatoriis requisito, Eminentissimi « Patres... unanimi consensu responderunt: nullo modo licere.*

Digitized by Google

« *Ideoque Amplitudini tuæ demandandum, prout præcise his* « *demandatur, ut pro sua pietate, et erga sedem Apostolicam* « *reverentia, ac pro salute animarum, et validitate alienatio-* « *num, locationum aliarumque concessionum, id sedulo in fu-* « *turum exequatur, et exequi omnino curet, et in præteritis* « *consulatur propriæ conscientiæ. Romæ... novembris* 1655. »

Ad illud documentum responderi potest, inde probari duntaxat dictæ diœcesis consuetudinem non habuisse requisitas conditiones : sive quod in facto non satis de ipsa constiterit; sive quod, ob circumstantias, silentium Papæ immerito pro consensu habitum fuerit.

Propositio IIª. — *Extra Italiam videtur revera legitime præscripsisse consuetudo alienationes faciendi absque licentia Apostolica?* — Rationes, quæ in gratiam hujus opinionis afferri possunt, scite ac clare nuper deduxit theologus quidam, hac de re sententiam rogatus. Cujus verba, prout ad me transmissa sunt, hic subjicienda duxi :

« Extrait d'une lettre d'un religieux de Rome ex-profes- « seur de théologie. Juin 1856. — Vous me priez de vous « dire ce que je pense de cette question : Les religieux en « France peuvent-ils, dans le besoin, faire des emprunts « gratuits ou non, avec hypothèque sur leur immeuble, sans « recours à Rome, ou bien ce recours à Rome est-il absolu- « ment obligatoire ?

« A s'en tenir au décret d'Urbain VIII de 1624 et à la dé- « cision qui fut ajoutée, avec approbation Papale, par la « S. Congrégation en 1626, le recours à Rome est absolu- « ment requis pour l'emprunt avec hypothèque. Personne « ne peut révoquer en doute l'obligation du décret d'Ur- « bain VIII : donc tous les religieux doivent s'y conformer « dans toute l'Europe, à moins que la loi n'ait été abrogée.

« Tout le monde convient que le décret d'Urbain VIII n'a « pas été abrogé par une loi contraire : maintenant encore « il est en pleine exécution en Italie et îles adjacentes. Reste « donc la coutume. Le fait de la coutume abrogatoire du dé-

Digitized by Google

« cret d'Urbain VIII existe-t-il? Ce fait est-il revêtu de tous « les caractères d'une coutume légitime?

« Quant à l'existence de la coutume contraire au décret « d'Urbain VIII, hors de l'Italie, on ne peut pas, je pense, la « révoquer en doute. En 1716, les procureurs généraux des « Dominicains, des Augustins, des Conventuels, des Carmes, « des Servites et des Jésuites firent des recherches exactes « sur ce fait de la coutume, et tous déclarèrent que souvent « ils avaient fait des demandes d'aliénation pour l'Italie et « îles adjacentes, jamais ni eux, ni leurs prédécesseurs, « comme leurs archives le prouvaient, pour les pays au delà « des monts. De plus, le procureur-général des Servites « ajouta qu'il avait dans ses archives les registres des déci- « sions de la S. Congrégation, et que, les ayant compulsés « avec soin, il n'avait trouvé aucune demande d'aliénation « faite ou accordée pour les pays hors d'Italie depuis un « siècle. Seuls, les procureurs des Carmes déchaussés et des « Jésuites pouvaient citer quelques cas rares et isolés de de- « mandes semblables faites pour les pays au delà des monts. « On sait que toutes les demandes de ce genre de la part « des religieux se font par les procureurs-généraux. Eux « donc mieux que tous les autres sont compétents pour con- « stater le fait de la coutume. Il résulte de là, ce semble, « qu'en 1716, ce fait de la coutume était incontestable. Peut- « on dire que depuis cette époque les réguliers hors d'Italie « aient abandonné cet usage pour revenir à la stricte obser- « vation du texte de la loi d'Urbain VIII? Je ne pense pas: « tout au contraire, ce fait de la désuétude se sera fortifié « par un usage continué pendant 140 ans depuis 1716. J'ai « cherché dans la nouvelle édition de Ferraris, commencée « ces dernières années au Mont-Cassin : j'y ai vu plusieurs « concessions pour les réguliers d'Italie, depuis cent ans et « même ces dernières années, aucune pour les pays au delà « des monts.

« Reste donc à voir si ce fait a les qualités requises par le

Digitized by Google

« droit canon, tit. *de Consuetudine*, pour abroger la loi. Ces « conditions sont, ut consuetudo sit *rationabilis*, *legitime præ-* « *scripta*, et ut adsit *consensus principis*. Eh bien, il semble que « ces trois conditions se trouvent ici : 1° cette coutume est « *rationabilis*. Une coutume est censée raisonnable, quand « elle ne contient rien qui soit contre le droit naturel ou « divin, rien qui soit de nature à énerver la discipline ecclé- « siastique. Une coutume est certainement raisonnable quand « elle permet des actes qu'avaient permis des priviléges Pon- « tificaux très-authentiques et très-fondés en raison. Mais « les Papes ont accordé à différents ordres religieux, à plu- « sieurs reprises, le privilége d'aliéner sans recourir au « Saint-Siége, parce que, *sæpe contingit ut conditio semel* « *oblata*, *si prætermittatur*, *non parvam affert jacturam*, dit « Grégoire XIII, accordant ce privilége au général de la Compa- « gnie de Jésus. Eh bien, si au XVIe siècle, la demande à « Rome pouvait faire perdre une bonne occasion et causer « une perte considérable, *a fortiori* de nos jours, où les af- « faires se font à la vapeur : donc *a fortiori*, de nos jours, « cette coutume est raisonnable : 2° elle est *legitime præ-* « *scripta*. Le temps requis pour la prescription est dix ans « selon les uns, quarante ans selon les plus rigoureux. Dans « le cas présent, on avait, en 1716, une prescription au moins « de quarante-huit ans ; aujourd'hui elle va donc à cent qua- « tre-vingt-huit ans. Donc le temps requis ne manque pas. « La bonne foi ne fait pas défaut non plus dans les religieux « qui ont agi ou qui agissent encore selon cette coutume, « car ils ignoraient la loi ou ils pensaient avec fondement « qu'il y avait *consensus principis* : c'est la troisième condi- « tion : 3° consentement du prince. Evidemment il est requis, « car lui seul peut abroger la loi que lui seul a pu établir. « Mais ce consentement requis n'est pas un *consentement for-* « *mel* et exprès, autrement la coutume n'aurait aucun besoin « de la prescription pour s'établir. Le consentement *général* « et *juridique* suffit, de l'aveu de tous les docteurs. Or, dans

Digitized by Google

« le cas présent : 1° La S. Congrégation, organe du Souve-
« rain Pontife, ne pouvait pas supposer que les réguliers
« hors d'Italie, pendant si longtemps ne faisaient aucune alié-
« nation, et elle voyait qu'ils ne recouraient pas au Saint-
« Siége; elle savait donc que le décret d'Urbain VIII était
« tombé en désuétude hors de l'Italie. Si le législateur n'a-
« vait pas légitimé par son consentement tacite cet usage,
« alors la S. Congrégation était tenue *in conscientia* de récla-
« mer contre tant de péchés commis par les religieux alié-
« nants; elle y était tenue en conscience, car elle le pouvait
« faire sans aucun inconvénient; rien à craindre pour elle ou
« pour Rome de la part des réguliers. Il me paraît donc évi-
« dent que nous avons le consentement suffisant du prince,
« et que cette coutume est vraiment légitime, et qu'on peut
« la suivre en toute sécurité, comme le font les religieux de
« tous ou presque tous les ordres en Espagne, en France,
« Belgique, Hollande, Angleterre, Allemagne. »

Propositio IIIª. — *Secluso etiam titulo dictæ consuetudinis, videtur hodie extra Italiam frequenter licitas esse alienationes absque licentia Apostolica.* — Si enim in remotis regionibus tenerentur regulares Romam recurrere pro quibuslibet contractibus, alienationem aliquam involventibus, dubium non est quin frequenter notabile damnum paterentur. Hodiernis quippe temporibus valde celeriter et discrete negotia hæc, data opportuna occasione, expediri debent, ne *conditio* (ut verbis Gregorii XIII supra citatis utamur) *semel oblata, si prætermittatur, non parvam afferat jacturam.* Recursus autem ad S. Congregationem notabiles, ut notum est, moras trahere solet. Aliunde autem omnino certum est, legem ecclesiasticam non obligare cum gravi incommodo. Cum ergo ad dictam obtinendam licentiam regulares non teneantur, nisi ex mera ecclesiastica lege, quoties hujusce legis observatio notabile detrimentum traheret, non est cur ab ea soluti censendi non sint.

Ex quo etiam facile intelligitur, quomodo extra Italiam in-

Digitized by Google

ducta sit dicta consuetudo, alienationes absque licentia Apostolica peragendi, non obstante legis id prohibentis rigore. Cum nempe frequens rediret casus, cui merito applicandum videbatur axioma : *Lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo*, autumandum est frequentiorem illam praxim ad rariores etiam alios casus paulatim extensam fuisse, et in generalem agendi normam transisse.

Nota. — Etsi exposita sub præsenti capite doctrina sat solidis rationibus mihi fundata videatur, cum tamen de re adeo gravi agatur, necnon ob Cardinalis Petra, aliorumque primi subsellii doctorum, qui dictam consuetudinem pro legitima non habent, auctoritatem, nolim omnino fidat lector præmissis tribus conclusionibus, nisi assentire doctiores, et Romæ præsertim tutam censeri hancce opinionem, compertum habuerit.

Objicies. — In constitutionibus sororum *ab Immaculata Conceptione* nuncupatarum (parte 1, const. 2, art. 7) sic disponitur : *Lorsqu'il s'agira d'aliéner ou d'échanger des biens immeubles de l'institut, si la valeur du capital s'élève à dix mille francs, la supérieure générale aura recours à la S. Congrégation pour obtenir l'approbation Apostolique.* Atque ibidem, art. 15, subjungitur : *Pour une valeur inférieure à dix mille francs, il suffira de l'approbation de l'Evêque comme délégué du Saint-Siége.* Verba hæc in recentibus dictis constitutionibus a S. Congregatione *Propagandæ* apposita, haud obscure innuunt, a præfatæ S. Congregationis Eminentissimis Patribus tanquam adhuc in Gallia vigentem habitam fuisse prohibitionem, de non alienandis bonis absque obtenta Pontificia facultate. — *Respondeo*, id ex dictis verbis rigorose non sequi. Etiamsi enim prædictam Galliæ consuetudinem satis tutam S. Congregatio *Propagandæ* existimaverit, potuit nihilominus, peculiaribus de causis, quoad illam monialium congregationem, rem aliter dispositam malle.

Digitized by Google

SUBSECTIO III

DE CÆTERIS ADMINISTRATIONIS ACTIBUS, PRÆTER IMMOBILIUM ET MOBILIUM PRETIOSORUM ALIENATIONEM.

Præsentis subsectionis scopus præcipuus est determinare, an et quatenus, in dicta reliqua temporali administratione, regulares Ordinarii assensu indigeant, ipsive rationem reddere teneantur. Et quia in hoc aliud de religiosorum et aliud de monialium communitatibus concludendum est, de utrisque sejunctim agemus.

CAPUT I

EXPENDITUR QUÆSTIO QUOAD VIRORUM RELIGIOSAS COMMUNITATES.

PROPOSITIO Iª. — *Auctoritate Apostolica decisum est Oratorianos, quamvis nequaquam exemptos, non dependere ab Ordinario pro bonorum suorum temporalium administratione.* — Inter Limanum Archiepiscopum et presbyteros Oratorii sancti Philippi Nerii orta erat disceptatio. Ad causam dirimendam deputata fuit particularis Cardinalium Congregatio. Propositisque, inter alia, hisce dubiis : 1° *An congregatio sit omnimode subjecta Reverendissimo Archiepiscopo, in modo, forma, assumptis et materiis.. ?° 4 An interiores œconomiæ congregationis, quoad expensas, et computa, necnon electiones præpositorum, nominationes, admissiones et expulsiones presbyterorum, sint subordinatæ directioni Archiepiscopi ?* Responsum est : *Ad primum, affirmative, exceptis ejus instituto, sive iis de quibus loquentur constitutiones congregationis... Ad quartum, negative in omnibus.* Rem narrat, et præfatam decisionem Apostolica auctoritate con-

Digitized by Google

firmat Benedictus XIV, in sua constitutione *Emanavit* 21 januarii 1758 (in appendice 3, ultimi tomi ipsius bullarii).

Propositio IIª. — *Congregationes virorum, etiam non exemptæ, et sive solemnia, sive simplicia, sive nulla in eis vota emittantur, liberam habent bonorum suorum administrationem, excepta immobilium et mobilium pretiosorum alienatione.* — Id ex triplici capite colligimus : nempe

Probatur 1°. — Ex præmissa decisione quoad Oratorianos. — Nam ibi agebatur de congregatione non exempta, imo et votis carente : et nihilominus decisum est, eam non subjacere Episcopi loci jurisdictioni, quoad interiores congregationis œconomias, expensas et computa. Ergo id verum erit de qualibet similis conditionis virorum congregatione, id est de congregationibus votis carentibus, prout est, verbi gratia, congregatio presbyterorum Sancti Sulpitii. Ergo a fortiori id verum erit de virorum congregationibus non exemptis quæ vota simplicia habent : et a fortiori de virorum congregationibus non exemptis, in quibus per vota solemnia professio emittitur : et a fortiori tandem de virorum congregationibus exemptis.

Probatur 2°. — Ex supra stabilito principio, quod cuilibet religiosæ communitati competere censenda sit plena et libera bonorum suorum administratio, nisi eam ipsi jus positivum in aliquo restrinxerit. — Nam, excepta immobilium et mobilium pretiosorum alienatione, nulla reperitur juris positivi dispositio quæ virorum communitates Episcopo subjiciat quoad reliquam bonorum suorum administrationem. Et hoc verum est sive agatur de congregationibus vota solemnia habentibus, sive de aliis ; atque a fortiori de exemptis.

Probatur 3°. — Ex praxi. — Quod enim virorum congregationes non soleant de dicta administratione rationem Episcopo, sive visitationem facienti, sive extra visitationem, reddere, praxim esse generalem existimamus.

Digitized by Google

CAPUT II.

EXPENDITUR QUÆSTIO QUOAD RELIGIOSAS MULIERUM COMMUNITATES.

Certum est monialium communitates, quoad facultatem bona sua administrandi, paris conditionis non esse ac communitates virorum. His enim (ut modo probavimus) libera est et independens administratio hæc, exceptis immobilium et mobilium pretiosorum alienationibus. Atvero quoad moniales, tum jure positivo, tum generali consuetudine inductum est, ut præter dictam dependentiam circa alienationes, in cæteris etiam administrativis actibus, ipsarum prælati tanquam tutores intervenire deberent et consensum præstare. Quomodo id intelligendum sit, exponemus 1° quoad moniales exemptas et prælati regularis jurisdictioni subjectas: 2° quoad cæteras moniales solemniter professas: 3° quoad monialium congregationes quæ vel simplicia vel nulla vota emittunt: 4° quoad monialium congregationes pluribus constantes conventibus sub unius generalis superiorissæ regimine constitutis.

§ I.

Expenditur quæstio quod moniales exemptas et regularis prælati jurisdictioni subjectas.

Quæstio I^a^. — *Quid hac de re statuerit Gregorius XV?* — Constitutione sua *Inscrutabili*, 5 februarii 1622, sancivit dictus Pontifex in hunc modum: « Administrantes bona ad... mo-
« nasteria sanctimonialium.., etiam regularibus subjectarum,
« pertinentia, sive regulares extiterint sive sæculares, quomo-
« dolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus
« regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis
« tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis

Digitized by Google

« cogi et compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili « causa, superiores regulares admonere, ut ejusmodi... admi- « nistratores amoveant : iisque superioribus id facere detrectan- « tibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem præ- « dictos... administratores amovendi, quoties et quando opus « esse judicaverit. »

Quæstio IIª. — *Quid juris ex allata Gregorii XV lege sequatur relative ad Episcopum loci?* — 1° « Potest Ordinarius « ex causa rationabili monere prælatos regulares, ut amoveant « ab administrandis bonis monialium eos, qui ad tale munus « deputati sunt : ipsisque prælatis id facere detrectantibus aut « negligentibus, ipsemet Ordinarius amovere potest dictos admi- « nistratores, quoties et quando opus esse judicaverit. » (Pellizarius, *de Monialibus*, editio correcta, Romæ 1761, cap. 10, n. 30, pag. 217.)

2° « Ordinarius singulis annis, adhibitis etiam prælatis re- « gularibus, potest a præfatis administratoribus, tam sæcula- « ribus quam regularibus, exigere rationes administrationis, et « ad id eos compellere juris remediis ; attributa etiam Ordinariis « facultate, ut ii tanquam sedis Apostolicæ delegati possint pu- « nire dictos administratores.., qui forte delinquant circa præ- « fatam administrationem. » (Loco citato.)

3° Notandum, « vigore præfatæ bullæ non concedi locorum « Ordinariis jus designandi aut approbandi dictos administra- « tores, cum de hoc ibi nulla fiat mentio, et alioqui a diversis « non fiat illatio : præsertim quando agitur de præjudicio tertii, « sicut de facto agitur in præsenti casu. Constat autem quod « habere jus amovendi administratores bonorum, ut sic, non est « formaliter habere jus illos eligendi aut approbandi, sed quid « longe diversum. » (Loco cit.)

4° Notandum, « prælatum regularem monialium, qui earum « contractibus interest et consentit, multaque fieri jubet circa « ecclesiam et conventum illarum, non debere ut administrato- « rem sisti coram Episcopo ad rationes reddendas ; cum præla- « tus non sit administrator, sed superior administratores depu-

Digitized by Google

« tans et collega Episcopi quoad rationes reddendas, ut constat « ex verbis illis bullæ Gregorii, *adhibitis etiam superioribus* « *regularibus.* » (Loco citato.)

5° Notandum, « administratores monialium non teneri red- « dere tales rationes sponte, aut ad id se offerre, cum verbum « *reddere* sit relativum verbo petere, ubi aliud lege non ca- « vetur. » (Loco citato.)

6° Notandum, « Episcopum non posse exigere has rationes, « nisi vocato prælato monialium ; idque ex verbis bullæ, *adhi-* « *bitis etiam...* » (Loco citato.)

7° Notandum, « administratores, ubi rationes reddiderunt « Episcopo, teneri eas iterum reddere prælatis regularibus; « cum Episcopi functio non tollat jus ordinarium. » (Loco citato.)

8° Notandum, « prælatos regulares non adstringi ad au- « diendas ejusmodi rationes coram Episcopo; adeoque ad id « non posse ab Episcopo cogi per censuras : nam bulla non « dicit *jussis*, sed *adhibitis* superioribus regularibus; quomodo « dicimus *adhibitis testibus*, quos constat non posse cogi, sed « rogari. » (Loco citato.)

9° Quamvis Episcopus nequeat nisi ex *rationabili causa* exigere ut dicti administratores a prælatis regularibus amoveantur, et, iis prælatis renuentibus, eosdem administratores ipse removere, non tamen tenetur prælatis regularibus dicere *quam ob causam* illos administratores amotos velit. Ita decisum est a S. Congregatione Concilii, in dubiis post bullam *Inscrutabili* impressis (vide Bullarium, edit. Cocquelines, tomo 5, parte 5, pag. 3), ad dubium 12. Vide super causam *Constantiensem*, 31 maii 1770, § *Verum post* et sequentibus (tomo 39 *Thesauri resolut.*), ubi plures hac de re decisiones adducuntur.

Quæstio IIIª. — *Quodnam sit jus prælati regularis in moniales jurisdictioni suæ subjectas, quoad dictam administrationem?* — 1° Seclusa obligatione per consuetudinem inducta, et particularibus ordinum constitutionibus, eæ moniales a præ-

Digitized by Google

lato suo regulari non dependerent in dicta administratione. Nimirum, præter immobilium et mobilium pretiosorum alienationem, cæteros administrationis actus libere exercere possent; nec tenerentur ad obtinendum, pro iis actibus, prælati regularis consensum, nec ad reddendam ei rationem. Et tantum in casu delicti a monialibus in administratione commissi posset prælatus regularis ad correctionem procedere, et ad verificandum delictum exigere ut sibi administrationis ratio redderetur. Nam (ut dictum est supra) per se, et secluso jure positivo contrarium disponente, tota rei temporalis administratio stat penes ipsammet communitatem. Ordinaria autem jurisdictio in moniales hanc administrationem non attingit; quia administratio bonorum temporalium communitatis non pertinet ad potestatem *jurisdictionalem*, sed ad potestatem *dominativam*. Porro potestas dominativa, seu dominium, residet in ipsa communitate, non autem in superiore, quamvis ordinariam in moniales jurisdictionem habente. Quod autem ita teneant doctores, jam supra ostendimus, adducendo Tamburinum et Pellizarium. Hi nempe auctores liberam administrationem tribuunt ipsimet communitati : et postea id restringunt ex solo *consuetudinis* titulo : « Quamquam, ut recte advertit Tamburinus, hodie dicta « administratio non videatur absoluta ac independens ; sed « fere in omnibus monasteriis habens relationem... ad Episco- « pum, aut prælatum monialium in rebus majoris momenti, « cum alias standum sit legitimæ consuetudini, utpote vim le- « gis habenti. » (Tract. *de Monialibus* Pellizarii, editio correcta et ab Indice non prohibita, cap. 10, sect. 2, subs. 2, q. 19, n. 146.)

2° Vi legitimæ consuetudinis, aut ex peculiaribus ordinum statutis, tenentur pleræque moniales ad reddendam administrationis rationem prælato suo regulari : item ad obtinendum ejus consensum in administrativis actibus majoris momenti. Præterea si administratoribus utantur, ad eumdem prælatum pertinet eos eligere, deputare, ac (si opus sit) removere, atque ab eisdem administrationis rationem exigere.

Digitized by Google

Hanc prælati regularis potestatem quoad deputandos vel removendos administratores aperte supponit citata constitutio *Inscrutabili* Gregorii XV. Quod autem ab ejus consensu dependeant moniales pro actibus administrativis majoris momenti, ex dicta consuetudine, quam citatis verbis asserunt Tamburinus et Pellizarius, colligitur.

3° Cum tamen prælatis regularibus monialium dictum jus competat, non ex natura rei, nec ex jure scripto, sed ex quadam consuetudine, cavendum ipsis est, ne jus illud suum nimis urgeant, necessarium consensum suum faciendo in rebus quæ revera *majoris momenti* non sint. Alias bene possent moniales ab onere hujusce consuetudinis, utpote jam non laudabilis, sed in vexationem vergentis, sese subducere.

4° Quod diximus de necessario prælati regularis consensu, ut moniales ipsius jurisdictioni subjectæ possint licite aut valide de bonis monasterii contrahere aut disponere, intelligendum est cum hac limitatione, « si tamen aliud non « ferat consuetudo, aut præscribant peculiaria statuta or- « dinis, quæ omnino servari debent. » (Pellizarius, *de Monialibus*, cap. 10, sect. 2, quæst. 20, editio ab Indice non prohibita.)

5° Ex dictis patet, « provinciales posse se ingerere in ad- « ministrationem bonorum monialium (ipsis subjectarum), « non ex jure *dispositivo et proprietario* (cum ii non sint pars « conventus monialium, apud quem residet proprietas in com- « muni), sed solum ex jure *directivo;* quatenus moniales sub- « duntur provinciali, isque earum curam suscipit. Unde con- « tractus fiunt nomine monasterii ac monialium, non autem « nomine provincialis; sicque moniales ipsæ obligantur, non « item provincialis. » (Pellizarius, loco cit.)

Nota. — Hoc ultimum bene notandum est, quia Ordinario etiam applicandum venit erga conventus ipsi subjectos; et sive in iis conventibus fiant vota solemnia, sive non. Episcopus nempe, aut alius ab ipso in superiorem hisce conventibus deputatus, nullatenus possunt in administrationem tempora-

Digitized by Google

lium bonorum sese ingerere ex jure *dispositivo* et proprietario, sed solum ex jure *directivo*.

Quæstio IVª. — *An pro reliqua domestica directione et gubernio domestico dependeant moniales a prælato suo regulari?* — Respondendum negative, nisi contrarium in ipsarum constitutionibus exprimatur, vel legitima consuetudine fuerit inductum. Semper enim stat generale principium supra firmatum, ad moniales pertinere totalem rei temporalis administrationem, nisi jus positivum eam ipsis quoad aliqua restrinxerit. Porro jus positivum (sive scriptum, sive ex consuetudine inductum) restrinxit quidem hanc monialium administrandi facultatem quoad supra enumerata; sed non quoad alia. Hinc ad superiorissam, et congregationem juxta ordinis constitutiones, pertinet sorores ad varia officia deputare, medicum conventus, necnon architectum eligere, aliaque id genus disponere, absque regularis prælati consensu; nisi (ut diximus) aliter in constitutionibus caveretur, aut consuetudine invaluisset.

§ II.

Expenditur quæstio quoad moniales solemniter professas, quæ regularis prælati jurisdictioni non subsunt.

Prænotanda. — Sunt hæ duplicis generis : vel enim sunt exemptæ sedi Apostolicæ immediate subjectæ, vel subsunt ordinariæ Episcopi jurisdictioni. Inutile est ut quæstio in particulari quoad priores expendatur. Cum enim moniales omnes sedi Apostolicæ immediate subjectas, Tridentina synodus Episcopis, tanquam dictæ sedis delegatis, gubernandas commiserit, idem quoad ipsas currit jus (in præsenti materia) ac si non forent ab episcopali jurisdictione exemptæ. Unde reducitur quæstio ad moniales solemniter professas, quæ jurisdictionali Episcoporum gubernio subduntur. De his autem solvenda videtur quæstio in hunc modum.

1° Per se, et secluso jure per consuetudinem generaliter

Digitized by Google

inducto, etiam moniales non exemptæ, liberam habent rei suæ temporalis administrationem, exceptis immobilium et mobilium pretiosorum alienationibus. Nam ex eo quod ordinariæ Episcopi jurisdictioni subjiciantur, non sequitur eas subjici quoad bonorum suorum administrationem; quia, ut toties diximus, administratio hæc non cadit sub potestatem *jurisdictionalem* (nisi ratione delicti in ea commissi), sed pertinet ad potestatem *dominativam*. Potestas autem dominativa, seu dominium bonorum illorum, penes communitatem residet, non penes Ordinarium. Equidem potuisset sedes Apostolica decernere, ut moniales non exemptæ ab Ordinariis, etiam quoad illam administrationem, dependerent : sed nullam ejusmodi Pontificiam legem noverant Tamburinus et Pellizarius, cum dependentiam hanc monialium, sive ab Ordinario (si exemptæ non sint), sive a prælato regulari (si ipsi subjiciantur), a sola *consuetudine* repetant. Attamen quoad jus Episcopi, rationem administrationis exigendi ab administratoribus monialium, dici potest illud sanciri in constitutione *Inscrutabili*, supra citata. Quum enim ibi hoc jus tribuatur Episcopo etiam in moniales regularibus subjectas, a fortiori tribui censendum est in non exemptas.

2° Ex generali saltem consuetudine, vim legis habente, certum est moniales non exemptas ab Ordinario multipliciter dependere quoad dictam bonorum suorum administrationem. Nempe *primo*, potest Episcopus exigere ut sibi administrationis ratio reddatur : *secundo*, ut pro rebus majoris momenti suus expectetur consensus : *tertio*, si moniales administratoribus utantur, ad ipsum pertinet administratores illos approbare et revocare ; atque ab iisdem exigere ut sibi administrationis rationem reddant. Hæc passim supponunt canonistæ et plurimæ Sacrarum Congregationum decisiones.

3° Si tamen aliquis monialium non exemptarum conventus esset in longa possessione non reddendi rationem administrationis Ordinario, et ejus consensum non requirendi pro ullis dictæ administrationis actibus, non video cur huic consuetu-

Digitized by Google

dini standum non esset. Non enim obstat superioritas Episcopi in has moniales, seu non obstat quod ipsi tanquam Ordinario sint subjectæ. Nam superioritas hæc *jurisdictionalis* est, non dominativa; et administrandi jus ad dominativam pertinet. Nec objiciatur id noxium fore, cum in casu pravæ administrationis, nullum malo remedium afferri posset: nam in casu pravæ administrationis semper præsto est Ordinarii auctoritas ad corrigendum sufficiens; quia *ratione delicti* in administratione commissi, jam episcopali jurisdictioni subjacet ipsa administratio; ita ut nempe possit Episcopus de ea cognoscere, et ut ratio sibi reddatur exigere, necnon debitis pœnis excessus coercere. Atvero extra casum pravæ administrationis, etsi generaliter utilius videatur ut adstringantur moniales ad reddendam Episcopo administrationis rationem, et expectandum in rebus gravioribus ipsius consensum, non tamen per se et absolute pravum est, si ad id non teneantur, et liberam servent bonorum suorum gestionem; cum dari possint moniales quæ optime rem suam temporalem administrent, absque ullo superiorum suorum interventu.

4° Ex dictis patet quonam se modo gerere debeant, circa dictam materiam, presbyteri illi, quos Episcopi in superiores monialium conventibus deputare solent. Non enim ipsis licet pro libitu consensum denegare iis administrationis actibus, quos moniales peragere volunt: sed ubi nullum secuturum detrimentum perspiciunt, consensum præstare tenentur: quia jus administrandi, etsi ab ipsorum consensu dependens, non tamen ad ipsos pertinet, sed ad moniales. Et læditur jus illud, si absque *rationabili causa* ipsius exercitium præpediatur. Item exigere nequit superior, ut in rebus levioris momenti, verbi gratia in parvis expensis, emptionibusve aut reparationibus et eleemosynis, ipsius expectetur consensus. Quia tunc dependentia hæc, a consuetudine inducta, non in utilitatem cederet, sed in detrimentum; siquidem exosam redderet religiosam vitam, et tyrannidem quamdam saperet. Quod bene notatum vellem ab iis superioribus, qui prohibent ne, absque

Digitized by Google

prævio ipsorum consensu, moniales de summa 50 francorum aut etiam minore disponere valeant. Quod si conventus aliquid in eleemosynas aut pia opera erogare prudenter valeat, non ad superiorem pertinet præscribere in quod pium opus largitio facienda sit; sed liberum monialibus est cui maluerint subvenire, modo revera nihil pravi largitio secum trahat. Et tandem nunquam oblivisci debet, posse se ingerere in bonorum monialium administrationem, non ex jure *dispositivo et proprietario*, sed tantum ex jure *directivo*, ut supra dictum est.

5° Dicta dependentia ab Episcopo non videtur extendenda ad domesticam directionem et gubernium domesticum. Id notatum reperio in *Asculana* (12 mart. 1763, § *Et circa*, *Thesaurus*, tom. 32) in hunc modum : « Domestica directio spiri-« tualis et œconomicum gubernium congregationis..., de jure « spectat, non ad Episcopum, sed ad ipsam congregationem « ejusque caput, etiam seposita quacunque exemptione; ad « tradita per Rotam (in decis. 78, n. 2 et seq., parte 1, diver-« sorum); et in specie de officialibus monialium, quod eli-« gendi sint a superiorissa, seu conventu, juxta constitutiones « ipsarum, non autem ab Episcopo, tenent Gallemart (ad conc. « Trid., sess. 25, c. 2 *de Reg.*, n. 6), et Pasqualigus (in *addit.* « ad de Franchis, *de Controversiis* inter Episcopos et regulares, « tit. *de Offic. monas.*, n. 770). »

Hinc deputatio sororum pro variis explendis officiis, necnon electio medici, architecti, et alia id genus, citra Episcopi consensum libere a conventu fieri posse censenda sunt.

6° In casu præsentis paragraphi, quando nempe moniales regularium jurisdictioni non subjiciuntur, jus non habent regulares contractibus ipsarum interveniendi et assensum interponendi *una cum Episcopo;* sed hoc exclusive ad Episcopum pertinet.

Res discussa fuit in causâ *Fulginatensi* 23 julii 1803, et 20 augusti ejusdem anni (*Thesaurus resol.*, tom. 68). Ibi agebatur de conventu monialium ordinis S. Francisci. Et Patres Franciscani non negabant conventum hunc subjacere ordinariæ

Digitized by Google

Episcopi jurisdictioni. Prætendebant tamen monialium contractibus intervenire debere, una cum Episcopo vel ejus delegato, superiorem Franciscanorum et syndicum Apostolicum. Propositum itaque fuit dubium sequenti modo : « An supe-« rior regularis et syndicus Apostolicus venerabilis monasterii « et monialium Sancti Claudii civitatis Fulginei, ordinis « Sancti Francisci, intervenire valeant, et præstare eorum « consensum in stipulatione contractus sive instrumenti fa-« ciendi a dictis monialibus cumulative cum Episcopo; seu « potius dicti contractus et instrumenta stipulari debeant cum « consensu et interventu privativo dicti Episcopi sive ejus « delegati? » — Responsum est : *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Objicies. — Mediolanensia concilia, sub S. Carolo Borromæo celebrata, majorem quam quæ exposita est potestatem Episcopis tribuunt, in dictam rei temporalis monialium administrationem. — Respondeo id factum fuisse ex peculiaribus facultatibus, quas S. Carolus a Pio IV obtinuerat. De quo vide causam *Mediolanensem*, 12 maii 1736 (tomo 7 *Thesauri resol.*, pag. 253, edit. Romæ 1742).

§ III.

Expenditur quæstio quoad religiosas mulierum communitates, quæ vel simplici duntaxat vel nulla vota habent.

Loquimur de communitatibus auctoritate ecclesiastica erectis, quarum proinde bona, in communi possessa, ecclesiastica sunt; nam mere laicalis feminarum societas, quarum bona in communi possessa nullo titulo Ecclesiæ subjicerentur, independentem procul dubio bonorum illorum administrationem haberet. Sed loquimur de congregationibus illis, quales plurimæ nunc in Gallia exstant, quæ Episcoporum saltem auctoritate institutæ et approbatæ fuerunt, et quæ, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, licite existunt, quamvis nec clausuram, nec vota solemnia habeant.

Digitized by Google

Porro de his idem dicendum venit, circa ipsarum ab Ordinario dependentiam in administrandis bonis suis, quod de monialibus non exemptis superiori paragrapho dictum est. Nempe

1° Et ipsis, per se et seclusa contraria consuetudine vim juris habente, competeret independens et libera bonorum suorum administratio. Nam, juxta generale principium, quod supra cum Suaresio posuimus, quælibet communitas (per se et secluso jure positivo contrarium disponente) jus habet administrandi bona sua. Addit Suarez, eo jure non privari communitatem *ex eo quod religiosa sit*. Ergo nec eodem jure privabitur ex eo quod minus proprie religiosa sit, id est, ex eo quod vota solemnia non emittat.

2° Nihilominus utiliter inducta est generalis consuetudo, jamdudum vim legis habens, ut ejusmodi mulierum communitates teneantur Episcopo administrationis rationem reddere; atque item ut graviora expedire nequeant, absque prævio ejusdem Ordinarii consensu.

3° Nonnullæ ex dictis congregationibus habent expresse injunctam in suis constitutionibus præfatam ab Ordinario dependentiam. Unde et ex hoc capite istæ ab Ordinario dependent, eo modo, qui in ipsarum instituto determinatus est. Sed abstrahendo a particularibus hisce statutis,

4° Generatim dici potest, præfatas fœminarum communitates, eodem modo, quoad bonorum suorum administrationem, ab Ordinario dependere, ac conventus monialium stricte dictarum, et ab ordinaria Episcopi jurisdictione non exemptarum, de quibus actum est superiori paragrapho.

§ IV.

Expenditur quæstio quoad moniales, generali plurium conventuum superiorissæ subjectas (remissive).

Cum ad calcem hujus quintæ partis, *appendice* 2, de hac congregationum monialium forma in particulari disseramus,

Digitized by Google

ad hunc locum præsens quæstio rejicienda visa est. Ibi autem concludimus, stare penes ipsam congregationem, de jure communi, liberam et ab Ordinariis independentem rei temporalis administrationem, quoad illa, *quæ totius congregationis generale regimen respiciunt.*

Digitized by Google

SECTIO V.

DE JURE MONIALIUM, QUOAD VARIA ORDINARIORUM AUCTORITATEM RESPICIENTIA.

Agemus sub hac sectione, 1° de canonica monialium visitatione : 2° de ipsarum confessariis.

CAPUT I.

DE CANONICA MONIALIUM VISITATIONE.

Quæstio Iª. — *Quid intelligatur ejusmodi visitationis nomine?* — « Respondeo, intelligi actum, quo legitimus prælatus « monialium, juxta sacros canones aut constitutiones reli- « gionum, inquirit statum et mores monialium sibi subdi- « tarum, ad effectum debite corrigendi excessus qui forte « deprehendantur, ac opportunis mediis promovendi bonum « ipsarum, tam spirituale quam temporale; idque ex jurisdi- « ctione sibi competente, ad executionem sui pastoralis offi- « cii. » (Pellizarius, *de Monialibus*, pag. 227, editionis non prohibitæ, Romæ 1761.)

Quæstio IIª. — *Ad quosnam prælatos spectet visitationem monialium facere?* — 1° Si moniales non sint exemptæ, potest et debet loci Episcopus, vi ordinariæ jurisdictionis suæ visitationem illam facere. 2° Si moniales sint exemptæ, ac sedi Apostolicæ immediate subjectæ, pertinet visitatio hæc ad loci Episcopum, tanquam sedis Apostolicæ delegatum. 3° Si moniales sint exemptæ, et prælatis regularibus subjectæ, eas visitare possunt et debent regulares ipsarum prælati : at

Digitized by Google

simul, *ratione clausuræ*, id est, circa ea omnia quæ ad clausuræ observantiam spectant, eas visitare potest Ordinarius. Ad prælatos autem ad quos spectat visitare, spectat pariter moniales corrigere et punire, si deliquerint. Hæc extra omnem controversiam sunt. Vide inter alios auctores, Pellizarium, citata pagina ; necnon Clementinam *Attendentes* (2, *de Statu monachorum*).

Quæstio IIIª. — *An dictam visitationem facere possit vicarius generalis Episcopi ?* — 1° Nequit illam facere absque speciali mandato Episcopi. 2° Cum speciali mandato Episcopi potest visitare non exemptas, atque etiam exemptas, sedi Apostolicæ immediate subjectas. 3° Cum simili mandato potest visitare etiam exemptas prælatis regularibus subjectas ; sed duntaxat quoad ea quæ clausuram spectant (confer Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 227, editionis non prohibitæ, Romæ 1761).

Quæstio IVª. — *An dictam visitationem facere possit vicarius capitularis, sede vacante ?* — 1° Potest visitare non exemptas. 2° An possit etiam visitare exemptas, eo modo quo posset Episcopus, negarunt nonnulli ; ex ea ratione quod Episcopus ipse exemptas visitare nequeat, nisi quatenus sedis Apostolicæ *delegatus*, et ad vicarium capitularem non transeat potestas delegata defuncti Episcopi, sed duntaxat potestas ejus *ordinaria*. Sed in contrarium stat communior sententia doctorum : ipsi nempe sustinent jurisdictionem delegatam, quæ *muneri episcopali in perpetuum affixa est* (qualis est ea de qua loquimur) ad capitulum et vicarium capitularem transire (confer Pellizarium, loco citato; necnon Ferraris, v° *Moniales*, art. 3, n. 87).

Quæstio Vª. — *De quibus institui possit aut debeat visitatio?* — Ex dictis duplex distinguenda est monialium visitatio : *partialis*, quæ circa clausuram duntaxat fieri potest ab Episcopo, quando moniales prælatis regularibus sunt subjectæ ; et *totalis*, quæ fit extra hunc casum.

I. *Visitatio partialis seu ad clausuram restringenda*, fieri nequit, ut per se patet, nisi circa ea, quæ legem clausuræ con-

Digitized by Google

cernunt. Hinc in ejusmodi visitatione, potest Episcopus claustra ingredi, et perlustrare januas, crates, rotulos, hortum, murorum septa, cellulas, lecta, et alia hujusmodi, quæ ad rectam clausuræ custodiam relationem aliquam habent : item et de iis interrogare. Abstinere autem debet a cæteris omnibus, clausuram non concernentibus.

II. *Visitatio totalis* seu ad clausuram non restricta, omnia generatim comprehendit, quæ opportuna ad bonum sive spirituale, sive temporale conventus promovendum, visitator existimat. Hinc institui potest, ait Pellizarius (*de Monialibus*, pag. 228, editionis non prohibitæ, Romæ 1761), « non solum « circa ea, quæ præscribit concilium Tridentinum, nimirum « circa vota substantialia religionis, victum ac vestitum ; sed « etiam circa sequentia, videlicet :

« Quot sint moniales : an professio fiat tempore debito : « an habitus novitiarum ac professarum sit distinctus : an « moniales ultra vota substantialia observent regulam proprii « ordinis, jejunia in ea præscripta, silentium, aliasque regu- « lares observantias : an deferant vestes debitas : an suo tem- « pore celebrent divina officia et omnes conveniant : an ser- « vent debitam clausuram, et tempore congruo claudantur « portæ : an admittant conversationes suspectas, periculosas « et scandalosas : qualiter in suo munere se gerant abbatissa, « vicaria, et aliæ officiales monasterii : quam diligenter mu- « nus suum obeant confessarii tam ordinarii quam extraor- « dinarii : qualis sit educatio novitiarum, ac puellarum ibi « commorantium causa educationis : qualiter expendantur « bona monasterii, ac implicentur dotes monialium quæ ad- « mittuntur : et alia id genus, quorum longum texit catalo- « gum Gavantus, in *Tractatu de visitatione*.

Quæstio VI^a^. — *Quid jure statutum sit quoad visitationem a prælato regulari faciendam ?* — Cum Alexander VII, constitutione sua *Felici*, 10 octobris 1664, hac de re plura sanxerit, textum hunc primo subjicimus : tum quid concludendum sit expendemus.

Digitized by Google

I. *Constitutio* Felici *Alexandri VII.* — « § 1. Præsentibus « perpetuo valituris sancimus, ut in posterum, *intra fines « Italiæ et insularum adjacentium*, generalibus, provinciali- « bus, abbatibus et quibuscunque aliis superioribus regularibus, « quibus alioquin cura et regimen monasteriorum sancti- « monialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem « monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa « visitationis *localis*, et hoc semel tantum in anno; ita ut in « eo anno, in quo unus ex memoratis superioribus visitave- « rit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino absti- « neat.

« § 2. Quod si ob clausuram, quæ a S. Tridentina synodo, « etiam in monasteriis exemptis, curæ et vigilantiæ Episcopi « imprimis committitur, aut ob aliam urgentem ac necessa- « riam causam, oportuerit superiorem regularem eodem anno « pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingredia- « tur, quam *cum præsentia Episcopi diœcesani, vel alterius « personæ* ecclesiasticæ sæcularis, boni exempli ac maturæ æta- « tis, *ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ.*

« § 3. Visitet autem superior regularis interiorem clausu- « ram *per seipsum*, non autem per alium, etiamsi fuerit legi- « time impeditus; quo casu differatur visitatio in aliud tem- « pus, quo cessaverit impedimentum. Et visitationem *celeriter « et unica die*, debita tamen cum diligentia absolvat; nec ante « ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat; ne- « que ipse visitator, neque ejus socii ullam sumant in mo- « nasterio refectionem.

« Porro si visitet *generalis*, possit secum habere *duos socios « sui ordinis* : si alius a generali, *unum tantum*, exclusis om- « nibus aliis etiam ratione officii. Qui quidem socii sumantur « exemplares et maturæ ætatis, et in actu visitationis a visi- « tatore nunquam separentur, sed eum aspicere, et ab ipso « aspici semper possint.

« § 4. Ac præterea visitatori assistant quatuor moniales « ex senioribus monasterii, quæ similiter visitatione durante

Digitized by Google

« nunquam separentur a visitatore et sociis. Reliquæ vero « moniales, et quæcunque aliæ mulieres et puellæ sæculares « in monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedi- « mento, conveniant omnes in choro, antequam visitator ingre- « diatur interiorem clausuram, et in eo permaneant durante « visitatione, et quousque idem visitator cum sociis e mona- « sterio exierit. Ideoque curet visitator, ut tempestive ad- « moneatur abbatissa seu monasterii præfecta, de præstatuta « die et hora visitationis.

« Visitatio vero *personalis* fiat ad crates, et omnino extra « clausuram monasterii, et per ipsummet superiorem dun- « taxat, ut supra dictum est de visitatione interioris clau- « suræ. » Sequitur in contravenientes pœna excommunicationis, privationis officiorum, vocisque activæ et passivæ, ipso facto incurrenda.

II. *Quid concludendum circa quæstionem propositam?* — 1° Citatam Alexandri VII constitutionem adducit Ferraris (v° *Moniales,* art. 3, n. 73 et seq.) necnon corrector tractatus Pellizarii *de Monialibus* (pag. 229, editionis non prohibitæ, Romæ 1761), tanquam juris *communis* vim habentem.

2° Attamen per se solam nonnisi jus particulare constituit, prout testantur verba hæc, *intra fines Italiæ et insularum adjacentium.* Dicimus *per se solam :* potuit enim aliqua posteriore sedis Apostolicæ dispositione ad totum orbem extendi. An autem id contigerit, non dicunt Ferraris et alter citatus auctor. Ego vero nullam novi Pontificiam dispositionem, qua dicta Alexandri VII constitutio in legem universalem evecta sit.

3° In Italia et adjacentibus insulis (aut etiam universaliter si forte constitutio illa vim legis universalis habeat), qua ratione peragi debeat monialium visitatio a prælatis regularibus, satis ex ipsius tenore patet; nec opus est singulas ipsius dispositiones recensere, cum vix clarius quam in ipso textu exprimi valeant. Quam ob causam satis fore existimavimus præcipue attendendas voces sublineare.

4° In hypothesi autem quod dicta constitutio vim legis gene-

Digitized by Google

talis non habeat, alibi quam in Italia et insulis adjacentibus determinandum erit jus commune, ex decretis hac de re antea latis; nempe

Habenda erit pro regula constitutio *Dubiis* Gregorii XIII 23 decembris 1581, qua declaratur, *prælatos omnes, tam sæculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati.* Pœna in contravenientes hæc est: *Qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice... ingressu ecclesiæ interdictos, pro secunda a munere pontificali et a divinis suspensos, ac deinceps ipso facto excommunicatos existere: regulares vero omni officio ac ministerio privatos excommunicationi subjacere.* Notandum autem dictam excommunicationem non esse Papæ reservatam.

5° Remaneret determinandum, quid vi hujusce constitutionis Gregorii XIII observandum sit prælatis regularibus, quoad modum moniales visitandi. Sed cum eadem Episcopo præscribantur, satis id patefaciet quæstio sequens, ubi de modo, quo ab Ordinariis peragi debeat monialium ipsis subjectarum visitatio, disserimus.

Quæstio VII^a. — *Quid jure statutum sit quoad visitationem ab Episcopo faciendam?* — 1° Attentis Gregorii XIII verbis, *in casibus necessariis*, videretur non posse Episcopus clausuram ingredi nisi in casu necessitatis. Et revera ita absolute tradit Ferraris (v° *Episcopus*, art. 6, n. 98), necnon Gavantus (*Manuale Episc.*, v° *Monialium Clausura*, n. 46). Imo ibidem adducit Ferraris decisionem tenoris hujusmodi : « Congregatio de« crevit, Episcopum non nisi *in necessitatis articulo*... mona« steriorum septa ingredi posse. » Ex quo ulterius sequi videretur, haud posse Episcopum sive in annua visitatione, sive extra illam, claustrum ingredi, si nulla adsit necessitas; sed debere visitationem ab ipso peragi ad crates. Et pariter sequi videretur, non esse ipsi licitum clausuræ ingressum, quando

Digitized by Google

nulla adest violatæ clausuræ suspicio; quia si non adsit hæc suspicio, non videtur adesse necessitas.

Nihilominus contrarium tenendum est, ob plures decisiones, e quibus duas sequentes referimus: « S. Congregatio « Concilii censuit, Episcopum Colimbriensem uti sedis Apo« stolicæ delegatum, potuisse quoad clausuram monasteriorum « monialium conventus de Cellas, ordinis Cisterciensis, regu« laribus ejusdem ordinis subjectarum, visitare; etiam as« sumpto secum vicario generali et confessario earumdem « monialium; monialesque ipsas in iis quæ ad eamdem clau« suram pertinent examini subjicere, semotis etiam suspicione « violatæ clausuræ, ac quacunque superiorum regularium « negligentia; ipsisque inconsultis, et irrequisitis. Ac insuper « eidem Episcopo licuisse rectorem collegii dicti ordinis, ex « supra dicta causa inobedientem, declarare in pœnam excom« municationis ac alias comminatas incurrisse. » (Apud Barbosam, in concil. Trid., sess. 25, c. 5, n. 13. Alii auctores hanc decisionem cum mendis referunt.)

Altera decisio refertur in editione correcta tractatus Pellizarii *de Monialibus* (pag. 80, Romæ 1761), in hunc modum: « S. Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum, « ad utrumque dubium respondit : non solum Episcopo, sed « etiam generali ejus vicario, ad hoc speciale mandatum « habenti, licere pro clausuræ visitatione ingredi septa mona« steriorum regularibus subjectorum, tametsi nulla rationa« bilis violatæ clausuræ suspicio irrepserit; et acriter repre« hendit Rodericum, quod de hac re tam audacter locutus « fuerit. »

Hinc non tantum in casu necessitatis, et quando adest violatæ clausuræ suspicio, sed etiam quoties *utile* existimat Episcopus, licet ipsi monialium septa ingredi ad visitandam clausuram. Quod jus ipsi competit etiam in monialium conventus, prælatis regularibus subjectos.

2° Dato casu ingressus legitimi, nequit tamen Episcopus clausuram ingredi solus; sed socios, et quidem seniores,

Digitized by Google

secum habere debet. Constat verbis dictæ constitutionis Gregorii XIII, *a paucis, iisque senioribus ac religiosis comitati.*

3° Necesse non est socios Episcopi esse regulares : quamvis enim dicatur *ac religiosis*, vox illa idem ibi sonat ac *piis*.

4° Nequit Episcopus laicos in socios sibi assumere. Ita decisum vide apud Ferraris (v° *Episcopus*, art. 6, n. 100).

5° Potest tamen Episcopus præter socios ecclesiasticos, secum introducere peritos laicos, si ipsis opus sit (puta ad deliberandum de aliqua extruenda fabrica) ; sed tunc isti laici ingrediuntur, non quatenus socii Episcopi, sed quatenus periti. Vide apud Ferraris, loco citato.

6° Dicti socii Episcopi nequeunt esse pauciores quam duo, nec plures quam octo (Ferraris, loco cit., n. 102 et seq.).

Quæstio VIIIª. — *An prælati ad quos spectat clausuræ visitatio, possint eam facere per delegatos ?* — 1° Episcopus potest ad id delegare quando habet potestatem *ordinariam ;* imo et quando dictam visitationem facere nequit nisi tanquam sedis Apostolicæ *delegatus*, prout contingit quoad moniales prælatis regularibus subjectas. 2° Item, cum generales et provinciales ordinum, relative ad moniales sibi subjectas, *ordinariam* habeant visitandæ clausuræ potestatem, possent ad id delegare, nisi contrarium sanxisset Alexander VII : sed, prout supra vidimus, præcepit dictus Pontifex, ut ii prælati regulares *per seipsos* clausuram visitarent, et casu quo impediti forent, visitationem hanc omitterent. Atvero, prout etiam monuimus, constitutio hæc Alexandri VII per se non comprehendit nisi *Italiam et adjacentes insulas ;* et num in legem generalem postmodum evecta sit, mihi non constat (confer Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 227 et 228, necnon p. 219, editionis non prohibitæ, Romæ 1761).

Quæstio IXª. — *An Episcopus visitaturus clausuram monialium regularibus subjectarum, teneatur ante accessum monialibus præfinire diem et horam visitationis ?* — Ad hanc ipsam quæstionem S. Congregatio Concilii respondit *negative* (Ferraris, v° *Moniales*, art. 3, n. 96). Nec tenetur Episcopus

Digitized by Google

secum ducere superiorem regularem monasterii (Ferraris, ibidem, n. 106).

Quæstio Xª. — *An Episcopo clausuram visitare volenti teneantur moniales erigere baldachinum, vel solummodo stratum?* — A S. Congregatione Concilii responsum est « sufficere « præparationem strati. » (Ferraris, loco citato, n. 96.)

Quæstio XIª. — *An Episcopus clausuram ingressus possit convocare moniales in choro interiori, aut alio loco, et ad eas sermonem habere?* — Dicta S. Congregatio declaravit, *posse* (Ferraris, ibid.).

Quæstio XIIª. — *Quam pœnam incurrant moniales visitationem impedientes?* — Incurrunt excommunicationem, modo tamen prius monitæ fuerint, ut ab impedimento apposito desistant: constat Clementina *Attendentes* (2, *de Statu monachorum*).

Quæstio XIIIª. — *Quam frequens esse debeat canonica monialium visitatio?* — Debet fieri *singulis annis*, ut expresse præcipitur modo citata Clementina *Attendentes* (*de Statu monachorum*).

Quæstio XIVª. — *An Episcopis custodienda commissa sit monialium clausura, non tantum materialis, sed etiam formalis?* — Commissa est etiam formalis; ita ut non tantum inquirere possint de rebus materialibus quæ ad clausuram spectant (puta de januis, muris, fenestris, etc.), sed etiam de ingressu et accessu ad moniales (Pellizarius, *de Monialibus*, editionis non prohibitæ, pagina 81, Romæ 1761).

Quæstio XVª. — *An jus expositum de canonica monialium visitatione, applicandum veniat iis monialium congregationibus, quæ per vota solemnia non profitentur?* — Respondendum negative. Nam istæ moniales, quas supponimus Ordinariis subjectas, cum vere professæ non sint, in sensu juris, nec ad papalem clausuram tenentur; prout, quoad hodiernas Galliæ moniales declaravit S. Pœnitentiaria (23 januarii 1821, apud Gautrelet, *l'État religieux*, tom. 2, p. 281, edit. 1853). Proinde si quam clausuram, ex proprio instituto, aut ex episcopali lege servent, hæc non impedit, quin possit Episcopus eam ingredi,

Digitized by Google

quoties opportunum existimaverit, absque formalitatibus a jure quoad proprie dictas moniales requisitis; necnon aliis ingrediendi licentiam concedere. In his tamen, ex lege naturali tenetur Episcopus, nihil non prudentiæ et convenientiæ consentaneum peragere, ut patet.

CAPUT II.

DE CONFESSORIBUS MONIALIUM.

Exponemus 1° dispositiones quæ in bulla *Pastoralis* Benedicti XIV continentur; 2° subjiciemus cætera circa monialium confessores a jure statuta; 3° expendemus an et quatenus hæc applicanda veniant monialibus quæ vota solemnia non habent.

§ I.

Quid in bulla *Pastoralis* (1) occurrat dispositum.

1° Sequenda est regula *qua generaliter statutum esse dignoscitur ut pro singulis monialium monasteriis unus duntaxat confessarius deputetur, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessorem pro libito sibi deligere* (verba bullæ).

2° Legem Tridentinam (c. 10, sess. 25 *de Reg.*), qua statuitur ut *præter ordinarium confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat*, vult Benedictus XIV observari etiam quoad moniales quæ clausuram non habent, et quoad omnes mulierum aut puellarum communitates.

3° Declarat idem Pontifex confessarii extraordinarii deputationem « ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet « confessarii ordinarii electio et deputatio : ideoque Episcopus « sive Ordinarius loci, qui monialibus sibi subjectis confessa- « rium ordinarium dare consuevit, idem confessarium extraor-

(1) 5 augusti 1748, in bullario Benedicti XIV, tom. 2, n. 56.

Digitized by Google

« dinarium, bis aut ter in anno, eisdem offerre tenetur : « prælatus vero regularis, ad quem pertinet ordinarium con« fessarium subditis sibi monialibus... designare et constituere, « ipse etiam eisdem extraordinarium confessarium... exhibere « potest et debet. »

4° Si Episcopus, quando ad ipsum pertinet confessarium extraordinarium monialibus dare, id facere nolit aut negligat, Cardinalis Pœnitentiarius, statim ac fuerit ab istis monialibus requisitus, debet in hoc supplere, id est, deputare extraordinarium confessarium, illum tamen sumendo ex approbatis ab Ordinario pro monialium confessionibus.

Si prælatus regularis, quando ad ipsum pertinet confessarii extraordinarii deputatio, eam omittat, deputatio hæc ad Episcopum devolvitur.

5° Non tantum concedendus est confessarius extraordinarius *toti* communitati bis aut ter in anno, sed etiam cuilibet moniali peculiarem confessarium postulanti, in sequentibus casibus : *primo*, si monialis graviter ægrotet : tunc nempe si peculiarem aliquem confessarium sibi expostulet, debet ei concedi. *Secundo*, si qua monialis confiteri ordinario confessario difficile possit, ob ingentem quam experitur repugnantiam : tunc etiam ipsi extraordinarius deputari debet. *Tertio* etiam ex sola ratione spiritualis consolationis et profectus, extraordinarie concedi debet moniali peculiaris confessor quem expostulat, dummodo et ex parte monialis, et ex parte confessarii quem sibi deposcit, nihil appareat, ex quo dictus profectus spiritualis sperandus non sit.

6° Prælatus regularis, cui moniales sunt subjectæ, nequit semper ipsis in confessarium extraordinarium deputare ordinis sui religiosum ; sed tenetur, *semel* saltem in anno, deputare vel sæcularem, vel religiosum alterius ordinis.

7° Durante confessarii extraordinarii munere, cessat confessarii ordinarii officium ; ita ut nequeat ullius monialis confessionem audire.

8° Statim autem ac confessarius extraordinarius, sive pro

Digitized by Google

tota communitate, sive pro aliqua moniali deputatus, officium suum explevit, jam nequit ad claustra accedere, sub pœnis in violantes clausuram latis.

§ II.

Exponuntur cæteræ juris dispositiones circa monialium confessores.

1° Confessarii monialium eligi nequeunt ab ipsis monialibus (Ferraris, v° *Moniales*, art. 5, n. 1). Ex fundatione tamen vel consuetudine monialibus competere posset jus sibi eligendi confessarium, ab Episcopo approbandum : vide ibidem, n. 85.

2° Si moniales non sint exemptæ, vel si sint exemptæ, sed sedi Apostolicæ immediate subjectæ, ad Episcopum spectat ipsarum confessarios eligere et deputare (vide apud Ferraris, loco citato, n. 1).

3° Quoad moniales prælatis regularibus subjectas, confessariorum electio et deputatio pertinet ad prælatum regularem, sed necesse est ut Episcopus eos approbet, et quidem *specialiter* pro monialium confessionibus (confer caput 10, sess. 25 *de Reg.* Tridentinæ synodi : caput *Dudum, de Sepulturis :* bullam *Inscrutabili* Gregorii XV : et decisa dubia, quæ post illam constitutionem in bullario impressa sunt). Imo necesse est ut confessarius approbetur specialiter pro monasterio ad quod deputatur; ita ut non sufficiat eum ab Episcopo approbatum fuisse pro alio monialium conventu. Et approbatione indiget toties quoties iterum ad id muneris deputatur. Et approbatus tantum pro unius monialis excipienda confessione, adhuc approbatione indiget quoad audiendas cæteras (vide dictam dubiorum decisionem post bullam *Inscrutabili;* necnon quæ diximus supra, parte 5, sect. 3, c. 3, quæst. 23).

4° Si prælatus regularis, ad quem pertinet confessariorum deputatio, extraordinarios deputare omittat, quando ad id de jure tenetur, supplet Episcopus, extraordinarios ejusmodi confessarios monialibus concedendo. Constat ex præcedenti paragrapho.

Digitized by Google

5° Quando confessariorum deputatio ad regularem prælatum pertinet, potet Episcopus, ex justa causa, prælatum illum monere ut confessarios amoveat. Id si facere renuat prælatus regularis, potest Episcopus ipsos removere. Nec tenetur in hoc casu Episcopus prælato regulari causam exprimere, cur confessarios illos remotos velit (id jam ostendimus supra, parte 5, sect. 3, cap. 3, quæstione 23, n. 7 et 8).

6° Etiam tempore jubilæi nequeunt moniales confiteri nisi confessariis pro ipsis specialiter approbatis (vide quæ diximus supra, sect. 3, c. 3, q. 23).

7° Etiamsi venialia tantum accusanda habeat monialis, valide absolvi nequit nisi a confessario specialiter pro monialibus approbato (Ferraris, v° *Moniales*, art. 5, n. 18).

8° Confessarii monialium constitui nequeunt nisi *ad triennium :* quo elapso, ut confessiones valide audire pergant, licentia S. Congregationis indigent (vide apud Ferraris, loco citato, n. 19).

9° Estque id intelligendum etiam de monialibus quæ clausuram et vota solemnia non habent, ac generatim de omnibus mulierum et puellarum communitatibus, quod diligenter notandum est (Ferraris, ibidem).

10° Si confessarius, ex dispensatione S. Congregationis, ad secundum triennium constituatur, nequit, eo expleto, ad tertium constitui sine nova S. Congregationis dispensatione (Ferraris, ibid., n. 23).

11° In confessarios monialium constitui non possunt vicarii generales (Ferraris, ibid., n. 24).

12° Neque parochi, nisi id muneris explere possent quin cura parochiæ ullum detrimentum pateretur (Ferraris, ibid.), atque idem dicendum de canonico pœnitentiario (ibid., n. 31).

13° Nequeunt moniales, nisi assignata justa causa, deputatum confessarium, sive ordinarium, sive extraordinarium recusare, et alium petere : possunt tamen ex justa causa (Ferraris, ibid., n. 34).

14° Extraordinarium autem confessarium sine causa recu-

Digitized by Google

sare possunt, dummodo alium ipsius loco non petant; quia extraordinarius in ipsarum favorem constituitur, et cuique liberum est juri suo renuntiare (Ferraris, ibid., n. 35).

15° Moniales non tenentur confiteri extraordinario confessario : at, si confiteri nolint, tenentur tamen coram ipso se sistere (ibid., n. 36).

16° Prælatus ad quem pertinet confessarii extraordinarii deputatio potest eum deputare quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos. Praxis communis est ut deputatio fiat unoquoque quadrimestri. Quoad dierum numerum, varia est locorum consuetudo : in pluribus diœcesibus, deputatur ad quindecim dies, in aliis ad pauciores; in aliis ad plures.

17° An Episcopus, quando ad ipsum spectat confessarii deputatio, possit deputare aliquem regularem? Respondent plures canonistæ negative, excepto casu necessitatis; et fundantur nonnullis declarationibus S. Congregationis Episcoporum et regularium (vide Ferraris, v° *Moniales*, art. 5, n. 29). Quas tamen declarationes *parum esse in usu*, adnotat Pellizarius (*de Monialibus*, pag. 253, n. 171, editionis non prohibitæ, Romæ 1761). Certum est prævaluisse universaliter contrariam praxim.

18° « Confessarius præsentatus ad accipiendas confessiones « monialium regularibus subjectarum debet vel absolute re- « jici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tem- « pus brevius. » (Ferraris, v° *Moniales*, art. 5, n. 17.)

19° Confessarios monialium debere esse *maturæ ætatis* decernit constitutio *Felici* Alexandri VII. Ex quibusdam autem S. Congregationum declarationibus, a Ferrario (v° *Moniales*, art. 5, n. 49) adductis, necesse est ut 40 annos expleverint.

20° Confessarii monialium absque ulla licentia clausuram ingredi possunt ad ministranda sacramenta; sed tunc debent recta via ire et redire; nec possunt alias infirmas, quibus necessaria non sunt sacramenta, visitare (Ferraris, v° *Moniales*, art. 5, n. 54 et 64).

21° Dum confessarius infirmæ monialis confessionem audit,

Digitized by Google

debet janua aperta remanere, et ambæ comitatrices ad cellæ januam ita stare, ut cernere queant confessarium et infirmam (Ferraris, ibid., n. 56).

22° Olim confessarius regularis clausuram ingrediens ad ministranda sacramenta, non tantum non tenebatur, sed nec ei licebat socium secum introducere. Postea vero statutum est ut socium haberet. Id expresse mandat Alexander VII in citata constitutione *Felici* (vide apud Ferraris, v° *moniales*, art. 5, n. 65). Et quod socius 50 annis natus esse debeat, decisum refert ibidem Ferraris.

23° Confessario monialium certa annua merces constitui debet. Quæ merces, si confessarius regularis sit, monasterio ipsius acquiritur (Ferraris, ibid., n. 70).

24° Præmissæ dispositiones de confessariis applicandæ sunt etiam puellis et cæteris feminis, quæ cum monialibus sub clausura degunt (confer Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 252, n. 167; necnon sequentem paragraphum). Vide etiam circa totam materiam hanc de monialium confessoribus, causam *Constantiensem*, 31 maii 1750, *Thesauri*, tomo 39.

§ III.

An et quatenus præmissæ dispositiones applicandæ sint mulierum communitatibus quæ solemnia vota non habent.

Magni momenti est quæstio hæc quoad Galliam præcipue, ubi tot exstant hodie sanctimonialium congregationes, quæ votis solemnibus et papalis clausuræ lege carent.

1° Tenendum est, statui posse ab Ordinariis, ut moniales istæ nequeant confiteri, nisi confessario pro ipsis *specialiter* approbato. Id clare supponit Benedictus XIV in sua bulla *pastoralis;* siquidem, prout § 1 vidimus, ad omnes mulierum et puellarum communitates, etsi clausuram non habentes, extendi vult Tridentinam legem, de dandis bis aut ter in anno confessariis extraordinariis. Ad quid enim opus esset iis com-

Digitized by Google

munitatibus extraordinarios confessarios deputare, si liberum eis foret cuilibet ex approbatis pro diœcesi sacerdotibus confiteri?

2° Praxis generalis est, ut revera Episcopi pro hujusmodi communitatibus confessarios specialiter approbent, et statutis temporibus extraordinarios confessarios eisdem concedant.

3° Stante autem hac praxi, certum est Episcopum, dum aliquem approbat simpliciter pro confessionibus in diœcesi, nequaquam ipsi dare facultatem etiam pro dictis communitatibus; alioquin enim non approbaret aliquos *specialiter* pro iisdem communitatibus, nec statutis temporibus extraordinarios deputaret.

4° Hinc in Gallia hodie erraret presbyter, qui simpliciter approbatus pro confessionibus, non autem specialiter pro monialibus, contenderet ejusmodi communitatum confessiones licite et valide a se excipi posse, ex ea ratione quod vota solemnia non habeant, nec proinde sint *veræ moniales*.

Quod a fortiori patet quoad illas Galliæ diœceses, ubi mos est facultates pro confessionibus audiendis concedere cum hac clausula, *non tamen monialium*, et *etiam monialium*. Dum enim ponitur *non tamen monialium*, dubium non est quin vox illa *monialium* intelligenda sit etiam de iis congregationibus, quæ votorum solemnitate carent; præsertim cum generalis persuasio sit, a nullis hodie Galliarum monialibus emitti solemnia vota.

5° Proinde dictarum congregationum confessariis applicandæ veniunt juris dispositiones, quæ confessarios monialium Ordinariis subjectarum respiciunt, exceptis tamen iis quæ clausuram Papalem respiciunt. Dicimus *exceptis iis...*, quia cum hujus clausuræ lege careant, nec applicanda veniunt ejusdem clausuræ consectaria quoad confessarios.

Nota 1°. — Hic insuper disserendum remaneret de jure Episcopi *circa electionem superiorissæ*, et *circa monialium ecclesias et oratoria*; sed duas illas quæstiones ad *sextam* tractatus *partem* rejicimus.

Digitized by Google

Nota 2°. — Præcipuæ difficultates, quæ oriri solent circa respectiva jura Episcopi et prælati regularis, in moniales regularium jurisdictioni subjectas, decisæ sunt in causa *Conversana*, 8 maii 1751 (tomo 20 *Thesauri resolut.*). Ibi nempe reperitur S. Congregationis Concilii responsum ad 26 dubia, circa dictam materiam.

Digitized by Google

SECTIO VI

DE JURE REGULARIUM RELATIVE AD PAROCHOS (REMISSIVE).

Quæstiones præcipuæ quæ respectiva parochorum et regularium jura respiciunt, tum in præsentis tractatus decursu, tum in tractatu *de Parocho*, jam expensæ sunt. Abs re tamen non erit earumdem elenchum hic retexere, et pauca quædam subnectere, de quibus haud sese obtulit disserendi occasio.

CAPUT I.

RECENSENTUR QUÆ JAM HAC DE RE FUERUNT EXPOSITA.

I. Non posse parochum impedire, ne novus intra ipsius parochiæ fines extruatur regularium conventus, modo jura ejus parochialia præserventur, fuse probatum est (parte 2, sect. 2, cap. 4). Atque ibidem expendimus quid per jura illa parochialia sit intelligendum.

II. Impedire nequit parochus, quin ipsius parochiani præcepto missam audiendi satisfaciant in regularium ecclesiis, atque etiam in eorumdem domesticis oratoriis (supra, parte 5, sect. 3, cap. 2, quæst. 7 et 8).

III. Impedire nequit, quin regulares sacram communionem ipsius parochianis porrigant, etiam paschali tempore, excepto solo die resurrectionis Domini (ibid., quæstione 9).

IV. Jus habent regulares viaticum, extremam unctionem et sepulturam dandi, non tantum suis professis et novitiis, sed etiam *suis famulis*, dummodo ii famuli *actu inserviant*, *intra septa degant*, et *sub regularium obedientia* vivant. Suf-

Digitized by Google

ficit autem obedientia ratione famulatus debita (ibid., quæstione 10).

V. Ad parochum non pertinet viaticum et extremam unctionem ministrare puellis, in exempto monialium conventu educationis causa degentibus. An autem ad ipsum pertinea eas sepelire disputatur (ibidem, quæstione 11).

VI. An possint regulares viaticum et extremam unctionem ministrare juvenibus, in collegio regularium educationis causa degentibus, res est controversa (ibid.).

VII. De jure communi obstare nequit parochus, ne parochiæ pueros et puellas ad primam communionem in suis ecclesiis regulares admittant (ibid., quæstione 12).

VIII. Obstare nequit parochus, ne regulares sanctissimum sacramentum exponant, tum *privatim* absque ullius licentia, tum *publice* cum licentia Ordinarii. *Privata* autem expositio intelligitur, sive quando *velata* exponitur eucharistia *astante populo*, sive *detecta* exclusis sæcularibus (ibid., quæst. 13).

IX. Regulares ab Ordinario ad confessiones approbati, nulla indigent parochi licentia ad audiendas ipsius parochianorum confessiones, etiam infirmorum, et etiam in Paschate (supra, parte 5, sect. 3, c. 3, quæst. 20; necnon in tractatu *de Parocho*, parte 4, cap. 16, n. 3).

X. Nequit parochus impedire, ne regulares in sua ecclesia hora sibi bene visa prædicent (tractatus *de Parocho*, parte 4, cap. 16, n. 10).

XII. Item impedire nequit, ne regulares in sua ecclesia vigilias, festa et jejunia sequentis hebdomadæ populo denuntient (*de Parocho*, loco cit., n. 11).

XII. Regularibus non licet processiones per parochiæ territorium, seu extra claustri ambitum ducere, exceptis sequentibus casibus: 1° si licentiam Episcopi habeant; 2° per octavam et dominicam infra octavam corporis Christi (*de Parocho*, parte 4, cap. 16, n. 2).

XIII. In dictis processionibus impedire nequit parochus ne regulares propriam crucem erigant (*de Parocho*, ibid., c. 17).

Digitized by Google

XIV. Jus parochi et regularium quoad funera, quando parochianus in ecclesia regularium sepeliendus est, expositum vide in tractatu *de Parocho*, parte 4, cap. 10, § 1 et 2.

CAPUT II.

EXPENDUNTUR ALIA NONNULLA DE JURE REGULARIUM RELATIVE AD PAROCHOS.

Ne (quantum fieri possit) ea prætermittamus quæ in praxi difficultatem facere possunt, recensitis in præmisso elencho quæstionibus, binas, ad crisim nondum vocatas, subnectemus : alteram scilicet de jure regularium sacras in sua ecclesia functiones, etiam prævio campanarum sonitu, peragendi, ante incœptam aut expletam missam parochialem : alteram de sepeliendis extra conventum religiosis et monialibus, absque parochi interventu.

§ I.

An jus habeat parochus, vel etiam Episcopus, impediendi seu prohibendi, ne regulares ante missam parochialem sacras suas functiones et missas celebrent, prævio etiam campanarum sonitu ?

Respondendum negative (1) suadent rationes et decisio, quas reperimus in causa *Squillacensi*, 28 februarii 1761 (*Thesaurus resol.*, tomo 30). Squillacensis Episcopus ad patres Minores conventuales *monitum* direxerat, ne dominicis festisque diebus ante missæ parochialis celebrationem sacra peragerent cum præcedenti campanarum sonitu. Recursum habuerunt patres conventuales. « Jussus autem Episcopus S. Congrega-« tionem instructam reddere, votumque suum aperire, post « longas moras tandem rescripsit, suamque defendit monitio-

(1) Excipe duntaxat diem sabbati sancti, quo nequeunt regulares ante majorem loci ecclesiam campanas pulsare.

Digitized by Google

« nem vigore concilii Tridentini (sess. 22, *De observ. et vitand.* « *in celebr. missæ*), præscribentis ut Ordinarii locorum et « Episcopi *moneant etiam populum, ut frequenter ad suas pa-* « *rochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis acce-* « *dant.* »

Patres conventuales, ad probandam dicti episcopalis moniti injustitiam et nullitatem, has præcipue rationes adduxerunt :

1° Præfatum Tridentinum decretum, *moneant populum ut frequenter ad suas parochias*, etc., intelligendum est « ita ut « secluso contemptu parochi, in qualibet ecclesia (modo non « sit capella vel oratorium privatum) satisfieri possit præcepto « audiendi missam diebus festis, juxta consuetudinem in toto « christiano orbe receptam, de qua Cardinalis Petra) ad const. 8 « Honorii III, sect. unica, n. 50, tom. 2, p. 498), Benedi- « ctus XIV (*de Missæ sacrificio,* appendix 12, ad lib. 3, n. 8), « et Rota...: ideoque non posse Episcopum cogere suos subditos « ut intersint missæ parochiali ; cum nequeat delere consuetudi- « nem, quæ, uti vigens in toto orbe, jam induit naturam juris « communis. »

2° In allegato Tridentino decreto dicitur ut Episcopi *moneant populum;* non autem ut moneant rectores ecclesiarum, et multo minus regulares.

3° Episcopis non competit potestas « præcipiendi regularibus « ne sacra peragant in suis ecclesiis ante celebrationem missæ « parochialis (ut notant Barbosa... et Maschat...), illisque pro- « hibendi campanarum sonitum ad matutinum, ad horas, et ad « missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ, præ- « terquam in die sabbati sancti (ad tradita per Leurenium..., « Matthœuccium..., et Braschum...). Et consentanee definitum « asserunt a S. Congregatione Episcoporum et regularium, ad « relationem Sanctissimi Domini Nostri, in *Taurinensi,* 28 sep- « tembris 1742, ad I dubium, nimirum : *Quod impediri non* « *debeat patribus reformatis conventus... publica celebra-* « *tio missarum, aliarumque functionum conventualium,*

Digitized by Google

« *etiam cum sonitu campanarum, ante missam parochialem.*

« Nec dissimilis fuit sensus hujus Sacræ Congregationis dum « (in *Nullius*, 15 septembris 1629) rescripsit : *Nequaquam pro-* « *hibitum esse regularibus missas celebrare, et campanas pul-* « *sare in suis ecclesiis, ante celebrationem missæ et pulsatio-* « *nem campanæ in ecclesia parochiali. Ideoque abbatem minime* « *hoc illis prohibere posse; sed tantum monere populum ut* « *accedat ad ecclesiam parochialem, ad ejusdem sacri concilii* « *præscriptum* (ut in libro 14 *decretorum*, p. 169).

« Et in una *Aquensi* (9 junii 1708), ad decimum quartum dubium, quod erat, *an possint patres Carmelitæ dare signum* « *et celebrare missam in diebus festis, eodem tempore vel ante-* « *quam detur signum et celebretur missa parochialis*, respon- « sum fuit : *affirmative* (ut in libro 58 *decretorum*, pag. 199).

« Ac demum in *Comensi* (19 decembris 1750), ad octavum « dubium ita conceptum : *An archipresbyter et presbyteri cleri* « *sæcularis Dungi, prohibere possint patribus reformatis cele-* « *brare missas, aliasque conventuales functiones, etiam cum* « *præventivo campanarum sonitu, peragere, ante vel in actu* « *celebrationis missæ parochialis ?* Rescriptum fuit : *Negative* « *et amplius* (ut in libro 100 *decretorum*, pag. 487 a tergo). »

His et nonnullis aliis rationibus pro parte conventualium conventus Bruneatori deductis, positum est dubium hoc modo :

1° *An religiosi conventuales Bruneatori, moniti ab Episcopo, debeant se abstinere a celebrandis missis aliisque peragendis functionibus cum sonitu campanarum ante missam parochialem, vel donec illa absolvatur ? Et quatenus affirmative.*

2. *An, et quomodo sit providendum, quoties ab Episcopo moniti non se abstinuerint, in casu ?*

Responsum est : *Ad I, negative. Ad II, provisum in primo.*

Objicies. — Ex Benedicti XIV doctrina, et nonnullis Sacrarum Congregationum responsis, prudenti Episcoporum arbitrio relinquitur, ut permittat vel prohibeat in aliis ecclesiis sacrum publice fieri, ante missam parochialem; prout adnotatur in *Reatina*, 24 aprilis 1830, § *Itaque* (*Thesaurus*, tom. 90) hoc

Digitized by Google

modo : « Ex vigenti Ecclesiæ disciplina quisquam forsitan an-
« ceps hærere posset, utrum liceat Episcopis interdicere, ne die-
« bus festis in publicis oratoriis et ecclesiis non parochialibus
« sacrum celebretur, vel etiam decernere, ut statuta duntaxat
« hora sacrificium offeratur, ita quod populus ad ecclesiam pa-
« rochialem quadam veluti necessitate accedere cogatur. At om-
« nem hac super re ambiguitatem perimit Benedictus XIV
« (instit. 44 ; et *de Syn. diœcesana*, l. 12, c. 7, n. 7), dicens id
« a prudenti Episcopi arbitrio, pro locorum aliorumque adjun-
« ctorum varietate, omnino pendere. Concinunt rescripta hujus
« Sacri Ordinis (1), qui (in *Foroliviensi*, 18 novembris 1684...)
« rogatus : *An beneficiatus seu rector in dicta sua ecclesia*
« *S. Mariæ possit missam celebrare ante missam a paroche*
« *celebrandam ?* Respondit : *Affirmative, nisi aliter Episcopus*
« *rationaliter disponat.* Similiter (in *Cassanensi*, 11 julii 1767),
« proposito dubio : *An dominicis et festis diebus, dictis clero et*
« *presbyteris, in ecclesia S. Mariæ Gratiarum, liceat ad libi-*
« *tum in quacunque hora eis bene visa celebrare missas, sive*
« *lectas sive cantatas, in casu ?* Rescriptum prodiit : *Ad III,*
« *negative, et Episcopus provideat quod missa parochialis die-*
« *bus festis celebretur hora opportuna, et in eadem missa fiat*
« *sermo post evangelium.* »

Respondeo. — 1° Si Benedictus XIV in allegatis ipsius textibus, necnon S. Congregatio in adductis decisionibus, intelligendi sint etiam *de ecclesiis regularium*, revera ex parte nutaret conclusio nostra.

2° Atvero si adeat lector citatos Benedicti XIV textus, videbit Pontificem ibi expresse non loqui *de regularium ecclesiis;* et videtur potius de aliis duntaxat oratoriis publicis sermonem instituere. Atque idem adnotandum venit quoad binas decisiones in objectione allegatas. Fateor tamen aliquam (quoad me) remanere difficultatem ex objectis rationibus; unde rem penitus enucleandam iis relinquo queis major sup-

(1) Intellige S. *Congregrationis Concilii.*

Digitized by Google

petit documentorum copia. Cæterum difficultas versatur duntaxat de Episcopo, num scilicet dictam prohibitionem regularibus facere possit. Ad parochum enim quod attinet, certum est nequaquam ei hanc potestatem competere.

§ II.

Num religiosorum et monialium cadavera, si extra conventum in cœmeterio communi sepelienda sint, eo deferri valeant absque parochi interventu.

Propositio 1ª.—*Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventus ecclesia (obstante, verbi gratia, lege civili, ut hodie in Gallia), possunt regulares cadaver ad commune cœmeterium deferre, cum stola et cruce conventus, absque interventu ullius parochi, dummodo tamen cadaver deferatur absque solemni pompa et recto tramite ad cœmeterium.*— Res decisa fuit in causa *ordinis Prædicatorum* 24 januarii 1846 (*Thesaurus resol.*, tomo anni 1846, pag. 35). Tarenti nempe, in regno Neapolitano, cum obiisset unus e Dominicano conventu religiosus, debuit sepultura fieri in communi cœmeterio: quippe quod in Neapolitana ditione, ab anno 1839 lege civili prohibitum sit humari in ecclesiis cadavera, prout jamdudum in Galliis et Belgio statutum fuerat. Tarenti autem unica est parochialis ecclesia, nempe cathedralis, stante penes capitulum habituali cura. Porro cum vellent patres Dominicani defunctum religiosum suum ad cœmeterium deferre, absque parochi interventu, cum stola et cruce conventus, obstitit capitulum cathedrale; contendens a parocho, et cum cruce capitulari, funus esse ducendum. Videri possunt, loco citato, rationes pro utraque parte deductæ. Præcipua autem ex parte capituli seu parochi hæc erat : nullam regularibus exemptionem seu jurisdictionem competere extra septa monasterii : proinde legitime duci funus per parochiæ territorium non posse, nisi a parocho. S. Congregationi Concilii dirimenda controversia proposita est sub hac dubiorum formula :

1° *An expleto officio super regularis cadavere, parochus*

Digitized by Google

metropolitanæ ecclesiæ vocari et interesse debeat cum stola in solemni associatione ejusdem regularis ad publicum cœmeterium in casu.

2° *An ista funeris processio ordinanda sit sub et præeunte cruce metropolitanæ seu parochalis ecclesiæ in casu. Et quatenus affirmative ad primum et secundum.*

3° *An parochus debeat deponere stolam prope sepulcrum regularium, vel potius officium jam incœptum perficere in casu.*

4° *An sine parochi interventu possint regulares ordinare processionem cum stola et cruce conventuali usque ad sepulcrum, vel potius utrumque signum deponere debeant in transitu per paræciam, resumendum postea in cœmeterio, in casu.*

Responsum est : *Ad I et II, negative in omnibus, dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite ad cœmeterium a familia regulari proprii conventus tantum.*

Ad III, provisum in præcedentibus.

Ad IV, affirmative ad primam partem, cum conditionibus uti in præcedentibus, et cum stola et cruce conventuali tantum; negative ad secundam.

Putamus applicandam esse decisionem hanc hodiernis regularibus Galliæ, Belgii, aliarumque regionum, in quibus obstat lex civilis ne religiosi in conventus sui ecclesia tumulentur. Possunt nempe regulares, absque parochi interventu, defunctos suos religiosos dicto modo ad commune cœmeterium deferre, atque ibi sepelire.

Objicies. — In Gallia et Belgio, lex civilis et gubernium regulares ut tales non agnoscunt. — Respondeo : regulares ut tales agnoscere tenentur Episcopus et parochus. Ergo sinere debent ut regulares, expletis legis sæcularis formalitatibus, defunctos suos ad cœmeterium dicto modo deferant. Neque ullibi præscribit lex civilis, ut parochus ipse cadavera associet; sed liberum ei relinquit ut hoc aliis presbyteris faciendum relinquat. Item nec præscribit ut parochialis crux, potius quam alia, in hac associatione adhibeatur. Unde absque ulla legis civilis læsione bene possunt regulares hoc jure suo

Digitized by Google

uti. Proinde ipsis injuriam faceret parochus, si dicti juris exercitium præpediret.

Propositio IIª. — *Quando moniales exemptæ sepeliendæ sunt extra suum conventum in communi cœmeterio, ad confessarium monialium, non autem ad parochum, pertinet funus ducere : imo id extendendum ad feminas sæculares quæ in conventu, cum animo perpetuo manendi, sese receperunt : an autem idem currat jus quoad puellas educationis causa sub clausura monialium degentes disputatur.* — Sic habet Pellizarius (*de Monialibus*, editionis non prohibitæ, cap. 10, n. 233) :

« Si quæras an, casu quo sæcularis femina ingressa monaste-
« rium, animo ibi perpetuo manendi, moriatur, spectat ad con-
« fessarium monialium ei ministrare ultima sacramenta, et asso-
« ciare cadaver, quod forte sepeliendum sit extra ecclesiam
« monialium, et lucrari quartam funeralem cum aliis juribus
« parocho obvenientibus intuitu sepulturæ. — Respondeo :
« spectare omnia supra dicta ad confessarium monialium ;
« cum monasterio monialium competat non solum exemptio
« personalis, sed etiam localis ; et femina illa sæcularis illud
« sibi eligendo in domicilium, effecta sit de ovibus confessarii
« præfati monasterii : qui proinde tanquam parochus illius
« erga ipsam poterit exercere parochialia modo dicto : præ-
« terquam quod a quo viventes recipimus sacramenta, ab
« eodem post mortem debemus recipere et sepulturam ; et
« ipse a nobis recipit jura parochialia seu effectus dictorum
« jurium. Sicut ergo illa vivens recipit sacramenta a confes-
« sario monialium, tanquam ejus parochiana, sic post mortem
« debet ab eo recipere sepulturam, et ille lucrari ab ea jura
« parochialia, cum vere sit ejus parochus, habeatque ut talis
« in illam jurisdictionem ordinariam, non autem delegatam.
« Quæ doctrina a fortiori procederet in casu quo femina
« sepelienda esset in ipsa ecclesia monialium, sive interiori,
« sive exteriori ; idque ratione acquisiti domicilii, ut jam di-
« ctum est...

« Imo puto doctrinam hic traditam de femina sæculari

Digitized by Google

« posse *probabiliter* sustineri de puellis in monasterio degenti-
« bus causa educationis : quippe quæ ibi acquirunt quasi do-
« micilium, adeoque fiunt parochianæ dicti monasterii...;
« quamvis de dictis puellis sustineri possit etiam opinio oppo-
« sita, quam Sanchez censet esse probabilem...

« Advertit Bordonus, in litteris ad me rescriptis, quod si
« forte monialis ex privilegio eligat sepulturam extra clausu-
« ram, funus inchoatum ducetur a confessario monialium;
« quippe qui per talem electionem non amittit jus alias ipsi
« competens super cadaver monialis : aitque id esse certissi-
« mum, cum parochus, non obstante electione sepulturæ facta
« a suo parochiano in aliena ecclesia, funus (levando cadaver
« incœptum) prosequatur ad ecclesiam in qua electa fuit se-
« pultura. »

Conclusio hæc Pellizarii, circa monialem, quæ extra suum conventum sepulturam elegit, omnino applicanda videtur, quando moniales in suo monasterio, obstante lege civili, sepeliri nequeunt, ideoque ad commune cœmeterium sunt deferendæ. Et huic doctrinæ aperte favet supra allata decisio, quoad religiosos in communi cœmeterio sepeliendos. Si enim hi possint, absque parochi interventu, a regularibus extra conventum ad cœmeterium deferri, non est cur idem non liceat monialium confessario, qui ipsarum est quasi parochus.

Nota 1°. — *De monialibus non exemptis, et de monialibus vota solemnia non habentibus.* — In præmissa conclusione agitur duntaxat de monialibus exemptis, et per vota solemnia profitentibus. Quid vero de aliis ?

Respondeo : per se, et secluso statuto episcopali, ac legitimæ consuetudinis titulo, moniales istæ legi parochiæ subjectæ censendæ forent. Proinde ad parochum pertineret viaticum, extremam unctionem et sepulturam ejusmodi monialibus conferre.

Atvero possunt et solent Episcopi, sicut quoad hospitalia, ita et quoad hosce monialium conventus capellanum seu confessarium deputare, qui sit ipsarum *quasi parochus*. Quod id

Digitized by Google

valeant Episcopi quoad hospitalia, in tractatu *de Parocho* probavimus. Eædem autem urgere videntur rationes, ut id etiam possint quoad dictos monialium conventus. Neque probari potest ita parocho *de jure communi* competere jurisdictionem in omnes intra parochiæ ambitum degentes, ut nequeat Episcopus, justa interveniente causa, aliquam communitatem (puta aliquod conservatorium, aliumve pium locum) ab illa jurisdictione immunem facere; cum etiam possit, ex justa causa, parochiam dismembrare. Ubi autem agitur de monialium conventu, vix unquam non aderit justa causa ipsis capellanum, in quasi parochum concedendi. Id proinde si statuerit Episcopus, decreto episcopali capellanum in quasi parochum deputanti standum erit. Nec posset parochus nisi ex justæ causæ defectu reclamare. Ast in probando hoc defectu fere semper deficiet, ut diximus, quoties agetur de sat numeroso ejusmodi monialium conventu.

Quod si Episcopus nihil statuerit, attendenda erit consuetudo. Etenim in jurisdictionalibus datur locus præscriptioni.

Nota 2°. — *De congregationibus virorum simplicia duntaxat vota emittentium.* — De his minor videtur difficultas. Universalis enim consuetudo (quæ juri communi æquivalere censenda est) obtinuit, ut ejusmodi virorum conventus a lege parochiæ eximantur; ita ut nempe superior communitatis quoad suos subditos sit quasi parochus; eisque viaticum et extremam unctionem, irrequisito parocho, ministrare valeat. Hinc et ad religiosas virorum familias, etsi votis solemnibus carentes, extendendum videtur, quod supra dictum est de jure regularium exemptorum; suos nempe defunctos religiosos ad commune cœmeterium, absque parochi interventu, deducendi.

Digitized by Google

APPENDICES

AD QUINTAM TRACTATUS PARTEM

I

DE CONGREGATIONIBUS VIRORUM VOTIS SOLEMNIBUS CARENTIUM, RELATIVE AD EPISCOPOS.

Quænam ex istis congregationibus status religiosi essentiam habeant et quænam non habeant, dictum est sub prima tractatus parte.

Item alia multa circa easdem congregationes in tractatus decursu, data occasione, tradidimus. At quia dictæ congregationes hodie tot et tanti momenti sunt, pluribus gratum fore existimavimus, si de ipsarum relative ad Episcopos jure et conditione præcipuas, quæ difficultatem facere possent, quæstiones hic in unum colligeremus, et breviter recenseremus. Supponimus autem ejusmodi congregationes esse Ordinariorum jurisdictioni subjectas. Quamvis enim possit summus Pontifex exemptionis privilegium ad illas etiam congregationes extendere, id tamen fieri non solet. Quod si qua exemptionem obtinuisset, ei applicandum foret, quoad præsentem materiam, jus exemptorum ordinum, ut patet. His prænotatis, sit

Quæstio Iª. — *An dictæ congregationes Episcopo sint subjectæ quoad ipsarum constitutiones, a sede Apostolica approbatas?* — Respondendum negative. Et fuit resolutum quoad Oratorianos in celebri decisione a Benedicto XIV confirmata (constitutione *Emanavit*, 21 januarii 1758, tomo ultimo ipsius bullarii, appendice 3), in hunc modum : ad dubium I : *An congregatio sit omnimode subjecta Reverendissimo Archiepiscopo, in modo, forma, assumptis et materiis?* Responsum est : *Ad primum, af-*

Digitized by Google

firmative, excepto ejus instituto, sive iis de quibus loquentur constitutiones congregationis.

Colligi etiam potest ex ipsa vi Pontificiæ approbationis. Hoc ipso enim quod Pontifex institutum approbet, vult congregationem cum hac instituti forma posse existere. Consequenter nulla auctoritas, Pontificia inferior, jure sic existendi, seu constitutiones prout approbatæ sunt retinendi, congregationem privare potest.

Conclusio autem vera remanet, sive congregatio vota perpetua habeat et religiosi status essentiam, sive habeat tantum vota temporaria, aut nulla.

Hinc nequit Episcopus ullam immutationem in ejusmodi congregationum constitutionibus decernere aut exigere.

Nota. Si institutum ab Ordinario duntaxat fuisset approbatum (1), num penes eumdem remaneret illud immutandi facultas, mihi non plane liquet. Quæstionem aliis enucleandam relinquo.

Quæstio IIª. — *An et quatenus dictæ congregationes ab Episcopo dependeant quoad bonorum suorum temporalium administrationem?* — 1° Ad alienationes quod attinet, ejusdem conditionis sunt ac religiosi ordines qui solemnia vota nuncupant. Nempe ad alienandum immobile valoris plusquam modici, vel mobile pretiosum, beneplacito Apostolico indigent : ad alienandum immobile valoris modici, ipsis necessaria est Episcopi licentia. Vide quæ diximus supra (parte 5, sect. 4, subsect. 2).

2° Reliqua vero, præter dictas alienationes, rei temporalis administratio penes ipsam congregationem remanet, absque ulla ab Episcopo dependentia. Ita ut non teneantur ejusmodi virorum congregationes dictæ administrationis Ordinario rationem reddere, nec libros computorum et expensarum quantitatemve suarum pecuniarum aut possessionum ei pandere. Id

(1) Equidem de jure communi prohibita est cujuslibet novi religiosi instituti, etiam vota non habentis, creatio et approbatio, præterquam a sede Apostolica ; sed prout parte 2 diximus, videtur jam contraria consuetudo legitima, et curiæ Romanæ praxi firmata.

Digitized by Google

jam probavimus supra (parte 5, sect. 4, subsect. 2, cap. 1).

Quæstio IIIª. — *An dictæ virorum congregationes ab Episcopo dependeant quoad membrorum admissiones, eorumdem expulsiones, superiorum electiones et nominationes ad alia officia congregationis?* — Respondendum est negative. Id decisum est quoad Oratorianos in hunc modum : 4° *An interiores œconomiæ congregationis quoad expensas et computa, necnon electiones præpositorum, nominationes, admissiones et expulsiones presbyterorum, sint subordinatæ directioni Archiepiscopi?* Responsum est : *ad quartum, negative in omnibus* (vide bullam *Emanavit*, 21 januarii 1758, in qua Benedictus XIV decisiones illas confirmavit. In ipsius bullario ad calcem tomi ultimi, appendice 3). Cum Oratoriani non sint exempti, et status religiosi essentiam non habeant, quod de ipsis decisum est, applicandum venit cæteris virorum congregationibus non exemptis, sive vota non habeant, sive vota simplicia habeant.

Idem autem sequitur ex Pontificia, quam supponimus, ejusmodi congregationum approbatione. In ipsarum enim constitutionibus dictæ admissiones, expulsiones, electiones et nominationes, non ab Episcopo, sed ab ipsa congregatione, prout supponimus (1), peragendæ statuuntur. Cum ergo Pontifex ejusmodi constitutiones approbat, hoc ipso congregationi jus tribuit ut juxta earum normam sese regat. Consequenter nequit Episcopus hocce jure congregationem privare.

Quæstio IVª. — *Quando in hisce congregationibus oritur contentio de legitima superiorum electione, an Episcopus sit judex competens ad causam dirimendam?* — Episcopum esse competentem judicem, non tamen procedere posse curiam episcopalem, nisi ad ipsius tribunal a congregationis membro aliquo delata causa fuerit, decisum est quoad Oratorianos Limanæ archidiœcesis, pro sequenti casu : 7° *An Archiepiscopus sit judex competens in causa nullitatis electionis ad præposituram,*

(1) Secus dicendum foret, si congregationis constitutiones aliquas in hac re partes Episcopo tribuerent. Tunc scilicet jus haberet Episcopus in iis actibus interveniendi, eo modo quem constitutiones exprimerent.

Digitized by Google

et promotor fiscalis de ea jure agere valeat; prout etiam pro observantia omnium constitutionum? Responsum est: *Ad septimum, affirmative quoad primam partem: quo vero ad secundam, promotorem fiscalem agere non posse ex officio et nullo ex sacerdotibus congregationis instante pro nullitate electionis: quo vero ad tertiam, negative* (vide sæpe citatam bullam *Emanavit* Benedicti XIV, 21 januarii 1758). Qua præmissa decisione, videtur quæstio sic solvi posse:

1° Si agatur de electione superioris localis, quæ facta sit ab ipsa loci communitate, videtur ad Episcopum pertinere judicium de prætensa nullitate, instante tamen aliquo hujus communitatis membro. Applicanda enim tunc videtur citata decisio. Præterea cum illa communitas ordinariæ jurisdictioni Episcopi subsit, et agatur de actu ab ipsa communitate expleto, non est cur episcopale tribunal non sit competens, si ab interesse habentibus adeatur. Non tamen procedere poterit Episcopus antequam ab interesse habentibus justitia ab ipso postuletur. Cum enim ejusmodi electiones, non ad ipsum sed ad communitatem pertineant, in iis sese immiscere nequibit, nisi quatenus lis de earumdem legitimitate, in ipsius curia, ab interesse habentibus introducta fuerit. Atque id firmare videtur citata decisio.

2° Si agatur de electione superioris generalis, vel etiam de electione superioris localis, sed facta a generali præposito, vel a generali capitulo, et congregatio in pluribus diœcesibus domos habeat, non videtur causa nullitatis dirimi posse ab Episcopo. Nam quod generalis superior sit necne legitime electus, tangit interesse, non tantum communitatis talis diœcesis, sed etiam communitatum in aliis diœcesibus existentium. Hinc ut posset Episcopus, ad quem causa deferretur, litem dirimere, deberet jurisdictionem habere in domos etiam aliarum diœceseon; qua tamen jurisdictione caret: et applicanda venit ratio hæc quando agitur de superiore locali, quem constituit superior generalis vel capitulum generale, in alia diœcesi existens. Hinc mihi videretur, salvo meliori judicio,

Digitized by Google

causam nullitatis in hoc casu dirimi non posse nisi a sede Apostolica, vel aliquo ipsius delegato.

Quæstio Vª. — *An dictæ congregationes ab Episcopo dependeant quoad constitutionum suarum observantiam?* — In dubio septimo supra relato vidimus responsum fuisse : *quo vero ad tertiam partem, negative.* Tertia autem pars dubii hujus versabatur circa observantiam constitutionum : « An Archiepi-« scopus sit judex competens in causa nullitatis electionis ad « præposituram, et promotor fiscalis de ea agere valeat; *prout* « *etiam pro observantia omnium constitutionum?* » Cum autem decisio hæc lata fuerit quoad Oratorianos, qui nec sunt exempti, nec status religiosi essentiam habent, applicanda videtur cæteris virorum congregationibus non exemptis, et votorum solemnitate carentibus. Dicendum ergo generatim quoad illas congregationes, Episcopum judicem competentem non esse circa constitutionum observantiam ; et consequenter episcopalem curiam pro urgenda illa observantia non posse agere. Ratio autem dictæ decisionis facile introspicitur : nimirum si posset Episcopus contra infractiones constitutionum juridice agere, hoc ipso posset de vero sensu illarum constitutionum pronuntiare, seu illas constitutiones auctoritative interpretari. Existentibus autem in variis diœcesibus dictarum congregationum domibus, facile contingeret ut alii alio modo Episcopi easdem constitutiones interpretarentur et servandas urgerent. Ex quo dissolveretur et periclitaretur totius congregationis unitas et instituti integritas. Proinde ex hoc ipso quod sedes Apostolica regulas et constitutiones alicujus congregationis ap probet, hoc ipso sibi interpretationem reservasse censenda est.

Quæstio VIª. — *Quomodo dictæ virorum congregationes ab Episcopis dependeant, quoad novos conventus fundandos et conservandos.* — 1° Quod nequeant in aliqua diœcesi novum conventum sibi constituere, nisi obtenta ab hujus diœcesis Episcopo licentia, omnino tenendum est. Cum enim licentiam hanc necessariam decreverit Tridentina synodus quoad exemptos

Digitized by Google

etiam ordines, a fortiori ea indigebunt virorum congregationes de quibus loquimur.

2° Semel autem legitime constituto in aliqua diœcesi conventu, jam non poterit Episcopus conventum hunc supprimere, seu congregationem jure ibi conventualiter existendi spoliare. Nam sedes Apostolica institutum hujusmodi approbando, hoc ipso jus ei confert per varias mundi partes sese propagandi; et solummodo explenda remanet conditio de jure communi requisita, ut pro qualibet nova fundatione interveniat Ordinarii consensus. Unde, expleta hac conditione, id est, semel obtento Episcopi loci consensu, jus conventualitatis in illa diœcesi congregationi acquiritur vi Pontificiæ approbationis. Jam ergo nequibit Episcopus ille, aut ullus ejus successor, conventum supprimere. Sed, si forte suppressio necessaria videbitur, ad sedem Apostolicam recurrendum erit.

Quæstio VII^a^. — *Quatenus possit seminariorum regimen dictis congregationibus committi.* — 1° Si qua ex dictis congregationibus ad regendum juxta Tridentinam legem seminarium vocaretur, et ipsa conditionem acceptaret, necessarius non foret sedis Apostolicæ interventus. Sed tunc regi ab Episcopo deberet seminarium *quoad spiritualia* cum adhibito consilio commissionis, duobus canonicis constantis, in officio suo amovibilibus; ad quos pertineret deliberare cum Episcopo, de statuendis seminarii regulis, de electione magistrorum, de eorumdem amotione, de libris in docendo legendis seu adhibendis, et aliis similibus. Item pro *temporali administratione* adhibenda foret alia commissio, duobus canonicis et duobus aliis presbyteris e clero civitatis constans. Quam Tridentinam legem fuse exposuimus in tractatu *de Capitulis*, pagina 470 et sequentibus.

2° Religiosæ autem congregationes vix possunt sub hisce conditionibus seminariorum regimen acceptare, obstante proprii cujusque instituti norma. Sed ad suscipiendum ejusmodi regimen pacisci solent, ut, exclusis dictis commissionibus,

Digitized by Google

liberam sub Episcopi auctoritate habeant seminarii directionem, nec possint, nisi ex justa causa, removeri.

3° Cum vero per ejusmodi pactum juri communi derogetur, et lædantur jura capituli, consequens est ut valide iniri nequeat ex sola Episcopi auctoritate. Non enim potest Episcopus contra universalem Ecclesiæ legem quidquam valide statuere.

4° Hinc quando alicui religiosæ communitati seminarii regimen, cum dictis juri communi derogationibus, committendum est, omnino de jure communi necesse est ut interveniat Apostolica auctoritas, pactum approbando et confirmando. Facile autem ejusmodi postulatis annuere solet sedes Apostolica, testante experientia, quanto cum cleri et rei catholicæ proventu religiosæ congregationes hocce tanti momenti munere defungi soleant.

5° Semel autem firmato Apostolica auctoritate contractu, jam nequit congregatio, nisi ex justa causa et facto desuper legitime processù, a seminarii regimine, sive ab Episcopo qui contraxit, sive ab ejus successoribus, amoveri.

6° Invaluit in Gallia consuetudo, ut absque sedis Apostolicæ interventu dictis congregationibus, prætermissa Tridentini decreti norma, regenda seminaria committantur. Sola nempe auctoritate sua Episcopus ad seminarii regimen congregationem admovet et removet. Atque hinc exurgit salebrosa quæstio, an praxis hæc contra Tridentinam legem legitime præscripsisse censenda sit. De quo vide quæ diximus in tractatu *de Capitulis* (pag. 497 et seq.).

Quæstio VIIIª. — *Quatenus dictarum congregationum presbyteri parochialibus ecclesiis præfici valeant ?* — Diximus supra non posse regulares, absque Pontificia dispensatione, in rectores beneficiorum curatorum sæcularium nominari. Id vero, utpote anterioris juris communis correctivum, stricte interpretandum, seu intelligendum de regularibus *stricte dictis*. Porro tales non sunt presbyteri congregationum, quæ status religiosi essentiam non habent, verbi gratia, Sulpiciani et Lazaristæ ; quos certum est esse de corpore sæcularis cleri. Hinc poterunt isti, nisi proprium institutum obstet, cum sui supe-

Digitized by Google

rioris licentia, in parochos deputari. Sed et idem dicendum videtur de congregationibus, quæ tria quidem vota perpetua simplicia et alia ad essentiam status religiosi requisita habent, sed carent votorum solemnitate. Nam in stricto sensu, regulares vocari solent illi, qui per solemnium votorum emissionem profitentur.

Quæstio IXª. — *An dictarum congregationum presbyteri valeant simplicia beneficia, necnon alia ecclesiastica officia obtinere?* — 1° De congregationibus quæ status religiosi essentiam non habent, non est difficultas. Nimirum cum superioris licentia, et nisi obstet proprii instituti norma, non secus ac sæculares cæteri presbyteri, canonicatus, dignitates, capellanias, aliaque simplicia beneficia, et ecclesiastica officia consequi poterunt. 2° Si autem status religiosi essentiam habeant, licet cum solis votis simplicibus, occurrit dubium, num eos attingat juris dispositio quæ prohibet, ne beneficia simplicia sæcularia regularibus conferantur; cujus difficultatis solutionem hic omittendam duximus. Etenim in praxi, etiamsi jure non prohiberentur, tamen prohibentur a proprio instituto, cum ejusmodi simplicibus beneficiis plerumque incompatibili.

Quæstio Xª. — *An dictarum congregationum presbyteri pro audiendis confessionibus, non tantum exterorum, sed etiam confratrum, debeant jurisdictionem ab Ordinario recipere?* — Respondendum affirmative, nisi in ipsorum instituto a sede Apostolica confirmato, expresse caveatur posse confratrum confessiones audiri ex sola superiorum congregationis facultate. In ordinibus quidem vota solemnia habentibus religiosi confessarii jurisdictionem a Papa per suos prælatos recipiunt, ita ut pro absolvendis confratribus sufficiat regularis prælati licentia; pro absolvendis vero sæcularibus, accedere debeat insuper *approbatio* Ordinarii : sed hoc habent sive ex propriis privilegiis, sive ex communicatione cum privilegiis aliorum ordinum. Congregationes autem de quibus loquimur, cum privilegiis religiosorum ordinum non communicant. Unde nisi unicuique sedes Apostolica facultatem hanc expresse concesserit, ea carere censenda erit.

Digitized by Google

APPENDIX

II

QUOMODO MONIALES GENERALI SUPERIORISSÆ SUBJECTÆ, AB ORDINARIO IN SINGULIS DIŒCESIBUS DEPENDEANT.

Dicemus 1° de difficultatibus quæ ex ista congregationum forma oriuntur relative ad Ordinarios : 2° quomodo difficultates illæ de jure communi solvendæ videantur.

CAPUT I.

DE DIFFICULTATIBUS QUÆ EX DICTA CONGREGATIONUM FORMA FACILE EXURGUNT RELATIVE AD ORDINARIOS.

QUÆSTIO 1ª. — *Num omnino recentes sint ejusmodi congregationes monialium, generali plurium conventuum superiorissæ subjectarum ?* — Olim perpaucæ exstabant monialium congregationes, quarum conventus unum sociale corpus efficerent, sub unius generalis superiorissæ regimine. Plerumque scilicet unius cujusque instituti monasteria *singularia* erant, id est, ab invicem independentia. Haud tamen existimandum est, nulla omnino superioribus sæculis occurrere hujusmodi congregationum, a generali superiorissa gubernatarum, exempla. Quatuor memorat Benedictus XIV, in sua constitutione *Quamvis justo* (30 aprilis 1749, tomo 3 ipsius bullarii) ; nimirum *Virginum anglicarum* pro quibus dictam constitutionem edidit; *Magistrarum piarum*, de quibus ibidem agit, § 21 ; ordinis *Fontebraldensis*, generali abbatissæ subjecti ; et similis *in civitate Burgensi* instituti. Multo major in hisce duobus posterioribus

Digitized by Google

abbatissæ generali competebat jurisdictio, quam in anglicarum Virginum congregatione; prout adnotat idem Benedictus XIV (in dicta bulla, § 17), in hunc modum : « Nec agitur de tali su-« periorissa generali, quæ amplam quamdam jurisdictionem « in subditas exercere, ipsaque ab ordinaria Episcopi aucto-« ritate exempta esse debeat; qualis esse asseritur superio-« rissa ordinis Fontebraldensis; pro qua prolixam scripsit « *apologiam* Joannes de la Mainferme, duobus justis volumini-« bus (editam Lutetiæ Parisiorum, anno Domini 1684), et de « qua plura reperiuntur in *Historia ordinum monasticorum*, « *religiosorum et militarium* (ibidem impressa anno 1721, « tomo 5, cap. 2); aut qualis est abbatissa Burgensis in Hispa-« nia, quæ capitulum generale in ipsa civitate Burgensi singu-« lis annis celebrare solet, et in plura monasteria regnorum « Castellæ et Legionis, suam jurisdictionem exercet; de qua in « *Annalibus cisterciensibus*, tomo 1, p. 225, et apud Thomas-« sinum, *de Veteri et Nova Disciplina*, parte 1, libro 3, cap. 68, « n. 12, multa habentur. » Rara tamen olim hujusce formæ institutorum exempla. Recentioribus vero temporibus, ortæ sunt (in Gallia præsertim) quamplurimæ monialium familiæ, quarum conventus omnes in variis diœcesibus constituti, dicta regiminis unitate inter se cohærent, et unicam generalem superiorissam agnoscunt.

Quæstio IIª. — *Quænam ex ista congregationum forma oriantur difficultates, relative ad diœcesanos singulorum conventuum Ordinarios?* — Supponimus dictas moniales ab ordinaria Episcoporum jurisdictione non fuisse Apostolica auctoritate exemptas. Et revera hocce exemptionis privilegium hodiernæ ejusmodi monialium congregationes non habent. Porro, seclusa exemptione, et speciali sedis Apostolicæ dispositione, gravissimæ revera oriuntur relative ad ordinariam Episcoporum jurisdictionem, difficultates.

Vidimus, de jure communi, posse Ordinarium prohibere ne absque suo consensu moniales in sua diœcesi existentes graviores administrationis actus peragant. Aliunde juxta suam

Digitized by Google

regulam tenentur istæ, de quibus nunc agimus, moniales generali suæ superiorissæ, quam extra diœcesim degere supponimus, obedire. Quid ergo juris, si actibus administrationis temporalis quos exequendos mandat superiorissa generalis, Ordinarius consentire recuset? Item an Ordinarius loci, in quo residet generalis superiorissa, et generale congregationis regimen, possit in rebus gravioribus temporalem totius congregationis administrationem regere, superiorissam cogendo ut talia et talia in variis etiam aliarum diœceseon conventibus disponat?

Pariter, vi ordinariæ suæ jurisdictionis, prohibere potest Episcopus, ne in diœcesis suæ conventu ullus alius Episcopus aut ulla alterius diœcesis monialis, quidquam ordinet aut disponat. Obstare potest, verbi gratia, ne diœcesis suæ moniales alio transferantur: item ne aliarum diœceseon moniales, in suæ diœcesis conventibus admittantur: item, ne ex congregatione expellantur: item ne conventui diœcesis suæ superiorissa præficiatur, alterius Episcopi aut alicujus monialis extra diœcesim existentis auctoritate: item de jure communi ab ipsomet conventu facienda foret ejusdem conventus superiorissæ electio, et jus haberet Ordinarius in hac electione certo modo interveniendi et auctoritatem interponendi. Jam vero, juxta constitutiones ejusmodi congregationum, hæc et alia multa, generali superiorissæ, vel soli, vel cum generali capitulo, expedienda tribuuntur. Aut ergo abstinere debebunt singulorum conventuum Ordinarii ab exercenda ordinaria sua, quam ex jure communi habent, jurisdictione, aut dissolvetur congregationis unitas. Quod ut in re particulari magis pateat, supponamus celebrandum esse, ad terminos instituti, generale totius congregationis capitulum, sive pro eligenda generali superiorissa, sive pro expediendis aliis gravioribus negotiis. Id si peragi nequeat, actum est de ipso instituto. Porro, attenta sua ordinaria jurisdictione, obstare possunt Episcopi, ne ullæ hujusce congregationis in sua diœcesi existentis moniales iter arripiant et extra diœcesim pergant. Sicque im-

Digitized by Google

possibilis evadet generalis capituli celebratio. Ex his et similibus difficultatibus satis patet, stare simul non posse in his congregationibus regiminis unitatem, et ordinariam illam Episcoporum in singulos earumdem congregationum conventus jurisdictionem, quam de jure communi haberent, si conventus isti *singulares* forent, id est, si quilibet conventus a quolibet alio independens foret.

Quæstio IIIª. — *Quid Benedictus XIV statuerit ad tollendas eas difficultates, quoad unam ex istis monialium congregationibus?* — In citata constitutione *Quamvis justo*, prænotat clarissimus Pontifex Virgines anglicas a sede Apostolica non esse approbatas, sed duntaxat toleratas, quamvis ipsarum regulæ approbatæ fuissent; ab eis emitti simplicia solummodo vota; extare apud ipsas generalem plurium conventuum superiorissam; cui etiam unaquæque monialis obedientiam jurat. Tum enarrat exortam controversiam inter unum ex istis conventibus, et Episcopum loci, atque eam solvit ut sequitur : « Cum Virgines anglicanæ in hoc (conventu) commorantes, speciem « quamdam exemptionis et independentiæ ab ipsius episcopalis « curiæ auctoritate sibi arrogare volentes, hoc inter alia obten- « derent, quod scilicet obedientiam suam hujusmodi generali « superiorissæ promiserant; (super quo, matura deliberatione « in prædicta congregatione habita, cum rescriptum fuerit ut « sequitur : *Septimo, nihil innovandum quoad superiorissam :* « *ejus tamen auctoritatem coercendam esse ad visitationem et* « *superintendentiam in materia educationis puellarum,* « *translationem virginum de uno in alium locum ; accedente* « *debita subordinatione in prædictis ab Ordinariis locorum,* « *prout latius explicabitur a Sanctitate Sua in constitutione* « *suis tempore et loco edenda*); Nos hujusmodi rescriptum, et « tunc oretenus approbavimus, et nunc præsentis constitutionis « auctoritate, *juxta modum tamen mox declarandum*, confir- « mamus et ratum habemus...

« Agitur de superiorissa *generali* nuncupata, cujus facultates « circa res parvi momenti versantur; quæque nullam, quan-

Digitized by Google

« tumvis parvam, facultatem exercere debet, independenter ab « ordinaria auctoritate eorum Præsulum, in quorum diœcesibus « existunt instituti sui conservatoria ; quæ omnia et singula, ut « supra dictum est, ordinariæ eorumdem Præsulum jurisdic- « tioni immediate subjecta sunt et esse debent.

« Huic igitur generali superiorissæ minime licebit virginem « ullam ad supradictorum votorum professionem admittere, aut « professiones hujusmodi recipere, nisi prius ipsi ab Episcopo « necessaria facultas ad hunc effectum... concessa fuerit. In « monasteriis enim et conservatoriis Episcopo immediate sub- « jectis, secundum canonicam regulam, professiones fieri « debent in manus vel Episcopi, vel illius quem, vel *quam*, « ipse ad eas recipiendas delegaverit (cum enim agatur de actu « non ordinis, sed jurisdictionis, mulier quoque potest ad il- « lum delegari) : quæ regula apud omnes ecclesiastici juris « auctores sine contradictore recepta, desumpta est ex capite « *Consuluit* (sub titulo *Qui clerici vel voventes*), ubi prædeces- « sor noster Alexander Papa III ita scribens, *nec in manus ali- « cujus Episcopi, abbatis, vel abbatissæ, aut super altare « professa est, vel obedientiam promisit*, eorum enumeratio- « nem fecisse censetur, qui professiones personarum sibi res- « pective subjectarum recipere debent.

« Eidem tamen generali superiorissæ licebit, prævio expresso « diœcesani Præsulis assensu, conservatoria seu domos « visitare, et an in ipsis omnia ad propriarum constitutionum « rectæque disciplinæ normam gerantur, et quomodo puella- « rum institutio ac profectus promoveatur, diligenter cognos- « cere... Ad quem (1) post visitationem, de omnibus relatio « fieri debebit... Eadem quoque poterit magistras et virgines de « uno in aliud conservatorium transferre... ; habita tamen ad « hujusmodi translationes pro tempore exequendas, licentia et « facultate illius ordinarii Præsulis, seu illorum, in cujus, vel « quorum diœcesi ipsa conservatoria respective sita repe- « riuntur.

(1) Nempe loci Episcopum.

Digitized by Google

« Ipsius itaque generalis superiorissæ auctoritate intra hu-
« jusmodi limites conclusa, et ad terminos œconomicæ cujus-
« dam providentiæ, nec nisi cum perpetua dependentia ab or-
« dinaria Episcoporum auctoritate exercendæ, redacta; merito
« sperandum est, absque illius officii abolitione..., ex Vir-
« ginum anglicanarum... instituto, licet ab Apostolica sede
« tolerato duntaxat, sed non approbato.., uberes optatæ utilita-
« tis fructus collectum iri. »

Subjungit Pontifex non obstare juramentum obedientiæ superiorissæ generali a monialibus præstitum, « cum hujusmodi « juramenta nihil detrahere valeant Episcoporum auctoritati, « cui ipsæ subjectæ esse debent. »

Tandem adducit exemplum *Magistrarum piarum*, necnon *Magistrarum sanctarum*, in statu Pontificio. « Utraque societas « singulis trienniis, coram proprio directore spirituali congre- « gata, suam sibi eligit generalem superiorissam, aliasque « officiales, consultrices nuncupatas. Cui quidem superiorissæ « generali omnes ejusdem instituti magistræ subjectæ sunt et « obediunt, in iis omnibus quæ ad scholarum regimen earum- « que progressus pertinent. Ipsa vero statis temporibus scholas « omnes instituti sibi subjecti visitando perlustrat, quamvis in « diversis diœcesibus existant. Quæ quidem cum sine detri- « mento jurisdictionis Ordinariorum..., et sine ipsorum que- « rela pacifice exerceantur, merito judicari visum est, angli- « carum quoque Virginum institutum, firmo remanente, ut « præfertur, officio generalis superiorissæ..., non modico adju- « mento esse posse. »

Quæstio IVª. — *Num quoad hodiernas ejusmodi monialium congregationes sufficiens ad præcavendas difficultates censenda sit præmissa Benedicti XIV provisio?* — Merito sufficiens clarissimo Pontifici visus fuit is lites et conflictus componendi ac præcavendi modus, quoad *Virginum anglicanarum* institutum. Etenim perpauci erant et in perpaucis diœcesibus ipsarum conventus ; prout et *Magistrarum piarum*.

Atvero hodie, ejusmodi monialium congregationes, conven-

Digitized by Google

tuum et exercendorum piorum operum multitudine valde excreverunt ; ut adeo dubitari forte possit, an cum tot diœceseon, in quibus domos habent, Ordinariis, pacifice ac sine ipsarum congregationum detrimento, omnia processura sint, si ad normam præmissæ Benedicti XIV ordinationis, totum regimen aptari debeat. Quia tandem juxta illam dicti Pontificis provisionem, generalis superiorissa nihil omnino potest *absque Ordinariorum licentia :* Ordinariis autem liberum est hanc licentiam denegare ; ita ut possint, verbi gratia, obstare ne generalis superiorissa conventus visitet, moniales alio transferat, et alia ejusmodi ordinet. Quod si Ordinarii opportunas ejusmodi licentias non concedant, et jure suo uti velint, solvetur totius congregationis unitas, et peribit institutum.

Quamvis autem expectandum potius sit benevole plerumque Ordinarios hac in re processuros, experientia tamen edocet, frequentes inde oriri difficultates et conflictus. Imo et ipsa sedes Apostolica modernioribus temporibus, rem aliter quoad plures ejusmodi congregationes componendam, et efficacius ipsarum unitati ac conservationi providendum existimavit ; prout sub sequenti quæstione exponitur.

Quæstio V^a^. — *Quomodo jam ab aliquanto tempore sedes Apostolica dictis congregationibus aliter providere cœperit.* — Agendo supra de virorum ordinibus, qui sub unius superioris generalis regimine in unum sociale corpus coeunt, diximus eos vix posse existere absque aliqua ab Ordinariis exemptione : alias enim tot haberent superiores generales, ab invicem independentes, quot extarent Ordinarii, in quorum diœcesibus habitarent ; et sic dissolveretur ordinis unitas, ordoque ipse rueret. Porro eadem unitatis socialis forma in præfatis monialium congregationibus, aliquid simile suapte natura expostulat, ob easdem rationes. Esseque eam sedis Apostolicæ mentem innuunt jam haud paucæ dispositiones. Institutum, verbi gratia, sororum ab *Immaculata Conceptione* nuncupatarum, a sede Apostolica approbatum, hæc continet : « L'institut « des sœurs de l'Immaculée-Conception est placé sous la pro-

Digitized by Google

« tection de la Sacrée Congrégation de la Propagande. La « supérieure générale qui, comme religieuse et supérieure lo- « cale, dépend immédiatement de son Ordinaire, *dépend de la « même Sacrée Congrégation en ce qui concerne le gouverne- « ment de l'institut*... Dès qu'elle sera élue, elle écrira à la « même S. Congrégation, pour lui notifier son élection et im- « plorer humblement, par son entremise, la bénédiction Apo- « stolique. La supérieure générale, après avoir visité les « maisons et les établissements des sœurs, devra envoyer à « la S. Congrégation un état détaillé de l'institut, tant pour « le temporel que pour le spirituel. Elle ne pourra faire au- « cun changement aux constitutions sans l'approbation de la « S. Congrégation. » (*Règles et const.*, 1re partie, const. 2.) « La supérieure générale... nomme les supérieures de tous « les établissements, fait passer les sujets d'un lieu à l'autre... » (Ibid., art. 28.) « Elle ne peut transférer la maison mère d'un « lieu dans un autre sans l'avis de la majorité du conseil et « des supérieures des maisons de France, et sans le consen- « tement de la S. Congrégation de la Propagande. » (Ibid., 2e partie, const. 1, art. 27.) Moniales ergo istæ, quoad ea præsertim quæ totius congregationis regimen concernunt, nec respectivis conventuum Ordinariis, nec Ordinario domus principalis in qua degit generalis superiorissa, sed S. Congregationi Propagandæ subjiciendæ visæ sunt. Et revera vix intelligitur quomodo Ordinarius, cujus potestas diœcesis suæ fines non excedit, valeat de iis decernere, quæ omnium simul conventuum seu totius congregationis interesse et gubernium tangunt. Unde necesse est, vel liberum ejusmodi congregationibus relinqui generale regimen, vel subjici eas quoad hoc alicui superiori, Apostolica auctoritate deputato, cujus auctoritas, vi hujusce deputationis, ad omnium diœceseon conventus sese extendat. Et hoc exigit ipsamet forma ejusmodi congregationum, ex multis conventibus conflatarum.

Item sorores *a Bono Pastore*, quarum principalis domus exstat Andegavi, Cardinalem protectorem habent, cui hæc

Digitized by Google

attribuuntur (constitution 32) : » Cette congrégation... sera « toujours soumise à la protection, à la correction et au gou- « vernement d'un des Cardinaux de la sainte Eglise romaine... « Il aura droit de visite et présidence partout où il se trou- « vera en personne, et jugera en dernier ressort de toutes les « difficultés ou causes concernant la congrégation. » Nec grave Episcopis videri debet, quod sic illæ moniales ab ordinaria ipsorum jurisdictione ex parte eximantur.

Nisi enim id aliquatenus fiat, exurgent (experientia teste) difficultates, regiminis unitatem facile in discrimen adducentes, quasque nullus Episcopus (utpote in aliarum diœceseon conventus jurisdictionem non habens) componere potest. Hinc opportunissimum, ne dicam necessarium, alicujus auctoritatis in omnes simul conventus jurisdictionem habentis, id est alicujus Pontificii delegati interventum, satis arguunt et dicta sedis Apostolicæ praxis, et hujusmodi congregationum forma. An autem magis expediat, ut in ejusmodi delegatum deputetur aliquis Cardinalis protector, vel Nuntius Apostolicus, vel aliqua e Romanis Purpuratorum congregationibus, vel aliquis Episcopus illius regionis in qua præcipue exstant ejusmodi monialium conventus, vel aliquis presbyter degens prope domum principalem quam incolit generalis superiorissa, et quæ in caput totius ordinis constituta est, non decet a privato scriptore pronuntiari : præsertim cum id a circumstantiis plurimum pendeat, ut patet.

CAPUT II.

QUOMODO DICTÆ DIFFICULTATES SOLVENDÆ VIDEANTUR DE JURE COMMUNI, QUANDO SEDES APOSTOLICA NIHIL HAC DE RE QUOAD ALIQUAM EJUSMODI CONGREGATIONEM DISPOSUIT ?

Propositio I^a^. —*Dictis congregationibus, sub unius generalis superiorissæ regimine constitutis, competere videtur plena*

Digitized by Google

et libera rei temporalis administratio (1). — Intelligimus nempe etiam in rebus gravioribus non requiri consensum Ordinarii diœcesis in qua domus principalis sita est, nec aliorum Ordinariorum pro aliis respective conventibus. Conclusionem autem sic probamus :

1° Quod regulariter loquendo necessarius sit Ordinarii consensus pro gravioribus administrationis actibus, non provenit ex episcopali jurisdictione : nam, ut toties diximus, administratio bonorum temporalium non pertinet ad potestatem jurisdictionalem, sed ad potestatem dominativam, seu ad eos qui dominium habent. Dominium autem bonorum de quibus hic quæstio est, stat *primario* penes summum Pontificem, *secundario* penes ipsam congregationem ; nullatenus vero penes Ordinarium.

2° Equidem *consuetudine* inductum est, prout tradunt Tamburinus et Pellizarius, ut tenerentur moniales Ordinarii consensum habere pro gravioribus administrativis actibus, atque eidem Ordinario administrationis rationem reddere. Quæ consuetudo, atque jus Ordinariorum ex ea jamdudum ortum, omnino cedit in utilitatem et tutamen earum monialium, quæ in conventibus ab invicem independentibus degunt. Merito enim moniales minus aptæ præsumuntur quam religiosi ad recte administranda bona sua, et præcavenda damna. Unde optimo consilio ipsis quasi de tutore provisum est, per dictam ab Ordinario in gravioribus administrativis actibus dependentiam.

3° Atvero si agatur de conventibus in unam congregationem coeuntibus, is Ordinarii interventus, nedum utilis foret, in summum totius congregationis impedimentum et inextricabilem perturbationem cederet. Nam regiminis unitas postulat, ut singulorum conventuum moniales, in modo administrandi a superiorissa generali dependeant, ut per se patet : ergo ne-

(1) Excipimus semper immobilium et mobilium pretiosorum alienationes, quæ fieri nequeunt nisi obtento beneplacito Apostolico, ut supra dictum est.

Digitized by Google

queunt simul ab Ordinario loci quoad illud idem dependere; alias dissensionibus et conflictibus aperitur janua; vel cogetur superiorissa generalis rem totam relinquere variorum Ordinariorum arbitrio; ex quo fiet, ut aliis aliter conventus illos in re temporali gubernantibus, dissolvatur congregationis unitas, et impediatur finis ad quem instituta est. Præterea, in hypothesi quod Ordinario loci subjiciatur conventus, pro gravioribus administrationis actibus, hac lege etiam constringetur domus, quæ est totius congregationis caput, et in qua degit superiorissa generalis. Ergo superiorissa illa tenebitur rem temporalem in omnibus congregationis conventibus regere, eo modo quo suus ipsi Ordinarius injunxerit. Aliunde tamen cæterorum conventuum Ordinarii eodem jure poterunt hisce ordinationibus, e principali domo expeditis, obsistere: et ecce iterum conflictus et confusio. Ergo revera quando agitur de conventibus congregationem constituentibus, dictum jus Ordinarii, quo ipsius consensus pro gravioribus administrationis temporalis actibus requiritur, non in ædificationem, sed in destructionem cederet : ergo consuetudo, ex qua jus illud Ordinariorum ortum est, non censenda est vim habere, nisi quoad conventus ab invicem independentes, vel quoad congregationes intra diœcesis unius fines conclusas : quia intellecta de congregatione per varias diœceses diffusa, consuetudo hæc foret nociva.

4° Idem argui posse videtur ex eo quod dictæ monialium congregationes a sede Apostolica (ut supponimus) suarum constitutionum seu regularum approbationem obtinuerint (1). Etenim hoc ipso quod sedes Apostolica ejusmodi constitutiones approbet, vult hoc ipso congregationem ad normam earum

(1) Jam supra monuimus, quoad ejusmodi moniales, clausura et votis solemnibus carentes, solere a sede Apostolica concedi regularum seu constitutionum approbationem, quin tamen ipse ordo seu institutum *approbetur*. Imo solet tunc constitutionum approbationi addi clausula hæc aut similis : *citra tamen approbationem conservatorii*. Et sic, quamvis approbatis ipsorum constitutionibus, moniales illæ remanent *toleratæ*, non *approbatæ*.

Digitized by Google

constitutionum existere posse ac regi. Ergo vult a nullo impediri posse ea, sine quibus stare nequit congregationis unitas et constitutionum substantia. Jam vero imprimis ad id necessarium videtur, ut rei temporalis administratio non stet penes singulorum conventuum Ordinarios. Nam ad ejusmodi congregationum conservationem et propagationem necesse est ut de pecuniis a variis conventibus acquisitis disponi possit, tum ad novorum conventuum fundationem, tum ad manutenendos alios qui nondum sibi sufficiunt, tum ad expediendas moniales in longinquas infidelium regiones, tum denique ad varias communis regiminis expensas. Quæ si fieri nequeant, ruet tota congregatio, aut certe a proprio suo instituto deficiet. Jam vero si rei temporalis in unoquoque conventu administratio ab Episcopo loci dependeat, hæc omnia præpediri poterunt. Poterit nempe quilibet Ordinarius prohibere, ne suæ diœcesis moniales ullas extra diœcesim pecunias mittant. Sit in exemplum, verbi gratia, sororum *a Sacratissimo Corde* nuncupatarum institutum, adeo hodie prosperum et rei catholicæ frugiferum. Postuletur ab ipsis num existiment permanere posse ipsarum congregationem, si res temporalis ab uniuscujusque conventus Ordinario ordinanda sit atque disponenda. Haud dubium quin respondeant actum fore de suo instituto, ex quo id ab ipsis exigeretur. Secus dicendum, si ab uno duntaxat superiore, jurisdictionem in omnes ipsarum conventus habente, dependerent. Quandiu ergo sedes Apostolica ejusmodi generalem superiorem ipsis non assignavit, concludendum, eam esse ejusdem sedis voluntatem ut rei temporalis administratio penes ipsam congregationem maneat. Alias enim sedes Apostolica sibi contradiceret, constitutiones scilicet approbando, et simul subjectionem relinquendo cum qua constitutiones illæ observari, et congregatio stare nequeunt.

Objicies 1°. — Hac doctrina læditur jurisdictio Ordinarii. — Respondeo non lædi illam jurisdictionem, quia temporalium communitatis bonorum administratio non pertinet ad potesta-

Digitized by Google

tem jurisdictionalem Episcopi ; sed per se, et seclusa consuetudine contrarii juris inductiva, tota staret penes ipsam communitatem. Jam vero consuetudo hæc vim habere nequaquam censenda est in iis casibus, in quibus nociva foret. Foret autem nociva, si ad conventus in unam congregationem coeuntes extenderetur, ut probatum est.

Objicies 2°. — Careret Ordinarius potestate necessaria ad coercendos excessus, qui circa rei temporalis administrationem tam facile in monialium conventibus contingere possunt. — Negatur, quia *ratione delicti* in administratione commissi, administratio hæc cadit sub *jurisdictionem* Ordinarii, ut supra dictum est : unde potest tunc Ordinarius de administratione cognoscere, et excessus coercere.

Objicies 3°. — Inconveniens est quod valeant ejusmodi feminæ pro libitu, et absque dependentia ab Episcopis, de ingentibus pecuniæ copiis disponere, et maximi momenti contractus inire. — Respondeo : *primo*, in casu abusuum seu excessuum non sunt independentes ; sed Ordinarius loci, in quo excessus committitur, potest eum coercere, ut dictum est ; quia quælibet administrativa dispositio, statim ac delicti rationem induit, hoc ipso sub Ordinarii jurisdictionem cadit. *Secundo*, dictum inconveniens occurreret quidem in conventibus ab invicem independentibus ; si ii majoris momenti contractus, superiorissæ localis et aliquarum ejusdem conventus feminarum prudentiæ relinquerentur. At inconveniens illud multo minus est in congregationibus de quibus agitur : quia in iis ex instituto cavetur, ut superiorissæ generali assistant moniales prudentia et negotiorum experientia insignes : imo in multis ejusmodi institutis graviora hæc negotia generali totius congregationis capitulo seu supremo concilio reservantur. Porro nemo non videt quam apta sint hæc ad arcendum dilapidationis abusuumve periculum. *Tertio*, ut dicto inconvenienti occurratur, non prodest ejusmodi monialium a singulis Ordinariis in rei temporalis administratione dependentia ; quia sic potius confusio et conflictus expectandi forent ut

Digitized by Google

dictum est : sed subjicienda erit tota congregatio alicui prælato, sedis Apostolicæ auctoritate munito, qui potestatem quoad hoc ab Ordinariis locorum independentem habeat, ut diximus.

Objicies 4°. — Opinio hæc contradicit doctrinæ Benedicti XIV, qui Virginum anglicanarum congregationem, etsi generali superiorissæ subjectam, bene stare posse existimavit, salva omnino Ordinariorum in singulos conventus plena jurisdictione. — Respondeo dictam congregationem haud fuisse ejusdem conditionis ac hodiernæ congregationes de quibus loquimur. Paucos enim conventus habebat; et attentis circumstantiis prudenter existimatum est, eos prospere stare posse, si generalis superiorissa, nomine potius quam re talis existeret. Visum nempe est hosce conventus potius singulares esse, quam veræ et propriæ dictæ congregationis membra : aut saltem visum est haud adfuturum inconveniens, si proprie dicta ipsorum unitas solveretur. Atvero hodiernarum de quibus agimus congregationum eæ sunt constitutiones, ea extensio, ea piorum quibus ex instituto vacare debent operum natura, ut dictæ Benedicti XIV dispositioni adigi posse non videantur, quin hoc ipso dissolvantur et intereant.

Propositio IIª. — *Penes ejusmodi congregationes stare etiam censenda est libera facultas, moniales ex uno in alium conventum transferendi, aliaque peragendi, quæ generale totius congregationis regimen respiciunt.* — Id evincere videntur allatæ supra rationes. Ejusmodi enim dispositiones de iis sunt, quas si nequeat ipsa congregatio facile peragere, nec in sua unitate et proprii instituti norma perstare poterit. Cum ergo, ex hypothesi, sedes Apostolica constitutiones approbaverit, hoc ipso velle censenda est, ut congregatio in hisce dispositionibus præpediri nequeat; seu, quod idem est, velle censenda est, ut congregatio a singulis conventuum Ordinariis non dependeat, quoad ejusmodi ordinationes, generale regimen respicientes, et ad ejusdem regiminis et instituti unitatem et prosperitatem necessarias.

Digitized by Google

Objicies. — Melius foret, si ejusmodi moniales quoad generale congregationis regimen sibi ipsis non relinquerentur, sed alicui superiori subjicerentur. — Id libenter concedam. At quoad dictum generale regimen, non possunt singulis simul suorum conventuum Ordinariis subjici, ut patet. Necesse ergo ut unus constituatur superior cum opportuna in omnes conventus jurisdictione; quam jurisdictionem nullus habere potest nisi ex Pontificia delegatione, cum singuli Episcopi extra diœcesim suam jurisdictione careant. Et hoc modo jam, ut supra exposuimus, disposuit sedes Apostolica pro quibusdam ex dictis monialium congregationibus.

Eæ vero, pro quibus nihil tale adhuc disposuit, videntur nihilominus, ob dictas rationes, liberam habere et a singulis conventuum suorum Ordinariis independentem, rei suæ temporalis administrationem, necnon liberam pariter facultatem ea ordinandi, quæ generale totius congregationis regimen respiciunt, et ab ipsarum constitutionibus, a sede Apostolica approbatis, præscribuntur. Quæ mea opinio, si vera sit, concludendum est, multo majorem esse, de jure communi, relative ad Ordinarios, dependentiam conventuum *singularium*, quam eorum qui in unam congregationem, sub unius generalis superiorissæ auctoritate, coeunt.

Digitized by Google

PARS VI

DE JURE REGULARIUM AD INTRA.

Prout superiorem partem, *de jure regularium ad extra* inscripsimus, ita et huic, qua totus tractatus clauditur, *de jure regularium ad intra* titulus præfigitur. In illa scilicet eæ potissimum adductæ de regularibus quæstiones, quæ exterorum, Episcoporum præsertim, interesse atque auctoritatem attingunt : in hanc vero ea quæ internum potius religiosarum familiarum regimen respiciunt, rejecimus. In quibus expendendis hac utemur sectionum serie : 1° de potestate regendi, intra ipsosmet regularium ordines existente ; 2° de prælatorum regularium coercitiva seu judiciaria potestate; 3° de potestate regulares a votis et statu religioso solvendi ; 4° de regularibus statum mutantibus ; 5° de regularium obligationibus.

Digitized by Google

SECTIO I.

DE POTESTATE REGENDI INTRA IPSOSMET REGULARIUM ORDINES EXISTENTE.

Dicemus 1° de natura potestatis intra ordines religiosos existentis; 2° de illius potestatis subjecto; 3° de ejusdem potestatis objecto; 4° de propria superiorissarum, quæ monialibus præsunt, potestate.

CAPUT I.

DE NATURA POTESTATIS, INTRA REGULARIUM ORDINES EXISTENTIS.

Propositio I^a^. — *In ordinibus religiosis inter se differunt et sedulo distinguendæ sunt potestas dominativa et potestas jurisdictionalis.* — « Oportet animadvertere, nomine *jurisdic-* « *tionis,* in præsenti significari potestatem spiritualem ad claves « Ecclesiæ pertinentem, et consequenter a Christo Domino « datam vel derivatam, mediante Vicario suo vel aliis Episco- « pis. Per potestatem autem *dominativam* intelligi oportet « jus acquisitum religioni et prælatis ejus ad imperandum « religiosis et utendum operibus eorum, prout conveniens ju- « dicaverint. Quæ potestas, si in religione reperitur, non « pertinet ad claves, nec a Christo descendit per specialem « donationem ab Ecclesia factam, sed orta est radicaliter a « voluntate profitentium talem regulam, et se donantium re- « ligioni, cum promissione et obligatione obediendi secun-

Digitized by Google

« dum illam. Unde manifestum est talem potestatem, si est, « distinctam esse a potestate clavium, et consequenter a « jurisdictione proprie dicta et explicita ; quamvis impro- « prie et abusive loquendo vocari possit jurisdictio, exten- « dendo hanc vocem ad omnem potestatem imperandi et « cogendi, quam habet pater in filium et dominus in servum : « qui abusus vocis cavendus est, tum quia inducit ambigui- « tatem et confusionem ac dissensionem in verbis ; tum etiam « quia neque in jure canonico, nec in civili dicitur jurisdictio, « nisi potestas publica et politica, quæ a principe vel repu- « blica manavit. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 2, cap. 18, n. 5.)

Propositio IIª. — *In quolibet ordine religioso necessario adest potestas dominativa, a potestate jurisdictionis distincta?* — Hoc ipso nempe quod in aliqua congregatione adsit status religiosus, adest et potestas dominativa. « In statu religioso, « inquit Suarez (loco cit., n. 6), necessaria est in prælato « potestas gubernativa monasterii et suo modo gubernativa « singulorum religiosorum, et distincta a potestate jurisdi- « ctionis. »

Probatur 1°, ex traditione qua se religiosus Deo et religioni mancipat. Traditionem illam de status religiosi essentialibus esse probavimus sub prima tractatus parte. Jam vero per illam traditionem aliquod jus transfertur in religionem, ut per se patet : et jus illud est distinctum a jurisdictione ; quum non a concessione Papæ vel Episcoporum proveniat, sed a voluntate religiosi sese tradentis, et religionis traditionem acceptantis. « Usus autem illius juris est gubernatio personæ religiosi, seu « applicatio illius ad hæc vel illa opera, cum efficacia mora- « liter requisita ad bonum religionis et religiosi. Ergo illud « jus est quædam potestas gubernativa religiosi, distincta a « propria jurisdictione. » (Suarez, loco cit.)

Probatur 2°, ex eo quod status religionis sit status servitutis ; quod sic exponit Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 18, n. 6). « Status religionis est status servitutis, distinctus a

Digitized by Google

« statu subjectionis quem ex vi ecclesiasticæ jurisdictionis « omnes habent fideles. Ergo illi servituti respondet potestas « peculiaris dominativa, a propria jurisdictione distincta, imo « et separabilis ab illa. »

Probatur 3°, ex eo quod prælati religionum potestatem habeant religiosorum vota irritandi (1). Omnino enim certa est et extra controversiam hæc religiosorum superiorum potestas. Ex ea porro sic arguit Suarez (loco cit.) : « Illa irritatio non « fit ex jurisdictione ; ergo est ex potestate dominativa. Conse- « quentia evidens est, quia non potest aliud genus potestatis « excogitari, nec hactenus inventum est. Antecedens vero « communiter receptum est... »

Propositio IIIª. — *Status religiosus esse potest cum sola potestate dominativa intra religiosum ordinem existente.* — Dicimus nempe ad essentiam status religiosi sufficere ut intra ipsummet ordinem existat potestas dominativa ; nec requiri ut aliquis *ex regularibus* jurisdictionalem simul potestatem habeat. Quam conclusionem sic probat Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 18, n. 8) : « Hæc potestas quasi dominativa et domestica, « ut sic dicam, seu œconomica, sine alia propria jurisdictione, « quæ sit in abbate, priori, vel alio simili prælato proprio et « immediato religiosi conventus, sufficiens est ad verum sta- « tum religiosum constituendum. Hanc assertionem mihi « probat sufficienter argumentum sumptum ex monasteriis « monacharum : in eis enim abbatissa non habet jurisdictio- « nem spiritualem (ut est communis sententia et doctrina)... ; « et nihilominus moniales illi subjiciuntur ut matri, tenentur- « que illi parere secundum regulam, quam sunt professæ. « Et hæc potestas ex parte abbatissæ, et subjectio ex parte « aliarum sufficit ad veram religionem in tali statu consti- « tuendam... Idem argumentum sumi potest ex antiquis mo- « nasteriis monachorum. Nam verisimile est instituta fuisse

(1) Intellige vota quæ subditi, *jam religiosi*, emitterent ; non autem ipsa vota substantialia, quibus in statu religioso constituuntur.

Digitized by Google

« sine speciali jurisdictione, quæ præfectis talium monaste-
« riorum communicata fuisset. » Idem arguit postea Suarez ex natura rei, exemplo deducto ex potestate patris in filium, viri in uxorem; item collegii quod conflarent cives, præsidi potestatem tribuendo (ex pacto conventionali) collegium gubernandi juxta certa statuta, et mulctis aliisve pœnis infractores coercendi. In his casibus absque jurisdictione adest potestas ad proprium ejusmodi societatum scopum sufficiens : ergo a pari in statu religioso sufficit apud superiores religiosos stare solam potestatem dominativam.

Nota. — In præsenti conclusione dicimus dari posse statum religiosum, quin ullus *ex religiosis* potestatem jurisdictionis habeat. An autem nihilominus ad statum religiosum requiratur ut jurisdictio in religiosos stet penes aliquém (id est, vel penes superiorem regularem, vel penes alium religioni extrinsecum) sequenti propositione determinatur.

Propositio IV ª. — *Contingere nequit ut nullus habeat potestatem jurisdictionalem in religiosos.* — Nam semper extat in Ecclesia spiritualis jurisdictio in omnes fidelium status; et quidem jurisdictio specialis in status *ecclesiasticos*, de quorum numero est status religiosus. Ergo facta institutione alicujus religiosi ordinis, status religiosi essentiam habentis, statim ordo ille cadit sub prælatorum ecclesiasticorum jurisdictionem, atque ei subjicitur. « Religiosus status, inquit Suarez « (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 18, n. 12) eo ipso quod per « Ecclesiam approbatur et instituitur, est status sacer et ec- « clesiasticus ; et personæ ejus... sunt personæ sacræ et eccle- « siasticæ... Hinc ergo fit ut eo ipso quod aliquis religiosus « constituitur, sub spiritali jurisdictione Pastorum Ecclesiæ « constituatur. Illa ergo subjectio non est conditio necessaria « ad statum religiosum constituendum, sed est quasi proprie- « tas consequens ad illum statum; et eadem ratio est de « subjectione quæ illi jurisdictioni respondet. » Et revera conventus omnes alicujus prælati jurisdictioni subjiciuntur, et semper subjecti fuerunt. « Monasteria monialium, licet *intra*

Digitized by Google

« *se*, ut sic dicam, non habeant prælatum cum potestate juris-
« dictionis, nihilominus semper habent prælatum qui propriam
« jurisdictionem in omnes illas, etiam in abbatissam, habeat;
« ut est Episcopus in monasteriis illi subjectis; vel provin-
« cialis, aut alius prælatus illius religionis virorum, cujus
« membrum tale monasterium existit. Olim etiam, ante
« exemptionem religiosorum, monasteria monachorum subji-
« ciebantur Episcopo, tanquam habenti jurisdictionem in ip-
« sos. Post exemptionem vero omnes subduntur summo Ponti-
« fici, vel prælatis propriæ religionis, quibus Pontifex suam
« jurisdictionem communicavit. Nunquam ergo status religio-
« sus sine subjectione ad prælatum aliquem, habentem juris-
« dictionem propriam in omnes ejus professores, inventus
« est.» (Suarez, ibid., n. 11.)

Unde possibile est ut jurisdictio in religiosos stet penes aliquem ex ipsis; et pariter possibile est, ut penes nullum ex ipsis resideat: sed posito quod nullus religiosus illam habeat, certo illam habebit aliquis prælatus ordini extraneus.

Propositio V^a^. —*In religionibus exemptis, quales nunc sunt fere omnes religiones virorum, necessarii sunt prælati proprie dicti, habentes spiritualem, imo et episcopalem jurisdictionem.* — Ita iisdem verbis Suarez (*de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 1, n. 6). Et intelligit necessarios esse prælatos, qui sint religiosi in eo ipso ordine in quo sunt prælati. Thesim autem probat hoc modo : « Conclusio est certa, et communis
« doctorum..., constatque inductione juxta præsentem Ecclesiæ
« usum : nam et monachales ordines et mendicantes (ad quos
« reducuntur alii qui cum illis communicant vel participant)
« habent hujusmodi præpositos cum propria potestate et juris-
« dictione.

« Ratio autem necessitatis, supposita exemptione, est effi-
« cax : quia eo ipso quod religio a jurisdictione Episcoporum
« eximitur, manet immediate subjecta solius Pontificis juris-
« dictioni. Non poterat autem convenienter gubernari imme-
« diate per solum summum Pontificem, aut per commissarios

Digitized by Google

« vel delegatos ab ipso : quia in omni congregatione neces-
« sarii sunt pastores ordinarii, quibus ejus cura ex officio
« incumbat : ergo si hujusmodi pastores proximi non sunt Epi-
« scopi, necessarium est ut sint prælati proprii uniuscujusque
« religionis. »

Propositio VI^a. — *In ordinibus exemptis, ii religiosi qui conventibus præsunt et jurisdictionem habent, sunt prælati in vero et stricto sensu.* — Nam is dicitur in proprio et rigoroso sensu prælatus, qui habet jurisdictionem ordinariam proprie dictam, id est, non tantum in foro pœnitentiali, sed etiam in foro externo; sed regulares de quibus loquimur talem jurisdictionem habent; ergo sunt veri in stricto sensu prælati. Quod et adnotat Suaresius (loco citato) in hunc modum : « Atque hinc
« inferunt communiter doctores, præpositum generalem, pro-
« vincialem et localem, seu conventualem uniuscujusque re-
« ligionis approbatæ a summo Pontifice et exemptæ, esse vere
« ac proprie prælatos... : sumitur ex Panormitano (in cap. *Cum*
« *ab ecclesiarum, de officio Ordinarii*), ubi distinguit duplicem
« acceptionem hujus vocis *prælatus :* unam late, secundum
« quam etiam parochus dici potest prælatus, quatenus suis
« parochianis præest : aliam propriam et jure usitatam, se-
« cundum quam solus ille, qui habet jurisdictionem spiritua-
« lem et ordinariam fori contentiosi, prælatus dicitur... Cum
« ergo superiores religionum jurisdictionem habeant spiritua-
« lem fori contentiosi, eamque ordinariam (nam ex vi pro-
« prii muneris eam habent, unde et delegare illam possunt),
« prælati proprie dicuntur. »

Propositio VII^a. — *Quod religiosi, conventibus præpositi, jurisdictionem habeant, provenit ex jure positivo, non autem ex jure divino. Remissive.* — Nonnulli scriptores catholici tenuerunt, prælatis regularibus jurisdictionem competere de jure divino. Eorum rationes postquam recensuit Suaresius (*de Religione,* tom. 4, tractatu 8, l. 2, c. 1, n. 7), ita subjungit : « Hæc sententia nova est et sine dubio falsa. » Tum fuse

Digitized by Google

probat esse opinionem illam omnino rejiciendam. Ad quas probationes lectorem remittimus.

CAPUT II.

DE SUBJECTO POTESTATIS GUBERNATIVÆ INTRA RELIGIOSOS ORDINES : SEU QUÆNAM PERSONÆ RELIGIOSÆ POTESTATEM ILLAM HABEANT.

Dicemus 1° quinam religiosi sint prælati, seu jurisdictionem habeant, in virorum ordinibus : 2° quomodo in dictis virorum ordinibus prælati regulares legitime constituantur : 3° de legitima electione superiorissæ seu abbatissæ monialium : 4° an de jure communi perpetui sint prælati regulares, et num magis expediat eos esse in munere suo perpetuos.

§ I.

Quinam religiosi sint prælati, seu jurisdictionem habeant, in virorum ordinibus.

Propositio Iª. — *Generales ordinum, provinciales, et singulorum conventuum superiores, seu rectores, vere et proprie sunt prælati.* — « Triplex religionis prælatus generaliter distingui « potest, scilicet infimus, supremus et medius... Prælati in- « fimi in religione sunt illi, qui conventuales seu locales vo- « cantur, quorum unusquisque uni tantum monasterio præ- « est, et in eo immediatam gerit prælationem, ita ut infra se « nullum alium prælatum habeat. Hujusmodi est abbas, verbi « gratia, unius monasterii; prior, guardianus, etc. Nam hos « omnes vere prælatos esse communis sententia est. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, n. 1 et 2.)

« Supremus prælatus religionis dicitur, qui intra illam su- « periorem non habet, et omnes alios ejusdem religionis præ- « latos sibi habet subjectos. Qui prælatus, in omnibus religio- « nibus quæ illum habent, vocatur *generalis;* quamvis in qui-

Digitized by Google

« busdam appelletur *prior generalis;* aut etiam *abbas genera-*
« *lis...;* in aliis *magister*, *minister*, aut *præpositus generalis.* »
(Idem, ibid., n. 3.)

« Prælati medii dicuntur, qui intra eamdem religionem su-
« periorem prælatum habent, et nihilominus aliquo modo
« universales prælati sunt; plures domos pluresque prælatos
« inferiores sub se habentes, ut sunt provinciales religionum
« mendicantium, et aliarum quæ eas imitantur. » (Idem,
ibid., n. 5.)

Porro hi omnes superiores sunt vere prælati, seu vere habent ordinariam jurisdictionem. Nam « omnes habent juris-
« dictionem spiritualem in subditos, tam in foro pœnitentiæ,
« quam in foro exteriori ecclesiastico aut religioso (loquimur
« enim secundum præsentem consuetudinem religionum quæ
« proprium habent regimen extra jurisdictionem Episcopo-
« rum). Et sic assertio est clara ex ipso usu et institutis ac
« privilegiis talium religionum... Ergo dicendum est, om-
« nes hos prælatos habere jurisdictionem ordinariam, et non
« tantum delegatam. Hoc certum est apud omnes. Et de
« jurisdictione in foro pœnitentiæ id ostensum a nobis est.....
« Quia omnes hi sunt ordinarii pastores, quibus ex officio
« incumbit cura animarum religiosorum. Nam respectu eorum,
« superiores et universales prælati sunt quasi Episcopi : infe-
« riores vero seu locales sunt quasi parochi, et ideo habere de-
« bent ordinariam jurisdictionem in foro pœnitentiæ. Religiosi
« enim propter favorem exemptionis non debent carere hujus-
« modi ordinariis pastoribus : hoc enim potius esset nocumen-
« tum quam favor.

« Atque eadem ratio cum proportione applicari potest ad
« externam jurisdictionem : nam hæc etiam necessaria est ad
« religionis gubernationem..... Quamvis enim, in rigore lo-
« quendo, potestas dominativa posset sufficere ad exteriorem
« gubernationem, præsertim ad œconomicam unius domus,
« tamen efficacior et utilior erit, si fiat simul per potestatem
« jurisdictionis. Supposita autem exemptione religionum ab

Digitized by Google

« Episcopis, necessarium est ut in ipsa religione sit hæc ju-
« risdictio et efficacia ejus ; quia non potest relinqui sine pro-
« prio gubernatore infra summum Pontificem. Hac ergo ra-
« tione necessaria est in Generali. Et quia ille non potest
« immediate præesse singulis provinciis, necessaria etiam est
« in provinciali. Præter quem in unaquaque domo necessarius
« est proprius gubernator, qui participet etiam curam episco-
« palem; et ideo etiam in illo est moraliter necessaria hæc
« jurisdictio. Et in omnibus ordinaria est, quia omnes sunt ex
« officio pastores et rectores in hoc etiam exteriori foro. Ita
« sentiunt communiter doctores. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 2, n. 7.)

Propositio IIª. — *Dicti regulares prælati jurisdictionem habent quasi episcopalem.* — « Dicendum est, hanc jurisdictio-
« nem in prælatis religionum esse *quasi episcopalem.* Ita lo-
« quuntur omnes auctores (in Clement. 1, *de Rebus eccl. non*
« *alienandis,* verbo *Proprii*); et sumitur ex capite *Abbates* (*de*
« *Privilegiis,* in 6), ibi : *In quos ecclesiasticam et quasi epi-*
« *scopalem jurisdictionem obtinent.* Ubi glossa notat, vocari
« *quasi episcopalem,* quia non se extendit ad actus, ad quos
« potestas ordinis seu consecratio Episcoporum necessaria est.
« Sed hoc majori explicatione indiget. » (Suarez, ibid., n. 9.)

Nota. — Quod id intelligendum sit, non solum de generali et provinciali, sed etiam de locali prælato, uni duntaxat conventui præposito, vide probatum a Suaresio citato capite. Qui auctor ibidem explanat, quid sit *quasi episcopalis* jurisdictio, et quo modo ab episcopali differat.

Propositio IIIª. — *Prælatus major, sine justa causa non potest licite restringere jurisdictionem ordinariam prælati inferioris : potest autem valide. Item sine justa causa nequit eum licite amovere : potest autem valide.* — Vide id discussum a Suaresio (citato capite); sed adverte intelligendam esse conclusionem *de jure communi.* Nam de jure particulari alicujus religionis, haud dubium quin possint diverso modo hæc statui.

Propositio IVª. — *In congregationibus virorum, quæ status*

Digitized by Google

religiosi essentiam habent, sed absque votis solemnibus, superiores, regulariter loquendo, non sunt prælati, seu non habent potestatem jurisdictionalem, sed tantum dominativam.—Nam ad status religiosi essentiam sufficit potestas dominativa, nec rigorose loquendo requiritur jurisdictionalis, ut dictum est. Equidem in virorum religionibus exemptis jure communi inductum est, ut superiores jurisdictionem ordinariam habeant; sed ita fuit statutum ob eorum ab Episcopis exemptionem. Congregationes autem virorum votis solemnibus carentes, exemptione illa donari non solent; ergo, per se et regulariter loquendo, illarum congregationum superiores ordinariam jurisdictionem non habent, nec proinde veris prælatis adnumerandi sunt. Dicimus, *ordinarie loquendo;* quia fieri potest ut Papa aliquam etiam ejusmodi congregationem exemptam decernat, et ejus superioribus ordinariam jurisdictionem conferat.

Nota. — In præsenti paragrapho supposuimus dictos prælatos fuisse legitime electos seu constitutos. Alias nec essent veri prælati, nec jurisdictionem ordinariam haberent, ut patet. Quare nunc expendendæ veniunt conditiones requisitæ, ut quis religiosus in prælatum legitime eligatur, seu constituatur.

§ II.

Quomodo in virorum ordinibus prælati regulares legitime constituantur.

Quæstio I^a^. — *Quotuplici modo legitime constitui valeat prælatus regularis?* — 1° Legitime constitui potest per designationem et nominationem Romani Pontificis. 2° Per electionem canonice factam. 3° Constitui nequit per hæreditariam successionem, quæ in prælaturis ecclesiasticis a jure canonico repellitur. 4° Constitui nequit per prælati decedentis nominationem, quæ pariter a jure prohibetur. Non tamen juri communi repugnat, quod prælatus decedens nominare possit vicarium, qui congregationem regat, donec prælatus successor legitime constitutus fuerit: et in societate Jesu talis facultas ejusmodi

Digitized by Google

vicarium nominandi generali præposito tribuitur (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 3, n. 1).

Quæstio IIª. — *Quid ad validam prælati regularis electionem requiratur ex parte ipsius eligendi ?* — 1° Requiritur saltem 25 annorum ætas; atque ætas illa videtur sufficere. Loquimur autem de jure communi, et abstrahendo a particularibus religionum hac de re præscriptionibus (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 3, n. 7). 2° Requiritur ut religiosus electus, professionem emiserit (idem, ibid., n. 8). 3° Probabilius saltem requiritur ut ejus professio fuerit valida (idem, ibid., n. 9). 4° Requiritur ut professio hæc fuerit *expressa*, ita ut non sufficiat tacita (idem, ibid., n. 10). 5° Requiritur ut professio facta fuerit in eadem religione (idem, ibid., n. 11). 6° Si religiosus faciat professionem, prælatura jam vacante, et subito eligatur, probabilius electio non est ipso facto irrita. Videretur autem irritanda, attento capite *officii* (*de electione*) : sed decretalis illius scopus est ut quis non fiat subito ex sæculari prælatus. Id quidem olim contingere potuisset, quando professio emitti poterat absque prævio novitiatu. At nunc ad valorem professionis requiritur probationis annus ; unde contingere nequit, quod arcere voluit decretalis, electio nempe viri qui vitam religiosam nullatenus adhuc expertus est. Unde prudenter Suarez : « Addo nunc, « moraliter loquendo, nunquam irritandam esse electionem « propter celeritatem ejus, post legitimam professionem electi, « nisi aliunde manifeste redundet in personæ electæ insuffi- « cientiam et indignitatem. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 3, n. 19.) 7° Requiritur ut sit clericus, cum debeat habere spiritualem jurisdictionem ordinariam. 8° Non requiritur ut hic et nunc sit sacerdos; sed tenetur presbyteratus ordinem debito tempore suscipere, ob animarum curam quæ ipsi incumbit (vide Suaresium, loco cit., n. 20 et seq.). 9° Valide eligi nequit, si ob aliquam irregularitatem sit inhabilis ad dignitates et prælationes, ut patet. 10° Si innodatus sit irregularitate quæ eum inhabilem reddat ad episcopatum, non

Digitized by Google

vero ad presbyteratum, valide eligi potest. Si vero irregularitas eum inhabilem reddat ad suscipiendum etiam presbyteratum, an irrita sit ipso facto electio, vide apud Suaresium (loco cit., n. 26).

Nota. — Hæc de jure communi : nam ex peculiaribus ordinum religiosorum constitutionibus, possunt et aliæ conditiones requiri, ex parte personæ eligendæ, ad validam ipsius electionem.

Quæstio IIIª. — *Quid ad validam electionem requiratur ex parte eligentium ?* — Supponimus prælati electionem ad ipsammet religionem pertinere, prout omnino certum est (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 4, n. 1). Quo prænotato, de conditionibus ex parte eligentium requisitis hæc tradit, sub dicto capite, citatus auctor : 1° ut convocatio fiat ab eo, qui auctoritatem ad id munus explendum habet ; 2° ut eligentes sint professi ejusdem religionis ; 3° ut sint in sacris, id est, saltem subdiaconi. A quo tamen excipiuntur religiones mere laicorum ; 4° ut nulla censura sint irretiti, quæ eos reddat ad eligendum inhabiles.

Quæstio IVª. — *Quænam sit legitima forma eligendi generalem religionis prælatum ?* — Prænotamus duas præcipue juris dispositiones ad rem facere. Prior est caput *Quia propter*, *de electione :* quamvis enim loquatur generaliter de prælatorum electione, dubium non est quin comprehendat *regulares* etiam prælatos. Posterior est caput 6 sessionis 25 (*de Regul.*) Tridentinæ synodi, ubi in specie de eligendis prælatis regularibus agitur. Dicemus autem 1° de forma electionem antecedente ; 2° de forma electionem concomitante.

I. *De forma electionem antecedente.* — 1° Requiritur ut convocentur omnes qui jus eligendi habent, si commode fieri possit. Nam in dicto capite *Quia propter*, sic disponitur : *Cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent et volunt et possunt commode interesse*, etc... Cum ibi dicatur, omnes *qui commode possunt et volunt interesse*, debere esse præsentes, sequitur eos esse convocandos ; alioquin præsentes esse non

Digitized by Google

possent. Unde si nonnulli ex iis qui jus habent non convocentur et tamen commode vocari potuissent, electio irritari poterit. Possunt tamen qui despecti sunt electioni factæ consentire ; et tunc valida erit. Vide Suaresium (*de Religione*, tomo 4, tract. 8, l. 2, c. 5, n. 2). Quænam autem difficultas in vocando aliquem sufficiens sit, ut ipso non vocato legitime celebrari electio valeat, jure communi non determinatur, et sumendum est ex particularibus singularum religionum statutis et receptis consuetudinibus. 2° Necesse non est ut adsint omnes qui jus eligendi habent ; siquidem dicitur *qui volunt*, et *commode possunt*. Quid autem si contingat nullos aut fere nullos venire ? Tunc electio devolvitur ad superiorem ecclesiasticum totius religionis ; id est, ad summum Pontificem, si religio sit exempta (Suarez, loco cit.). 3° Electio fieri debet in communi congregatione ; non autem remanendo in singulis conventibus aut provinciis : id enim evincit vox *præsentibus* capitis *Quia propter*. Atque id requiritur ad electionis validitatem. 4° Requiritur ut *assumantur tres de collegio fide digni qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant*. Sunt verba ipsiusmet decretalis *Quia propter*. Et requiri hanc formam ad valorem electionis, contra aliquos sustinet Suarez ; addens nec plures nec pauciores quam *tres* ad id deputari posse (loco cit., n. 8).

II. *De forma electionem concomitante*. — 1° Tres dicti commissarii debent secrete vota exquirere et in scriptis redigere, prout expresse decernit decretalis *Quia propter*. Posset autem elector, attentis solius juris communis textibus, nomen electi *viva voce* commissariis notum facere (vide Suaresium, loco cit., n. 9). Sed prævaluit mos ut scriptum electi nomen a singulis eligentibus tradatur. 2° Tenentur ad secretum etiam eligentes : unde non tantum commissarii nequeunt ullum suffragium revelare, sed et ipsis electoribus prohibitum est dicere quem elegerint. « Quod adeo verum est ut sufficiat talis « manifestatio unius suffragii... ad annullandam electionem, « si in ipsa electione fiat. » (Suarez, loco cit., n. 12.) Et du-

Digitized by Google

rat obligatio secreti etiam post electionem; quamvis si violetur post consummatam electionem, nequaquam sequatur ejusdem electionis irritatio. 3° Requiritur ad valorem electionis ut *in scriptis* redigantur nomina eorum qui electi sunt (Suarez, ibid., n. 13). 4° Si quis ex electoribus præsentibus non admitteretur ad suffragium, electio foret hoc ipso irrita. Dum e contra si quis non fuerit convocatus, cum debuisset vocari, electio non est irrita, sed duntaxat irritari potest ad petitionem illius qui contemptus fuit : si autem is non reclamet, firmatur electio (vide Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 2, c. 25, n. 14). 5° Ad valorem electionis necesse est ut suffragia omnia *mox in communi* publicentur ; quæ verba capitis *Quia propter* (*de Electione*), sic intelligenda sunt : debet dici coram tota congregatione *quot personæ* suffragium tulerint ; non autem in quorum favorem suffragia data fuerint ; id est, dici nequit tot suffragia in hanc personam, tot in talem aliam cecidisse ; sed duntaxat publice enuntiandus est latorum suffragiorum numerus (vide Suaresium, ibid., n. 15). 6° Scrutatores collationem inter se habere debent. Sic enim capite *Quia propter* decernitur : *Collatione habita* (1), *is eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit.* Estque hæc *collatio* de substantia electionis ; id est, electionem irritaret ejus omissio (vide Suaresium, ibid., n. 16). 7° Circa quæstionem, de quo fieri debeat dicta collatio, difficultas occurrit : an nempe scrutatores inter se disquirere duntaxat debeant quis majorem partem suffragiorum retulerit, an vero etiam num illa suffragia data fuerint a *saniore* parte eligentium. Etenim in textu dicitur : « In quem major et *sanior* pars consentit. » Vide quoad hanc difficultatem varias opiniones, apud Suaresium, loco citato. Certum est majorem partem præsumi *saniorem*, donec contrarium probetur. Hinc, in praxi, non debent scrutatores inter se conferre nisi de numero

(1) Intellige *a scrutatoribus* : « Ex contextu constat, inquit Suarez, collationem illam active referri ad scrutatores ; passive vero (ut sic dicam) ad suffragia. » (*De Religione*, tom. 4, l. 2, c. 5, n. 16.)

Digitized by Google

suffragiorum a quolibet ex electis obtento. Quod si, facta electione, prætendatur prælatum a minus *sana* parte fuisse electum, de hoc judicare pertinebit ad eum, ad quem pertinet electionem confirmare; id est quoad ordines exemptos, ad summum Pontificem; et electioni standum erit, nisi Pontifex eam irritam declaret. Notetur autem, ubi electio fit per scriptas schedulas, ignorari a scrutatoribus quinam suffragia dederint: proinde nec possunt scire an a *saniore* parte suffragia hæc provenerint: et tamen is modus eligendi legitimus est, non tantum de jure speciali religionum, sed etiam (ut tenet Suarez) de jure communi. 8° Requiritur *major* pars, relative ad totalem eligentium numerum. « Non enim sufficit habere plura vota « quam cæteri, si numerus votorum non contineat majorem « partem totius capituli. » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, l. 2, c. 5, n. 22.) 9° Debet tandem is, qui dictam majoritatem suffragiorum obtinuit publice nominari et electus declarari. Qui actus ad valorem electionis necessarius est, utpote per quem completa electio censetur (Suarez, ibid., n. 24).

Nota. — De jure communi requireretur electi confirmatio; et prælatus electus jure acquisito privaretur ipso facto, si ante confirmationem aliquem prælationis actum exerceret. At de jure speciali multarum religionum, qui legitime electus fuit, censetur simul auctoritate Apostolica confirmatus, et statim jurisdictionem exercere potest (Suarez, ibid., n. 25).

Quæstio V^a^. — *Quænam sit legitima forma eligendi cæteros infra generalem prælatos?* — 1° Dari possunt religiones in quibus dicti prælati constitui debeant a prælato generali, sive solo, sive cum assensu generalis capituli aut aliquot consiliariorum. Id enim essentiæ status religiosi nequaquam repugnat: et si hoc decernat aliquod institutum a sede Apostolica approbatum, procul dubio servandum est. 2° Si vero, juxta ordinis constitutiones, ii inferiores prælati *per electionem* assumendi sunt, de jure communi servanda sunt fere eadem, quæ pro generalis prælati electione descripsimus. Nempe *primo* requi-

Digitized by Google

ritur ætas saltem annorum 25. *Secundo*, ut sit ejusdem religionis professus. *Tertio*, non tamen requiritur ut sit ejusdem monasterii aut provinciæ. *Quarto* si assumatur ex familia, ejusdem quidem religionis, sed diversum habitum habentis, requiritur ut diversitas hæc habitus non sit substantialis. *Quinto*, facienda est electio a congregatione proportionata; id est, a capitulo conventus, si conventualis prælatus eligendus sit; et a capitulo provinciali, si eligendus sit provincialis. *Sexto*, oportet ut electores sint ejusdem religionis professi, et clerici. *Septimo*, in forma electionem præcedente et concomitante, idem currit jus ac circa generalis prælati electionem (quæ omnia vide apud Suaresium, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 2, cap. 6). In iis autem enucleandis parum immoramur, quia in unaquaque religione ea omnia expressis constitutionibus, aut receptis consuetudinibus vim legis habentibus, determinantur.

§ III.

De legitima electione superiorissæ seu abbatissæ monialium.

Quæstio 1ª.— *Quid Tridentina synodus hac de re sanxerit?* — Capite 7, sessionis 25 (*de Regularibus*), decrevit in hunc modum: « Abbatissa et priorissa, et quocunque alio nomine præ-
« fecta vel præposita appelletur, eligatur non minor annis
« quadraginta, et quæ octo annis post expressam professionem
« laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non repe-
« riatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi
« possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni
« præest, videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum
« trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post pro-
« fessionem recte vixerint, Episcopo vel alio superiore con-
« sentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla præfi-
« ciatur. Et si qua duo vel plura quocunque modo obtinet,
« cogatur, uno excepto, intra sex menses cætera resignare:

Digitized by Google

« post id vero tempus nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent. « Is vero qui electioni præest Episcopus, sive alius superior, « claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum « fenestrellam vota singularum audiat vel accipiat. In reliquis « serventur singulorum ordinum vel monasteriorum constitu- « tiones. »

Quæstio IIª. — *Ad quem spectet electio superiorissæ?* — De jure communi, spectat ad ipsas moniales. De jure autem particulari potest et ad alios spectare. Unde servandæ quoad id uniuscujusque ordinis constitutiones (vide Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 231, editionis non prohibitæ, Romæ 1761).

Quæstio IIIª. — *Quænam moniales habeant jus suffragii pro eligenda superiorissa?* — 1° Ut monialis ad electionem concurrere valeat requiritur ut sit professa : 2° ut expleverit duodecimum ætatis annum : unde quamvis aliqua ex dispensatione Pontificia, ante hanc ætatem professionem emisisset, non posset tamen suffragium ferre : dicimus *quamvis ex dispensatione*, etc., quia de jure communi admitti nequit ad professionem novitia ante expletos annos 16 : 3° necesse non est, de jure communi, ut monialis jam ab aliquot annis, aut mensibus professionem emiserit ; sed suffragium ferre potest, etiamsi statim post emissam ipsius professionem electio celebretur : 4° eligere nequeunt moniales excommunicatæ, interdictæ, aut quæ inhabilitatem ad vocem activam contraxerunt : 5° de jure communi deberent etiam conversæ, quæ professionem cum votis solemnibus emiserunt, in superiorissæ electione vocem habere. At de jure particulari multarum religionum excluduntur. Et in his omnibus standum est singularum religionum constitutionibus, cum eas servari præscribat Tridentina synodus, citato capite. (Vide Pellizarium, loco cit. ; necnon Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 22 et seq.) 6° « Si repe- « riretur aliqua monialis infirma, quæ nollet renuntiare juri « suo, posset præses, mittere ad ipsam duas prudentes moniales, « quæ ab ipsa votum diligenter exquirerent, et postea ipsi « præsidi referrent : aut posset ipsa mittere scriptum et sigillo

Digitized by Google

« munitum suum votum. Non enim infirmæ debent contemni, « cum jus habeant ad electionem. » (Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 24.) Supponit ibi citatus auctor (et merito, ut videtur) votum infirmæ non desinere esse secretum, ex eo quod a duabus prudentibus monialibus cognoscatur. Cæteroquin omnino necesse est, ad valorem electionis, ut vota sint secreta, prout infra dicetur. 7° « Nec Episcopus, nec alius superior potest ferre « suffragium in electione abbatissæ, quamvis vota monialium « essent paria, et moniales, in electione non concordarent « (S. Congr. Episc. et reg., 5 martii 1619; et S. Congregatio « Concilii, 23 maii 1621). Sed in casu quo moniales non essent « concordes in eligenda abbatissa, quia monasterium non debet « manere sine capite, Episcopus, sive alius superior deberet « præfigere illis certum tempus, in quo concordarent : quod si « eo elapso non convenissent in eligendo, tunc superior deberet « ipse nominare eam quam judicaret magis idoneam et depu- « tare in abbatissam, ut decrevit S. Congregatio, in una *Cre- « monensi* 22 octobris 1592; et in una *Assisiensi* 20 novembris 1595; et in una *Melphitensi* 3 augusti 1626. » (Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 29 et 30.)

Quæstio IVᵃ. — *Quid requiratur ut aliqua monialis possit in superiorissam eligi?* — 1° Requiritur ut non sit minor 40 annis, et ab annis 8 professionem emiserit. Excipitur casus, quo talis in monasterio non reperiretur, et superior judicaret haud expedire eam ex alieno conventu assumi : tunc nempe eligi posset monialis quæ 30 annos ætatis, et quinque professionis annos haberet. Constat ex supra citato Tridentino decreto. Quadragesimum annum debere esse completum, et non sufficere inchoatum, prout existimarunt plures canonistæ, firmat Pellizarius (*de Monialibus*, pagina 232, editionis non prohibitæ), necnon Ferraris (voce *Abbatissa*, n. 2), ex S. Congregationis Concilii declaratione. 2° Quoad dictam ætatem, neque Episcopus, nec quivis alius, præter Papam, dispensare potest; quia lex illa est universalis (Ferraris, ibid., n. 4). 3° An dictæ conditiones, de ætate scilicet et annis professionis, re-

Digitized by Google

quirantur, non tantum ad licitam, sed etiam ad validam professionem, disputarunt canonistæ : negat Suarez, eo quod Tridentinum decretum clausulam irritantem non contineat (vide Pellizarium, loco citato, p. 233) : sed contrarium a S. Congregatione Concilii decisum fuisse (in *Viterbiensi*, 16 maii 1623) dicit Ferraris (voce *Abbatissa*, n. 5). 4° Superiorissa eligi debet ex eodem monasterio, si ibi adsit aliqua monialis requisitis qualitatibus pollens : patet ex citato Tridentino textu. 5° Si non adsit, debet assumi ex alieno monasterio : attamen si id minus expedire superior existimet, et simul adsit monialis quæ 30 annos ætatis et 5 annos professionis exegerit, poterit hæc eligi : eruitur ex citato Tridentino decreto. 6° An eligi possit vidua, aut illegitima, disputatum reperies apud canonistas (vide Pellizarium, loco citato). Sed Ferraris sic habet : « Non potest in abbatissam eligi illegitima; ejus enim « electio facta sine Apostolica dispensatione est nulla (ex « S. Congregatione Concilii, in una *Nullius*, 27 aprilis 1630). « Neque corrupta... Neque quæ fuit publice pœnitentiata... « Neque vidua, sine dispensatione Apostolica (ex S. Congre- « gatione Epis. et reg., in una *Cassanensi*, 29 januarii 1585; « et in alia sub die 15 julii 1616). Neque cæca... Neque « surda. » (Voce *Abbatissa*, n. 8.) 7° « Neque tertia soror, « viventibus aliis duabus sororibus ; quia, absque dispensa- « tione, ipsis adhuc viventibus, caret voce activa et passiva « (ex S. Congregatione, 26 augusti 1616). Non prohibetur « tamen a jure communi quin soror possit succedere imme- « diate sorori in officio abbatissæ (ex S. Cong. Episc. et reg., « in una *Ulixiponensi*, 19 aprilis 1619). Si vero alicubi per « statutum contrarium prohiberetur, esset tale statutum ob- « servandum... » (ex S. Congregatione, in una *Mediolanensi*, « 21 junii 1600 et 11 aprilis 1645). » 9° Superiorissæ nequeunt ultra triennium in officio suo permanere. Unde expleto triennio reeligi nequeunt, nisi postquam per tres annos ab alia expletum officium fuerit. Imo nec potest eligi in vicariam novæ superiorissæ illa monialis, quæ immediate antea supe-

Digitized by Google

riorissa erat. Debet nempe superiorissa, statim ac triennium suum explevit, *omni prorsus auctoritate* carere, *ac a regimine et administratione monasterii* abstinere per triennium; prout præcepit Gregorius XIII, constitutione *Exposcit debitum*, 1 januarii 1583 (vide Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 53 et seq.). 10° Hinc expleto triennio, officium superiorissæ non potest Episcopus prorogare, nec eam sub *vicariæ*, vel alio quocumque nomine, præficere monasterii gubernio usque ad novam electionem (Ferraris, ibid., n. 57). 11° Ex dispensatione S. Congregationis, potest superiorissa, quæ triennium suum explevit, ad alterum triennium eligi : sed hoc secundo triennio finito, iterum dispensatione opus erit, ut ad tertium eligi valeat (Ferraris, ibid., n. 56). 12° Quæ diximus, ex Lucio Ferraris, numero 9, intelligenda sunt de monasteriis *intra* Italiam et adjacentes insulas, non de aliis; quia bulla illa Gregorii XIII, de triennio, ad Italiam et adjacentes insulas restringitur (vide Ferraris, voce *Abbatissa*, *novæ additiones*, n. 9).

Quæstio V^a^. — *Quinam præsidere aut interesse debeant electioni superiorissæ?* — Olim præesse pertinebat ad Ordinarium, in monasteriis ipsius jurisdictoni subjectis : in exemptis autem, prælato regulari. At circa hoc jus commune tantisper immutatum est. Describi autem potest hodiernum jus commune in hunc modum : 1° in monasteriis Episcopo subjectis, ad ipsum pertinet dictæ electioni præesse. 2° In monasteriis exemptis et sedi Apostolicæ immediate subjectis, idem potest Episcopus tanquam sedis Apostolicæ delegatus. 3° In monasteriis regulari prælato subjectis, potest Episcopus, si velit (non enim ex officio tenetur), interesse et præsidere. Sed tunc præsidet solummodo *directive*, seu ad convenienter dirigendam electionem, non autem *jurisdictionaliter*. Hinc nequit tunc suffragia recipere, sed tantum ea audire et cognoscere. Suffragia autem recipere ad regularem prælatum pertinet, sciente tamen et audiente Episcopo. 4° Potest Episcopus electioni interesse per se vel per alium. 5° In dictis monasteriis prælato regulari subjectis, debet certior fieri Episcopus de die, quo celebranda

Digitized by Google

est electio, ut jure suo interessendi et præsidendi uti valeat; et expectandus est usque ad designatam horam. Qua elapsa, si non veniat ad electionem absque ipso procedi potest. 6° In dictis monasteriis prælato regulari subjectis, « Episcopus, seu « vicarius non potest secum ducere ad interessendum etiam « notarium (ex declaratione S. Congregationis, 4 maii 1675): « neque exquirere seu recipere vota monialium; sed illa de- « bent exquiri et accipi a superiore regulari, sciente tamen « et audiente eodem Episcopo, ut expresse declaravit S. Con- « gregatio Concilii, 10 februarii 1650 : neque potest moniales « ante actum electionis personaliter audire et interrogare in « materia ad electionem spectante, ut S. Congregatio rescripsit « Episcopo Anconitano, 4 octobris 1678 : neque potest per se « vel per alium adnotare vota monialium, ex S. Congrega- « tione Episc. et reg., 15 maii 1671. » (Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 33 et seq.) 7° Existimat Pellizarius (*de Monialibus*, pag. 234, editionis non prohibitæ) interesse debere cum Ordinario aut prælato regulari saltem duos testes; et alioquin electionem fore invalidam, ob dispositionem capitis *Quia propter*, *de Electione*, in 6. Quod si verum sit, saltem limitandum est, ita ut non applicandum veniat quando contrariæ sunt ordinis constitutiones aut consuetudines; quia standum his consuetudinibus voluit Tridentinum concilium, supra citato decreto.

Quæstio VI^a^. — *Quo in loco fieri debeat electio superiorissæ?* — Id satis indixit Tridentina synodus, his verbis : *Clausuram monialium non ingrediatur; sed ante cancellorum fenestrellam vota singularum audiat vel recipiat.* Id tamen intelligendum, nisi necesse foret Episcopum aut regularem prælatum, clausuram ingredi ad pacandas dissentiones : nam in casu necessitatis ingredi possunt (vide Pellizarium, loco citato).

Quæstio VII^a^. — *Qua forma fieri debeat electio superiorissæ?* — 1° Generatim advertendum est, servandas esse, quoad illam formam uniuscujusque ordinis constitutiones et legitimas consuetudines. Inter alias procedendi formas, valde com-

Digitized by Google

mendabilis videtur, quam refert Pellizarius (*de Monialibus*, pag. 234, q. 9, editionis 1761), ex *rituali monastico* Reinerii. 2° Certum est suffragia debere esse secreta, ex decreto Tridentino (c. 6, sess. 25 *de Reg.*). « Et proinde electio est nulla « si vota non sint secreta... Imo etiamsi ex ignorantia vota « non exhibeantur secreta, adhuc electio est nulla, ex S. Con- « gregatione Concilii, quæ... decrevit sic : *Electio abbatissæ* « *facta per vota non secreta, per ignorantiam hujus decreti* « (nempe citati capitis 6, sess. 25 Tridentinæ synodi) *non valet*, « *nec Episcopus potest dispensare, ut valeat.* Per hoc tamen « quod præses electionis accipiat vota oretenus exhibita, præ- « sentibus duobus vel tribus probatis viris qui vota audiant et « notent, non tollitur secretum, et talis electio est canonica, « ex decreto S. Congregationis Concilii, relato a Garcia (*de* « *Beneficiis*, p. 5, c. 4, n. 190). Per disjunctivam enim *audiat* « vel *accipiat*, qua utitur concilium loco citato, datur libertas « ut electio abbatissæ fiat per schedulas, vel oretenus. » (Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 19 et seq.) 3° De requisito suffragiorum numero, currit jus supra descriptum pro electione generalis prælati. 4° « Nec moniales possunt electionem abbatissæ « in Episcopum vel alium superiorem vel prælatum compro- « mittere : sic expresse tenet Donatus. » (Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 41.) Remittit autem citatus auctor ad verbum *Electio*, art. 4, n. 29; « ubi, inquit, ex plurimis classicis doctoribus, « et pluribus S. Congregationis declarationibus concludimus, « electionem quorumcunque superiorum regularium non « posse fieri per viam compromissi, aut inspirationis, sed so- « lum per vota secreta, ut statuit concilium Tridentinum. » (Sess. 25, c. 6, *de Reg.*) 5° « Electio abbatissæ debet publicari « statim ac est secuta, significando quot suffragia habuerit ipsa, « et quot aliæ moniales. » (Ferraris, ibid., n. 39.) 6° « Si, « facta publicatione, moniales statim opponant se non elegisse « illam quæ fuit publicata, sed aliam, Lavorius..., ex Tam- « burino..., Pellizarius..., et alii dicunt, S. Congregationem « (in una *Liciensi*) declarasse, in tali casu moniales omnes ite-

Digitized by Google

« rum audiri debere per personam non suspectam, ut sic de « veritate constet, et electio censeatur canonica. » (Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 40.)

Quæstio VIIIª. — *An et a quo electa superiorissa confirmari debeat?* — 1° Confirmari debet a prælato regulari, si huic monasterium subjaceat : 2° ab Episcopo, si non sit exemptum : 3° si vero exemptum sit, et sedi Apostolicæ immediate subjectum, debet electa per procuratorem a summo Pontifice confirmationem petere (vide Pellizarium, loco citato, pag. 237).

Quæstio IXª. — *An adhuc post Tridentinam synodum fieri possit electio per* compromissum *et per* inspirationem, *ad formam capitis* Quia propter (*de electione*)? — Cum Tridentina synodus sanxerit suffragia debere esse *secreta*, quoad servari nequit cum duobus illis eligendi formis, videtur hoc ipso in hoc abrogasse dictam decretalem *Quia propter*. Nihilominus contrarium probabilius esse putat Pellizarius (loco cit., pag. 236, quæst. 14).

§ IV.

An de jure communi perpetui sint prælati regulares, et num magis expediat eos esse in munere suo perpetuos (remissive).

1° Non sunt perpetui de jure naturali (vide probatum a Suaresio, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 7, n. 1).

2° Nec sunt perpetui de jure divino (Suarez, ibid., n. 2).

3° De jure communi ecclesiastico eorum prælatura, nec perpetua, nec temporalis, rigorose loquendo, probari potest : « quia (inquit Suarez) illud jus non vetat quin perpetua sit, « sicut etiam non prohibet esse temporalem. » (Ibid., n. 3.) Eo tamen sensu perpetua de jure communi ecclesiastico dici potest, quod jus illud, præsertim antiquum, eam potius perpetuam supponat.

4° Ergo num sit perpetua vel temporalis, desumendum est ex speciali jure uniuscujusque religionis.

Digitized by Google

5° An autem magis expediat ejusmodi prælatos regulares esse perpetuos potiusquam temporales, multum controvertitur. Rationes pro et contra vide apud Suaresium (citato loco, n. 5 et seq.).

CAPUT III.

DE OBJECTO POTESTATIS GUBERNATIVÆ, INTRA ORDINES RELIGIOSOS EXISTENTIS, SEU QUID POSSINT SUPERIORES REGULARES.

Dicemus 1° an et quatenus superiores regulares possint præceptis suis subditos in conscientia obligare : 2° an et quatenus superiores regulares valeant condere statuta perpetua, quæ rationem et vim legis habeant : 3° an et quatenus reformari valeat aliquis ordo religiosus, et obligari possint religiosi ad observandam reformationem.

Nota. — Etiam hic dicendum occurreret de potestate *coercitiva* vel *judiciaria* prælatorum regularium, cum hæc etiam sit pars potestatis gubernativæ; sed quia, huic argumento paulo diutius (pro ejus gravitate) immorandum erit, maluimus specialem de eo sectionem (quæ hanc proxime sequitur) instituere.

§ I.

An et quatenus superiores regulares possint præceptis suis subditos in conscientia obligare.

Propositio Iª. — *Superiores religiosorum, etiamsi non habeant nisi potestatem dominativam, possunt subditis suis præcepta intimare, quæ eos obligent in conscientia; et quidem sub gravi, supposita apta et sufficienti materia.* — Sequitur 1° ex vi voti obedientiæ : nam objectum hujus voti est hoc ipsum, *obedire superiori præcipienti;* ergo potest superior ita præci-

Digitized by Google

pere, ut violetur votum, nisi obedientia præstetur : ergo potest per præcepta sua subditos in conscientia obligare. Cumque voti alicujus violatio sit gravis de se, id est, nisi excuset materiæ parvitas, sequitur posse religiosos ad exequenda superiorum præcepta sub gravi obligari, supposita sufficienti materia. Aliunde autem votum obedientiæ a religiosis non fit cum hac restrictione, *dummodo superior sit prælatus*, seu jurisdictionem ordinariam in foro externo habeat; sed fit universaliter quoad legitimum quemlibet superiorem. Ergo dictam potestatem subditos in conscientia obligandi habent superiores, etiamsi solam dominativam potestatem exerceant, et jurisdictionali careant.

Sequitur 2° ex traditione sui ipsius a religioso facta illi religiosæ communitati quam ingreditur. Etenim, prout sub prima tractatus parte ostendimus, de statu religiosi essentia est traditio hæc, qua se religiosus Deo et ordini religioso donat et mancipat, et quam religio acceptat. Posita autem hac traditione, tenetur religiosus titulo justitiæ, præcipienti superiori obsequi ; quia respectu religionis et superiorum, sese constituit famulum et servum : unde sicut justitiam violat servus, qui domino suo obsequi recusat, atque etiam famulus qui pactum de præstando famulatu non exequitur, ita religiosus superiori debito modo præcipienti obedire recusans, non tantum violat votum seu promissionem Deo factam, sed insuper justitiam erga superiorem suum et religionem quam ingressus est.

Sequitur 3° ex *promissione humana* superioribus parendi, qua se religiosus obstrinxit. Etenim hoc ipso quod religiosus sese religioni tradat in servum seu famulum, implicite ipsi promittit obsequium, ut patet : ergo præcipienti superiori resistendo, promissionem illam humanam, seu hominibus factam, violaret : ergo contra fidelitatem peccaret. Unde revera possunt superiores, etsi solam dominativam potestatem habentes, subditos præceptis suis in conscientia obligare. Quod cæteroquin extra controversiam est apud doctores.

Digitized by Google

Nota. — Quod autem ad obligandos subditos, præsertim sub gravi, non sufficiat quilibet præcipiendi modus, nec de qualibet re præceptum; sed requirantur certæ conditiones quoad modum et materiam præcepti, patebit ex sequentibus propositionibus.

Propositio IIª. — *Si regularis superior sit etiam prælatus, id est, ordinariam jurisdictionem fori externi habeat, etiam ex hoc titulo potest per præcepta sua subditos in conscientia obligare.* — Sequitur ex ipsa notione jurisdictionis ecclesiasticæ : etenim jurisdictionem illam non habet, qui nequit præceptis et legibus suis aliquos obligare, et inobedientes pœnis et censuris coercere. Unde si supponatur in religiosis superioribus ordinaria jurisdictio, prout revera existit in virorum religionibus, consequens est ut valeant obligatoria præcepta subditis suis intimare. Notandum tamen cum Suaresio prælatos regulares non semper præcipere tanquam prælatos, seu ex vi jurisdictionis suæ. « Nam licet superior illam (jurisdictionem) habeat, « potest præcipere, non ex illa, sed solum exigendo obedientiæ « debitum. Imo regulariter loquendo hic videtur esse ordi- « narius modus præcipiendi prælatorum religionum ; quia « materia circa quam versantur ordinarie talis non est, ut ex « vi solius jurisdictionis ecclesiasticæ præcipi possit; quia est « materia supererogationis seu consilii, et ita solum præcipi « potest, quatenus ex vi professionis facta est necessaria... « Nihilominus tamen, quia prælati religionum sunt etiam « ordinarii pastores suorum subditorum, juxta Ecclesiæ usum, « ideo in materia proportionata imponere possunt leges seu « præcepta..... Verisimile autem est tunc cessare alteram obli- « gationem obedientiæ, quatenus ex traditione seu promis- « sione humana nascitur; quia hi prælati nunquam videntur « habere intentionem præcipiendi et obligandi duplici titulo, « scilicet jurisdictionis et quasi dominationis, sed altero tan- « tum, juxta exigentiam rerum et actionum. Unde si ordina- « rium modum gubernandi inspiciamus, quoad vim *directivam* « quæ est in præcipiendo, videntur uti potestate dominativa,

Digitized by Google

« quæ fundatur in traditione seu promissione; quoad vim « autem *coactivam*, quando necessaria est, utuntur potestate « jurisdictionis : sicut irritando utuntur dominio, dispensando « autem jurisdictione. In rigore autem non dubito quin possint « utroque tituto uti in præcipiendo. » (*De Religione*, tomo 3, l. 10, c. 7, n. 7.)

Propositio IIIa. — *Præceptum superioris non obligat, etiam sub veniali, nisi manifesta sit ejus voluntas obligandi in conscientia.* — Cum enim possint superiores imperativo modo multa peragenda subditis significare, quin tamen intentionem habeant eos in conscientia obligandi, merito præsumuntur eam intentionem non habere, quandiu illam claris verbis aut signis non manifestant (vide Suaresium, tomo 3, l. 10, c. 4). Hinc ad obligandum, etiam sub veniali, non sufficit in superiore voluntas inefficax seu velleitas, quam exprimunt hæ formulæ: *optarem*, *vellem*.., *ut hoc faceres*. Imo nec sufficit adesse in superiore plenam et efficacem voluntatem rei quam præcipit; sed requiritur ut adsit voluntas subditum obligandi. Et tandem ista etiam voluntas non sufficit, nisi eam superior manifestam faciat.

Propositio IVa. — *Ad obligandum sub mortali non sufficit aliquo modo manifestam fieri voluntatem obligandi, sed necesse est ut manifesta fiat per hanc aut æquivalentem formulam*, in virtute obedientiæ. — « Notandum quod, nisi prælatus « mandatum explicet, verbi gratia, dicens, *jubeo*, *præcipio*, etc., « subditus non tenetur obedire... Et dicente prælato, *jubeo*, « *præcipio*, etc., nec etiam tenetur subditus obedire sub gravi, « nisi addatur, *in nomine D. N. Jesu Christi*, vel *in virtute* « *obedientiæ*, vel nisi addatur pœna excommunicationis, non « solum ferendæ, sed etiam latæ sententiæ. (Sanctus Liguorius, libro 4, n. 38.) Id tanquam jus commune in religionibus inductum est, ad præcavendas anxietates et dubia (vide Suaresium, loco citato).

Nota. — Licet de jure communi per se sufficiant ad obligandum sub levi voces *jubeo*, *præcipio* et similes ; de jure

Digitized by Google

tamen particulari aliquarum religionum (verbi gratia societatis Jesu), nequit superior per hasce voces, etiam sub levi, subditos obligare.

Propositio V^a^. — *Superioris præceptum non obligat sub gravi, nisi materia sit gravis.* — « Neque enim probabile est « quod quidam dicunt, si superior satis ostendat se velle obli- « gare quantum potest, semper obligare sub mortali, etiamsi « res præcepta minima sit. Hoc enim esse falsum constat ex ge- « nerali principio, quod peccata fiunt venialia ex levitate mate- « riæ : nulla enim est ratio cur hæc materia excipiatur. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 4, n. 9.) Vide etiam Lucium Ferraris (verbo *Votum*, art. 2, n. 42).

Propositio VI^a^. — *Præceptum superioris non obligat, si sit de re inhonesta, aut contraria regulæ.* — Prior pars evidens est, cum repugnet teneri aliquem ad peccandum. Posterior colligitur ex eo quod superiores regulares nullam potestatem, sive jurisdictionalem, sive dominativam habeant ad evertendam regulam, seu in religionis destructionem; sed tantum ad ædificationem, quod a fortiori patebit ex sequenti propositione (vide apud Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 16).

Nota. — Potest tamen contingere, ut superior potestatem habeat dispensandi a regula, et simul gravem rationem præcipiendi contra regulam. Porro tunc tenetur religiosus obedire, nisi ipsi constet superiorem dispensare sine causa. Ita doctores multi (vide S. Liguorium, libro 4, n. 39).

Propositio VII^a^. — *Præceptum superioris, quod ita est supra regulam, ut nec explicite, nec implicite, seu reductive, sub regula comprehendatur, non obligat.* — Diximus superiori propositione obligari non posse religiosos ad ea quæ sunt *contra* regulam. Hic vero expendenda venit quæstio, an a superiore obligari possint ad ea quæ sunt, non quidem contra, sed *præter*, seu extra regulam. Porro quod est *præter* regulam, vel est de se magis austerum quam ipsa regula, vel æque austerum, vel minus austerum. Attenta illa diversa austeritate relative ad regulam, distinguunt quidam ea quæ sunt *supra* regulam, ea

Digitized by Google

quæ sunt *infra* regulam, et ea quæ sunt *æquivalentia* regulæ, seu paris austeritatis. Sed in præsenti quæstione omitti possunt duæ ultimæ species ; quia in praxi recidunt, vel in ea quæ sunt *contra,* vel in ea quæ sunt *supra* regulam. Etenim supponamus a superiore præcipi aliquid æqualis aut minoris austeritatis relative ad regulam : vel exigit ut simul servetur regula ; et tunc res illa, juncta cum observantiis regulæ, erit aliquid magis asperum quam sola regula, ac proinde erit aliquid *supra* regulam : vel imperat, ut relictis observantiis regulæ, loco ipsarum fiat illud æqualis vel minoris asperitatis ; et tunc præcipit *contra* regulam ; quale ipsius præceptum obligare non posse jam probavimus. Unde tota quæstio ad hos terminos reduci potest : an valeat superior subditos obligare ad ea quæ sunt *supra regulam*. Sed ipsa hæc verba *supra regulam* duplici sensu intelligi possunt. Nempe,

Duplici modo potest quid sub regula comprehendi : *explicite*, quando id in regula exprimitur, seu quando res de iis est quas regula præscribit aut prohibet : *implicite* seu *reductive*, quando res est ad perfectam regulæ observantiam et ad proprium instituti scopum attingendum, moraliter necessaria, conveniensve, aut saltem utilis. Tunc scilicet quamvis res sit aliquatenus *extra* et *supra* regulam, tamen ad regulam reducitur et implicite sub ea comprehenditur, nimirum eo sensu, quod quælibet regula comprehendere cehsenda sit omnia ad ipsius observantiam convenientia, si legitime præcipiantur. Magnum autem intercedit discrimen inter ista, quæ sub regula *reductive* comprehenduntur, et vere dici possunt esse *juxta regulam ;* ac alia quæ ad proprium instituti scopum non conferunt.

His prænotatis dicimus, haud posse a superiore religiosos obligari ad ea quæ sunt *supra regulam* in posteriori sensu. Quam thesim defendit Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 8, n. 5 et seq.) in hunc modum : « Dico ergo : ex voto obedien-« tiæ solum tenetur unusquisque religiosus obedire prælato « juxta professionem suæ regulæ, id est intra limites regulæ,

Digitized by Google

« ut comprehendit omnia, quæ ad perfectam illius obser-
« vantiam vel necessaria, vel convenientia, aut utilia esse
« possunt. Ita explicuit materiam hujus voti divus Bernardus,
« libro *de Præcepto et dispensatione*, capite 7, ubi inquit : *Is*
« *qui profitetur, spondet quidem obedientiam; non tamen om-*
« *nimodam, sed determinatam secundum regulam.* Et infra :
« *Proinde si professo secundum illam regulam abbas meus*
« *mihi aliud forte imponere tentaverit, quod non sit secun-*
« *dum regulam..., quænam mihi, quæso, in hac re necessitas*
« *imminet obsequendi ? Solum quippe id a me posse exigi ar-*
« *bitror, quod promisi...* Ratio autem a priori est, quam addu-
« cit Bernardus : nam votum obligat juxta formam et inten-
« tionem voventis : sed in singulis religionibus non vovetur
« obedientia absolute et illimitate, sed vovetur obedientia secun-
« dum regulam ; ergo materia hujus voti non amplius exten-
« ditur... Denique communis doctrina scholasticorum, tam
« theologorum quam canonistarum, est, *prælatum non posse*
« *obligare religiosum ad ea, quæ sunt omnino supra regulam.* »
Id expresse docet S. Thomas (*quolibetana*, 10, art. 10), ubi
addit « in hac assertione convenire omnes doctores, quantum ad
« ea, quæ sunt arctiora quam regula ; quamvis in his quæ sunt
« infra arctitudinem regulæ, aut æqualia regulæ, dicat esse va-
« rietatem, quando illa sunt extra regulam, non tamen contra
« illam. Ipse autem concludit, etiam hæc non pertinere ad
« votum obedientiæ, nisi quatenus aliquo modo reducuntur
« ad regulam, conferendo scilicet ad observantiam ejus. »
(Suarez, loco citato.)

Objicies 1°. — Rationes illæ probant id non posse superiorem vi potestatis dominativæ, seu vi solius voti obedientiæ a subdito emissi : at ratione jurisdictionis ecclesiasticæ quæ ipsi tanquam prælato competit, bene poterit subditos obligare ad ea quæ sunt omnino supra regulam. — Respondeo cum Suaresio : « Materiam hujus jurisdictionis non posse extendi
« ultra materiam accommodatam statui assumpte religionis,
« et obedientiæ promissæ, quia supponit hanc tanquam con-

Digitized by Google

« ditionem necessariam. » (*De Religione*, tomo 4, l. 2, cap. 3, n. 13.)

Objicies 2°. — Restringenda saltem est conclusio quoad duos casus, juxta communem doctorum sententiam : *primo* nempe, quando major austeritas imponitur in pœnam commissi delicti : *secundo*, quando major aliqua austeritas injungitur ad præcavendam recidivam. Obligat procul dubio utrumque præceptum, et tamen est supra regulam. — Respondeo, in utroque casu præceptum non esse *supra regulam*. Cum enim ad ipsiusmet regulæ observantiam promovendam valde opportunum sit, imo et moraliter necessarium, ut superioris potestas ad duos illos casus sese extendat, duo illi casus *reductive* sub regula comprehenduntur ; unde ex eo quod superior duo præfata peragere possit, non sequitur eum posse subditos obligare ad ea quæ omnino sunt supra regulam (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 8, n. 7). Cæterum quod revera possit superior in his duobus casibus aliqua supra regulam subdito suo injungere, atque eum ad obediendum in conscientia obligare, est communis doctorum sententia, prout inter alios testatur Ferraris (verbo *Votum*, art. 2, n. 19).

Propositio VIII^a^. — *Quamvis superior obligatorie præcipere possit quæ sunt supra regulam, dummodo ad meliorem regulæ observantiam conferant, id tamen extendendum non est ad ea, quæ, licet de se ad regulæ observationem promovendam sint idonea, ei tamen regulæ et instituto non sunt consentanea.* — « Quæ indirecte pertinent ad regulam, Sylvius et quidam « alii ampliant ad ea quæ faciunt ad pleniorem ejus observatio- « nem. Sanchez tamen arctat ad res valde necessarias, sine qui- « bus regula commode servari nequit. Alioquin enim superior « quasvis corporis macerationes præcipere posset : ordinan- « tur enim ad pleniorem observationem regulæ. » (Apud S. Liguorium, l. 4, n. 39.) Omnino tenenda mihi videtur hæc Sanchesii doctrina. Unde, verbi gratia, si quis superior religiosis suis præcipiat ut quater singulis hebdomadis a car-

Digitized by Google

nibus abstineant, dum regula ter duntaxat abstinendum præcipit, non puto religiosos illos tali præcepto in conscientia fore obligatos. Supponimus autem superiorem ita præcipere, non in pœnam alicujus delicti (quo casu id procul dubio posset), at sub prætextu quod sic religiosi melius servabunt commendatam in regula corporis et sensuum mortificationem (vide apud Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 17).

Propositio IXª. — *In dubio an res injuncta sit illicita vel contra regulam, tenetur religiosus præcipienti superiori obedire.* — «Sic fere communis doctorum sententia, » inquit Ferraris (verbo *Votum*, art. 2, n. 15). Quibus auctoritatibus id probet præfatus auctor vide ibidem.

Propositio Xª. — *Potest superior religiosis præcipere sub gravi ea etiam quæ secum habent annexum mortis periculum, si adsit causa gravis, et aliunde res præcepta sub regula comprehendatur, saltem implicite, seu reductive.* — Nam regulari prælato competere censenda est potestas necessaria ad rectam gubernationem : atqui hac potestate careret, nisi in dicto casu valeret subditos sub gravi obligare. « Explicatur exemplis: nam « si religiosus ægrotet morbo contagioso, potest prælatus præ- « cipere alteri ut ei ministret, etiam cum periculo vitæ; quia « illud est necessarium ad conveniens regimen monasterii, « et ad conservationem, atque adeo ad commune bonum « ejus... Deinde potest prælatus præcipere religioso ut tem- « pore pestis assistat, si ita expediat ad commune bonum et « aliquo modo pertineat ad obligationem talis religionis, vel « ex peculiari instituto, vel ex gravi necessitate occurrente : « quia etiam in his casibus pertinet ad munus prælati ejus « providere : habet ergo potestatem accommodatam. Denique « interdum potest præcipere longam navigationem, etiamsi « habeat periculum annexum. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 8, n. 29.) Nec mirum hac potestate pollere regulares prælatos, cum ipsimet sæculares principes ea instruantur : possunt si quidem ob communem patriæ defensionem cives ad prælia ducere, et eos mortis periculo expo-

Digitized by Google

nere. Diximus autem, *modo res præcepta sub regula saltem reductive comprehendatur:* nam si quid ab instituto alienum præciperet superior (verbi gratia, si jubeatur Carthusianus transfretare, cum periculo vitæ, ad prædicandum infidelibus, quod ministerii genus S. Brunonis institutum nequaquam complectitur), non teneretur religiosus obedire. Item diximus *modo adsit causa gravis:* nam alioquin res injuncta haud foret secundum regulam, etiam reductive; quia regulæ conditor noluit eam ad casum periculi vitæ extendere, non concurrente causa gravissima; imo etiamsi voluisset, irrita quoad hoc foret regula, utpote irrationabilis et nociva. Cæterum expositam doctrinam tenent doctores communiter (vide S. Liguorium, l. 4, n. 40).

Nota, de præcepto eundi ad aliquod monasterium aeris intemperiei obnoxium, atque ibi commorandi. — « Religiosi « tenentur obedire prælatis jubentibus, ut eant ad commoran- « dum in aliquibus monasteriis, aeris intemperie laborantibus. « Id enim est regulæ conforme, et necessarium pro conserva- « tione conventuum seu locorum regularium : dummodo tamen « superiores in his non ducantur aliqua passione aut mala vo- « luntate; quia si subditus certo sciret superiorem hoc illi « præcipere solum ex odio et mala voluntate erga ipsum, posset « non obedire. » (Ferraris, v° *Votum*, art. 2, n. 22.)

Propositio XI^a^. — *Religiosus tenetur obedire superiori præcipienti actus internos, si connexionem habeant cum externis.* — Casus est, verbi gratia, si prælatus religiosis præcipiat missam celebrare ad talem intentionem, aut alia similia. Tunc ligari religiosos ejusmodi præcepto, vide probatum apud Ferraris (loco cit., n. 27).

Propositio XII^a^. — *Religiosi ex voto obedientiæ tenentur obedire Romano Pontifici, etiam quatenus est uniuscujusque religionis summus et principalis superior : item Sacræ Congregationi Episcoporum et regularium : item Cardinalium collegio, sede Apostolica vacante.* — Vide id firmatum apud Ferraris (verbo *Votum*, art. 2, n. 29 et seq.).

Digitized by Google

Propositio XIIIª. — *Si monasterium non sit exemptum, et contraria præcipiant superior et Episcopus, religiosus, ordinarie loquendo, tenetur superiori obedire, in iis quæ spectant ad regulam : in iis vero quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, Episcopo.* — Vide id probatum apud Ferraris (verbo *Votum*, art. 2, n. 33 et seq.). Diximus *ordinarie loquendo ;* quia Episcopus ex rationabili causa posset quandoque dispensare a regula et statutis ; et tunc ipsi præcipienti obedire deberent religiosi ; prout decisum a S. Congregatione, citato loco refertur.

Propositio XIVª. — *Superioribus contraria præcipientibus, tenentur religiosi ei obedire, qui majorem auctoritatem habet ; verbi gratia, provinciali potius quam superiori locali, etc., etc.* Vide Lucium Ferraris (ibid., n. 35).

Propositio XVª. — *Non tamen tenentur regulares obedire superiori suo excommunicato.* — Vide ibidem, n. 37.

Propositio XVIª. — *Papa potest eximere religiosum a quorumlibet ipsius superiorum obedientia, et sibi reservare potestatem eum regendi et obligandi : idemque potest generalis relative ad prælatum inferiorem.* — Vide ibidem, n. 38 et 39.

Propositio XVIIª. — *Religiosus, ex vi voti obedientiæ, obligari nequit, etiam a Papa, ad transeundum ad statum sæcularem.* — Quia nempe tale præceptum est de re contraria ipsi voto (vide Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 10, n. 1). Diximus *vi voti obedientiæ*, ut abstrahamus a quæstione an id præcipere possit Papa *vi supremæ suæ jurisdictionis*, propter urgentem aliquam Ecclesiæ necessitatem.

Propositio XVIIIª. — *Religiosus, ex vi voti obedientiæ, obligari nequit, etiam a Papa, ut transeat ad religionem minoris aut etiam æqualis perfectionis.* — Quia transitus ille, cum non sit de meliori bono, materia voti esse nequit ; ergo neque potest vi voti imperari (vide Suaresium, loco citato, n. 2).

Propositio XIXª. — *Religiosus, vi voti obedientiæ, nequit obligari, neque ad transeundum, neque ad non transeundum ad religionem perfectiorem.* — 1° Non ad transeundum : « Quia « votum obedientiæ religiosæ solum est secundum regulam, vel

Digitized by Google

« ad summum extenditur ad ea quæ non sunt contra regulam : « sed transitus ab una religione ad aliam, quantumvis perfe- « ctam, non est secundum regulam prioris religionis ; imo « dici potest illi contrarius, quatenus statum illum evertit. « ergo. » 2° Neque ad non transeundum : « Quia talis prohi- « bitio impediret majus bonum... » (Suarez, loco citato, n. 4 et 5.)

Propositio XXª. — *Certum est illicitam et irritam esse episcopatus acceptationem a religioso, absque superiorum suorum licentia : an autem id ex voto obedientiæ decerni potuerit, controverti potest.* — Quod irrita sit et illicita dicta acceptatio episcopatus, et cujuslibet alterius extra religiosum ordinem dignitatis, absque prævia superiorum licentia, constat ex capite *Si religiosus* (*de Electione*, in 6), et aliis textibus. Atvero non ita liquet an ex vi voti obedientiæ prohiberi religiosis potuerit episcopatus acceptatio, cum episcopalis status statu religioso perfectior sit. Vide rem fuse disputatam a Suaresio (*de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 10, n. 6 et seq.).

Propositio XXIª. — *Potest Papa religiosum obligare ad acceptandum episcopatum, non tamen vi voti obedientiæ, sed solum vi Pontificiæ suæ jurisdictionis.* — Utramque propositionis partem vide probatam a Suaresio (*de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 10, n. 10 et seq.).

Propositio XXIIª. — *Non tenetur religiosus obedire superiori suo præcipienti ut acceptet beneficium sæculare ; bene vero præcipienti ut acceptet et administret beneficium regulare.* — Vide apud Suaresium, ibidem, n. 24. Id tamen intelligendum videtur de jure communi. Nam si cui instituto proprium sit ut administrandis etiam sæcularibus beneficiis curatis ipsius religiosi sese impendant (prout revera Præmonstratensium ordini proprium est), tenebitur religiosus obsequi superiori suo, jubenti ut aliquod ejusmodi beneficium acceptet ; quia tunc superior præcipit juxta regulam.

Propositio XXIIIª. — *Tradunt plures doctores, posse in aliqua religione extendi materiam voti obedientiæ, ita ut compre-*

Digitized by Google

hendat absque limitatione res omnes honestas et regulæ non contrarias. — Quæstio est, an teneatur religiosus, vi voti obedientiæ, superiori suo præcipienti semper et in omnibus obedire, modo non præcipiat inhonesta vel contra regulam? Videtur autem solvi posse in hunc modum :

I. *Certum est obedientiæ votum non obligare nisi juxta regulam.* — Id supra jam diximus, et communiter admittitur; intelligendo tamen esse *juxta regulam,* ea etiam quæ sub ipsa indirecte seu reductive comprehenduntur, ut pariter supra dictum est.

II. Quando in regula non dicitur, ex vi voti obediendum esse in omnibus quæ præcipiet superior, exceptis solis inhonestis et regulæ contrariis, materia voti obedientiæ censenda est ita limitari, ut non comprehendat ea quæ sunt *supra* regulam, quamvis honesta et regulæ non contraria. Nam, ex dictis, materia voti obedientiæ non comprehendit, nisi ea quæ sunt *juxta* regulam, saltem reductive. Sed quæ sunt *supra* regulam, licet honesta et regulæ non contraria, non sunt *juxta* regulam, etiam reductive, in dicto casu : nam, ex hypothesi, constitutiones ordinis non exprimunt ea fore in materia voti comprehensa : aliunde autem, ex natura sua et attento instituti proprio fine, nulla est ratio cur sub regula implicite comprehendi censeantur, prout etiam supponimus. Ergo vere remanent *supra* regulam. Ergo si ea præcipiat superior, non tenebitur ex vi voti religiosus obedire.

III. At fieri potest ut in religionis alicujus regula seu constitutionibus expresse dicatur, obligationem obediendi ex vi voti ita intelligi, ut comprehendat quælibet superiorum præcepta, exceptis iis solis quæ forent de re prava aut ipsi regulæ contraria. Tunc vero materia revera voti obedientiæ videtur illimitata, quoad res omnes honestas et regulæ non contrarias. Nam superior eas præcipiendo, præcipit *juxta* regulam, cum regula, ex hypothesi, quoad illas obediendum decernat, si a superiore præcipiantur.

IV. In ordine sancti Francisci hoc posteriori modo determinari

Digitized by Google

materiam voti obedientiæ, testatur inter alios S. Bonaventura (*in expositione* regulæ, cap. 1); nil aliud scilicet a materia voti obedientiæ excludi, præter res inhonestas et regulæ contrarias, in ipsa hujus ordinis regula declaratur.

In societate Jesu, quamvis passim ejus constitutiones idem innuere videantur, aliter tamen concludendum est cum Suaresio : « In hac re (inquit), dicendum censeo, materiam quidem « hujus voti in societate esse amplissimam : nihilominus tamen « in *rigore præcepti* aliquam admittere limitationem, quamvis « *ex consilio* sola illa spectanda sit, ut quod præcipitur non sit « malum. Illam vero (materiam) declarandam censeo ex verbis « B. Patris nostri Ignatii (parte 9 const., c. 3, § 20) ubi sic ait : « *Generatim loquendo in rebus omnibus quæ ad propositum* « *societati finem perfectionis et auxilium proximorum ad glo-* « *riam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute* « *possit*, scilicet præpositus generalis. Potestas ergo præcipiendi « limitatur ex fine quem societas sibi proposuit, et ad quem « tendere profitentur omnes ejus alumni..... Quæ vero sunt, « vel contraria huic fini, vel certe impertinentia ad illum, « non est cur sub materia illius voti comprehendantur, « licet alias bona sint : quia religiosi societatis non profi- « tentur facere quodlibet bonum, nec servare quodlibet consi- « lium, sed juxta finem sibi præstitutum. Alia ergo præcipi « non possunt, ut in prædicta constitutione significatur : « ergo licet præcipiantur, non tenentur religiosi ex voto obedien- « tiæ in eis obedire. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 10, l. 4, c. 12, n. 10.)

Propositio XXIV^a^. — *Alacritas voluntatis in exequenda re injuncta, et conformitas judicii cum superioris præcipientis judicio, non sunt materia voti obedientiæ.*—Etenim votum obedientiæ pro objecto habet solam præcepti legitimi executionem. Vovet nempe religiosus facere rem a superiore præceptam, et nihil aliud. Unde ad obedientiam quam vocant *necessariam*, seu quæ sine voti violatione omitti nequit, pertinet sola rei injunctæ executio. Quod autem religiosus eam exequatur cum ala-

Digitized by Google

critate aut repugnantia, et cæca quadam obedientia supponendo rem injunctam esse opportunam, aut contrarium sentiendo, id pertinet ad virtutis obedientiæ perfectionem.

§ II.

An et quatenus superiores regulares valeant condere statuta perpetua, quæ rationem et vim legis habeant.

Diximus superiori paragrapho de potestate superiorum subditos in conscientia obligandi per præcepta *personalia*. Hic vero inquirimus de ipsorum potestate obligandi per modum statuti perpetui seu legis. De quo plures solvendæ veniunt quæstiones.

Quæstio Iª. — *Quinam in religione valeant statuta condere?* — Circa illam quæstionem hæc est recepta et tenenda solutio : 1° inferiores prælati potestatem ordinariam non habent ad condenda ejusmodi statuta : 2° neque illam habent provinciales : 3° ipsi etiam ordinum generales (attento solo jure communi, et nisi aliter in aliquo instituto, a sede Apostolica approbato, disponatur) nequeunt absque generali totius ordinis capitulo dicta statuta edicere. Unde 4° potestas hæc de jure communi censenda est residere solummodo penes supremum totius ordinis tribunal, id est, penes generale capitulum. Quam doctrinam sic exponit Suarez (*de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 8, n. 4) : « Ad majorem hujus rei veritatem, « observare oportet, aliud esse præceptum personale, aliud « vero statutum per modum legis. Priori modo possunt præci- « pere, etiam in conscientia, omnes qui habent jurisdictio- « nem aliquam; magis aut minus juxta modum jurisdictionis. « Posteriori autem modo non omnes, sed illi qui habent « principalem quamdam jurisdictionem, qualis requiritur ad « leges ferendas. Sic ergo in religione, omnium prælatorum « est movere suos subditos per præcepta obligantia in con- « scientia, cum proportione suæ jurisdictionis : nam prælati

Digitized by Google

« conventuales solum in religiosos sui monasterii, et in rebus « ad illud pertinentibus ; provincialis in sua provincia ; gene- « ralis in tota religione uti potest potestate sibi concessa. Ad « facienda autem *statuta perpetua*, quæ vim habeant et ratio- « nem legis, nec inferiores prælati, nec provinciales ordina- « riam potestatem habent. Dices : Episcopus potest condere « similia statuta; isti autem prælati, præsertim provinciales, « habent episcopalem jurisdictionem; ergo poterunt statuta « perpetua facere. Respondetur negando consequentiam; « quia non in omnibus habent parem aut similem potestatem; « ideoque non episcopalem, sed *quasi episcopalem* jurisdictio- « nem habere dicuntur. Episcopi ergo habent per se et imme- « diate jurisdictionem a summo Pontifice, et illi etiam imme- « diate subsunt; ideoque per se habent jurisdictionem ad « condenda statuta : sunt enim quasi Ecclesiæ principes sub « supremo capite. Provinciales autem religionum non imme- « diate a Papa, sed vel a generali, vel a sua religione habent « jurisdictionem, subjectam etiam et dependentem a gene- « rali; et ideo non conceditur eis jurisdictio sine generali ad « condenda statuta; quæ est res gravissima, et quæ concer- « nit totum corpus religionis. Quin potius neque ipsi gene- « rali sine universali conventu solet tanta facultas dari. Quia « licet ille sit veluti proprius Episcopus totius religionis, imme- « diate constitutus sub Pontifice Summo, nihilominus non est « simpliciter supremum tribunal ipsius religionis. Nam capitu- « lum generale superius est. Et ideo regulariter illi reservatur « hæc potestas. »

Quæstio IIª. — *Quænam nova statuta religiosis tanquam obligatoria imponi valeant?* — Prout distinximus quoad præcepta personalia ; ita distinguenda sunt statuta quæ sunt *omnino supra regulam*, ita ut sub ea ne indirecte quidem et reductive comprehendantur, ab eis quæ *reductive sub regula comprehenduntur*, quatenus ipsi sunt consona, et ad melius promovendam ejus observantiam tendunt.

I. *Condi possunt a capitulo generali nova statuta, quoad omnes*

Digitized by Google

religiosos obligatoria, modo sint regulæ consona, et sub ea reductive saltem comprehendantur. — Id reperio a doctoribus communiter admissum, et confirmat religionum praxis. Ratio est, quia hoc ipso quod quis secundum alicujus ordinis regulam professionem emittat, implicite consentit novis ordinationibus et statutis, quæ ad firmandam ejusdem regulæ observantiam in posterum moraliter necessaria, aut valde opportuna, supremæ totius ordinis auctoritati videri poterunt. Ad rectum enim cujuslibet religiosæ societatis regimen, necesse est in ea existere talia statuta condendi potestatem. Nec dicatur sufficere regulas et constitutiones a fundatore conditas : non enim ab ipsis ordinum religiosorum exordiis omnia prævidentur et sanciuntur, quæ decursu temporum, et novis exortis circumstantiis, moraliter necessaria, aut saltem valde opportuna evadere possunt. Quod sic exponit Suarez (*de Religione*, t. 3, l. 10, cap. 8, n. 13) : « Addo..., regulariter talia statuta seu « additiones non fieri, nisi quia prudenter judicantur mora- « liter necessariæ ad perfecte servandam primam institutio- « nem et regulam. Nam humana providentia non statim a « principio prævidet omnia commoda vel incommoda ad ali- « quem finem; sed paulatim per experientiam addiscit multa, « quæ convenientia, vel etiam necessaria sunt. Hac ergo ra- « tione contingit, etiam in religionibus convenienter addi « novum aliquem rigorem, ut medium aptum ad consequen- « dum scopum talis religionis, vel ad regulæ observantiam. « Et juxta hunc modum existimo procedere et veram esse « sententiam priorem communem (1). Sed tunc illa non est « exceptio a generali regula supra posita; quia talis materia « *virtute et indirecte* sub voto obedientiæ continebatur. Nam « illud præceptum revera est secundum regulam, cum ad « ipsius regulæ observantiam ordinetur. Tunc ergo tale præ-

(1) Sententia illa prior, quam exposuerat Suarez numero 9, tenet edi posse a religione novas constitutiones, austeritatem prioribus addentes, quæ religiosos omnes obligent; dummodo consentiat major pars generalis capituli, nec illæ additiones ejusmodi sint, quæ religionem ipsam substantialiter immutent.

Digitized by Google

« ceptum fieri potest, non solum a Papa, quod clarum est, « sed etiam a religione cum consensu majoris partis, quia illa « habet potestatem præcipiendi secundum regulam : illud « autem præceptum est secundum regulam modo declarato... « Non est necessarius novus consensus singulorum; quia suf- « ficit consensus præstitus in ipsamet professione, cum tale « præceptum non excedat terminos ejus, ut ostensum est. »

II. *Si capitulum generale condat nova statuta, quæ ita sint supra regulam, ut ne indirecte quidem seu reductive sub ea comprehendantur, statuta hæc non obligabunt religiosos qui antea professionem emiserunt.* — Casum intelligimus cum Suaresio, ita ut « talis additio sit omnino extra regulam secundum se « et in sua integra observantia sumpta, et ad illam non sit « necessaria, nec per se conducens; sed solum ad majorem « austeritatem, vel perfectionem in genere. » (*De Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 10.) Porro in hoc casu dicimus religiosos antea professos, non posse hujusmodi novis statutis obligari. Nam 1° religiosus nequit obligari nisi ratione votorum: proinde nequit ipsi imponi ultra id quod vovit : consequenter, ut obligetur novo aliquo statuto, oportet ut materia hujus statuti, sub materia voti, saltem *virtualiter et indirecte* contineatur; quod in casu, de quo agimus, locum non habet, ex hypothesi. 2° « Si prælatus etiam cum majore parte capituli « vellet per particulare præceptum illud onus imponere tali « vel tali religioso, non posset, juxta doctrinam Bernardi et « divi Thomæ supra allatam : nam quoad hoc non est major « potestas in prælato cum capitulo quam sine illo; quia totum « pendet ex limitatione voti, extra quod nullus potest præci- « pere ex vi obedientiæ. Ergo simili ratione non potest præla- « tus, cum majori parte capituli generalis per statutum per- « petuum imponere hoc onus illis religiosis, qui sub voto « suo nullo modo illud comprehenderunt; quia non est major « potestas ad præcipiendum uno modo, quam alio; nec omni- « bus, quam singulis. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 10.)

Digitized by Google

III. *Posset tamen capitulum prædicta statuta, quæ ne reductive quidem sub regula comprehenduntur, condere, ita ut iis obligarentur, non jam professi, sed professionem in posterum emissuri.* — « Atvero (inquit Suarez, loco cit., n. 12), si talis « austeritas aut nova observantia non imponeretur sub præcepto « omnibus jam professis, sed solum sub consilio pro his qui « illam velint acceptare, quamvis poneretur sub præcepto pro « his qui in posterum professionem emiserint, facilius posset « talis additio fieri, non solum a Pontifice, sed etiam ab ipsa « religione, consentiente majori parte capituli generalis, « etiamsi alii dissentiant. Sic enim talis constitutio non spe- « ctat ad singulos ut singulos, cum nullus cogetur illam ob- « servare, sed ut universos, id est ad ipsum corpus religionis « ut sic, quod voluntarie acceptare potest aliquid pertinens ad « majorem perfectionem suam, et illud statuere eo modo quo « magis expediat. Ille autem modus est convenientissimus, « quia ut sit voluntarius corporis, satis est ut major pars con- « sentiat : et nulli fit violentia, quia jam professis solum datur « consilium : qui autem postea profitentur, voluntarie statu- « tum illud cum aliis acceptant. Potest ergo talis additio « optime fieri, etiamsi tantum sit propter majorem perfectionem « seu austeritatem. »

Quæstio IIIª. — *An et quatenus possit summus Pontifex religiosos novis statutis seu legibus obligare?* — 1° Difficultas non est de statutis, quæ virtualiter seu reductive sub regula comprehenduntur, et ad ipsiusmet regulæ promovendam observationem necessaria sunt vel utilia. Si ejusmodi statuta imponere possit generale religionis capitulum, a fortiori id poterit summus Pontifex, qui principalem et summam habet in omnes ordines religiosos auctoritatem, non solum jurisdictionalem, sed et dominativam.

2° Atvero si agatur de statutis regulæ ita extraneis, ut neque virtualiter et reductive sub regula comprehendantur, res non adeo statim liquet. Distinguendum cum Suaresio inter *dominativam* summi Pontificis potestatem (quam nempe habet

Digitized by Google

tanquam supremus religionis Prælatus, et quæ in voto obedientiæ religiosorum fundatur), et potestatem ipsius *jurisdictionalem*. Nequit summus Pontifex dicta statuta imponere « si præcise consideretur ut supremus Prælatus religionis, « habens vim præcipiendi fundatam in voto obedientiæ : sic « enim militat eadem ratio, quod ejus præceptum non possit « extendi ultra materiam voti et intentionem voventis. Secus « autem erit, si Pontifex in virtute suæ primariæ jurisdi- « ctionis aliquid præcipiat : nam hæc potestas major est. Et « quamvis, absolute loquendo, non possit omnibus christianis « præcipere ea, quæ ex se sunt opera supererogationis et « consilii, tamen supposito statu alicujus religionis, quæ ex « institutione sua non habeat nec profiteatur aliquam obser- « vantiam (in exteriori habitu, vel in Dei cultu, vel in auste- « ritate et ministerio, vel in actione), poterit interdum illam « statuere, si judicet vel ad universalis Ecclesiæ bonum, vel « ad majorem decentiam talis religionis expedire. Quod inter- « dum videmus fecisse Pontifices, quamvis raro, et non sine « aliqua violentia talis religionis ; propter quam non solent « talia præcepta multum durare. Quandiu vero revocata non « fuerint, timenda sunt, etiamsi duriora videantur. » (*De Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 11.)

§ III.

An et quatenus reformari valeat aliquis ordo religiosus, et obligari possint religiosi ad observandam reformationem.

Quæstio Iª. — *Quotuplici modo contingere possit aliquam regulam relaxari seu mitigari?* — 1° Fieri potest regulæ mitigatio decreto auctoritatis Apostolicæ; si nempe summus Pontifex ab aliquibus regulæ observantiis dispenset, vel etiam eas abroget : item decreto ipsiusmet religionis, si ex proprio instituto potestatem habeat aliqua moderandi, et moderationem illam decernat. 2° Introduci potest relaxatio per consuetudinem legitime præscriptam. « Sunt enim in religionibus

Digitized by Google

« multæ observantiæ vel austeritates, quæ solum nituntur in « lege positiva; et ideo derogari illis potest per contrariam « consuetudinem; quæ licet illicite inchoetur, quia tunc « durat obligatio legis, postquam tamen introducta est con- « niventibus prælatis, sine culpa servatur. » (Suarez, *de Religione,* tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 16.) 3° Introduci potest per consuetudinem illegitimam, seu corruptelam : si nempe versetur circa materiam, in qua non datur præscriptio contra legem; qualis est materia votorum. Etenim obligatio semel ex voto orta, nulla contraria, et quantumvis generali consuetudine tolli potest : cæteræ autem obligationes, aliunde quam ex vi votorum ortæ, utpote juris humani, per contrariam consuetudinem abrogari possunt (vide Suaresium, loco cit.). Non loquemur hic de reformatione regulæ, quæ hoc posteriori modo relaxata fuisset. Cum enim ex hypothesi relaxatio illa non facta sit legitima, pergit obligare regula primitiva, et dubium non est quin possint ac debeant religiosi omnes ad eam observandam compelli. Unde tota præsentis paragraphi difficultas versatur circa duas priores species mitigationis; quando nempe legitima evasit illa mitigatio, sive per competentis auctoritatis decretum, sive per legitime præscriptam consuetudinem.

Quæstio IIª. — *Quid senserint doctores circa præsentem materiam?* — « Occurrit frequens et gravis dubitatio, an is, qui « professionem emisit in religione, quæ a rigore suæ primi- « tivæ regulæ multum remisit, possit postea, in virtute obe- « dientiæ, cogi ad observandam regulam primitivam, facta « reformatione in ipsa religione, vel etiam antequam fiat. « Auctores enim varie in hoc sentiunt. Quidam asserunt etiam « non facta universali reformatione, obligari posse aliquem « ex vi voti, ut servet regulam, etiamsi propter relaxationem « ab aliis non servetur... Alii tenent ante reformationem non « posse aliquem cogi ad servandam regulam, quoad illam « partem, in qua illam relaxatam invenit; posse tamen ab « ipsamet religione ad priorem formam restitui; et tunc con-

Digitized by Google

« sequenter posse etiam obligari quemlibet religiosum antea « professum ad primitivæ regulæ observationem : prior pars « hujus sententiæ *communis est*... Tertia vero sententia esse « potest simpliciter negans, posse religiosum obligari ad « observationem de reformatione primitivæ regulæ acceptan- « dam, quando invenit eam relaxatam per consuetudinem « præscriptam, quia non potest obligari ad illud observandum « quod professus non est. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 15.)

Quæstio IIIª. — *Num, ante factam reformationem, possit religiosus obligari ad servandam primitivam regulam?* — Non agitur hic de imponenda illa obligatione omnibus religiosis per modum statuti seu legis ; quia ejusmodi generale statutum esset ipsamet reformatio; et hic supponimus eam nondum factam fuisse. Unde quæstio est, an possit superior per modum præcepti personalis aliquem religiosum obligare ad observandam primitivam regulam.

Respondeo, regulariter loquendo, non posse religiosum ad id obligari, antequam facta fuerit reformatio. Nam, ex hypothesi, legitima est regula mitigata; et primitiva jam obligare desiit. Ille autem religiosus vigentem invenit regulam mitigatam, et juxta illam vota sua emisit. Ergo quoad ipsum regula mitigata est vera regula. Ergo superior ipsi imponendo regulam primitivam, præciperet supra regulam ; quod (regulariter loquendo) facere nequit.

Dicimus *regulariter loquendo*, quia (ut supra dictum est) potest superior aliquid supra regulam imponere, 1° in pœnam delicti : 2° si res præcepta non sit *omnino supra regulam*, sed indirecte seu reductive sub regula comprehendatur, et ad melius promovendam regulæ observationem conducat.

Objicies. — Regula primitiva est semper apta ad melius procurandam regulæ mitigatæ observationem ; et sic reductive semper sub regula mitigata comprehensa remanet : ergo superior eam semper præcipere poterit. — Nego antecedens : nam observantiæ in primitiva regula prescriptæ, non semper confe-

Digitized by Google

runt ad melius observandam regulam mitigatam, quatenus talem; sed multoties addunt solummodo majorem austeritatem. Sit in exemplum regula primitiva ter in hebdomada jejunandum præcipiens, et regula mitigata qua duo solummodo jejunia injunguntur. Clarum est tertium illud jejunium, quod obligare desiit, non conferre nec consonum esse regulæ mitigatæ. Unde si illud præcipiat superior, *omnino supra regulam* mitigatam præcipiet. Nisi ergo illud præcipiat in pœnam delicti, obedire subditus non tenebitur.

Cæterum eamdem præsentis quæstionis solutionem tradit Suaresius. Ad casum nempe, quo mitigatio facta sit per legitimæ auctoritatis decretum, sic habet : « Existimo... eos qui « post talem moderationem ingressi sunt religionem, non « posse obligari ad primitivam regulam ejusque rigorem « observandum, neque ante, neque post reformationem. Prior « pars per se evidens est; quia tunc nec voto obligantur « (cum factum sit juxta regulam legitime mitigatam); neque « ipsa regula, cum nondum supponatur reformata. » (*De Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 17.) Ad casum autem quo relaxatio facta est per consuetudinem legitime præscriptam, sic habet : « Quod ante reformationem non possit quis obligari ad « servandum rigorem antiquum contra præsentem consuetu- « dinem, probatur; quia durante eo rerum statu, illa obe- « dientia non est secundum regulam; quia nunc non viget « ea regula, sed derogata est. Ergo non cadit sub tale votum « (*nempe obedientiæ*). Præterea juramentum de servandis sta- « tutis alicujus collegii non obligat ad servanda statuta quæ « consuetudine derogata sunt, ut est communis sententia..... « Item est optima ratio, quia regula debet esse communis. « Quandiu autem non est facta reformatio, nemo potest intro- « ducere regulam communem, contra præscriptam et non pra- « vam consuetudinem. » (Loco cit., n. 18.) Suæ tamen conclusioni apponit Suaresius limitationem istam : « Hoc autem « intelligendum est *per se* et *ex vi regulæ*. Nam si contingat « alicui personæ particulari esse necessarium illum rigorem ad

Digitized by Google

« observantiam votorum, poterit quidem ei per obedientiam « injungi; sicut posset etiam, si nunquam fuisset in antiqua « regula præscriptum. » (Loco citato.)

Quæstio IVᵃ.— *An et a quo fieri possit reformatio?* —Agimus semper de reformatione regulæ, mitigatæ quidem seu relaxatæ, sed jam *legitimæ*. Nam si regula relaxata non sit legitima, quilibet superior non tantum potest, sed debet, primitivam regulam urgere; cum, ex hypothesi, regula hæc vigere non desierit; de qua improprie dicta reformatione hic non agimus; sed tantum de reditu a regula mitigata legitima, ad regulæ primitivæ rigorem. Item hic non inquirimus, num reformatio semel facta, obligabit etiam religiosos ante illam professos (quæ difficultas infra expenditur); sed solummodo inquirimus, quinam reformationem decernere valeant; quo prænotato, sic quæstioni respondendum videtur.

I. *Etiamsi regula mitigata fuerit auctoritate Pontificia, potest reformari; non solum ab ipso Papa, sed etiam ab ipsa religione.* — « Potest contingere ut post factam moderationem « regulæ, etiam per dispensationem Pontificis, experimento « cognoscatur, talem dispensationem, non solum non esse uti- « lem, sed etiam esse ita nocivam, ut, ablato tali rigore per « hujusmodi remissionem, non possint reliqua convenienter « observari. Tunc autem et Papa solus potest talem dispensa- « tionem auferre; vel etiam religio, si majori ex parte consen- « tiat, potest illi renuntiare, et se reducere ad pristinum rigo- « rem, obligando etiam noviter professos ad illum servandum; « quia hoc revera non excedit vim professionis eorum. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 8, n. 17.) Quod tunc Papa valeat reformationem decernere, patet, quia potest concessam dispensationem retrahere. Quod etiam id possit religio, id est generale capitulum, sequitur ex eo quod tunc mitigatio sit favor a sede Apostolica concessus : favoribus autem et gratiis cuique liberum est renuntiare.

II. *Quando mitigatio introducta fuit per legitime præscriptam consuetudinem, reformari potest, tum a Romano Pontifice,*

Digitized by Google

tum ab ipsa etiam religione. — Nam consuetudo illa, etsi nunc legitime præscripta, initio fuit prava et illicita. « Prava autem « consuetudo (ait Suarez), seu illicite introducta, licet habeat « vim relaxandi obligationem regulæ, quandiu durat, non ta- « men habet tantam vim, ut auferat religioni, vel Pontifici « potestatem reformandi regulam et auferendi ejusmodi con- « suetudinem. » (*De Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 19.)

Quæstio V^a^. — *An, facta reformatione, religiosi qui ante ipsam professi erant, teneantur eam observare?* — Diligenter distinguendi sunt varii casus : varia enim est quæstionis solutio, prout regulæ mitigatio contigit per decretum Pontificium, aut per solam consuetudinem; atque item prout reformatio fit per ipsammet religionem, aut per sedis Apostolicæ auctoritatem.

I. *Si mitigatio inducta sit per sedis Apostolicæ dispensationem, et reformatio fiat a capitulo generali, huicce dispensationi renuntiante, et regulam primitivam reducente, qui ante reformationem professus est, ad eam servandam non tenetur; nisi tamen talis sit reformatio, ut indirecte seu reductive sub regula mitigata contineatur.* — « Quia, inquit Suarez, « nemo potest obligari ad acceptandum quod nec directe nec in- « directe vovit : sed ille non vovit talem rigorem regulæ, nec vi- « vere aut obedire secundum illum : ergo non tenetur accep- « tare illam reformationem etiamsi fiat : ergo etiam post illam « factam non potest per obedientiam obligari ad vivendum se- « cundum illam. » (*De Religione*, tomo 3, l. 10, cap. 8, n. 17.)

Diximus, *nisi tamen reformatio reductive sub regula mitigata contineatur ;* quam limitationem idem Suaresius apponit conclusioni suæ. Eam enim dicit intelligendam esse, « quando « reformatio solum fit propter majorem perfectionem, et « rigorem : nam ad hæc nemo obligatur, nisi supposito suffi- « cienti voto. Aliquando tamen fieri potest propter observa- « tionem necessariam ad finem ejusdem religionis, *etiam spe- « ctatæ in eo statu dispensationis :* et tunc si reformatio fiat,

Digitized by Google

« obligari quisque debet ad observandam illam, quia tunc « non est consideranda illa reformatio ut reditus ad pristinam « regulam, sed ut additio quædam moraliter expediens ad finem « talis religionis, de qua jam supra diximus posse fieri, et in- « directe saltem pertinere ad votum obedientiæ secundum regu- « lam. » (Loco citato.)

II. *Si mitigatio inducta sit per consuetudinem, et reformatio fiat a capitulo generali, qui ante reformationem professus est, obligari potest ad illam observandam.* — « Existimo (ait « Suarez quoad casum hunc) posse ad illam observandam obli- « gari etiam illos qui ante reformationem professi sunt... Et « ratio est, quia talis reformatio non est additio supra regulam, « sed restitutio moraliter necessaria ad perfectam regulæ obser- « vationem. » (*De Religione*, l. 10, cap. 8, n. 19.) Hæc tamen Suaresii ratio non plene convincit; quia tunc reformatio, relative ad regulam per consuetudinem mitigatam, est revera additio quædam; et professus dicere posset, se vovisse non juxta regulam primitivam, sed juxta moderationem a consuetudine introductam. Unde potius videtur recurrendum ad aliam rationem, supra indicatam : posse nempe fieri additionem *supra regulam*, quando additio hæc moraliter necessaria est, vel saltem valde utilis ad convenientem regulæ observantiam, et ad proprium instituti scopum. Jam vero, in casu regulæ mitigatæ per repetitas infractiones, ex quibus orta demum est sufficiens ad præscribendum consuetudo, quasi semper dici poterit valde utilis, et regulæ etiam sic mitigatæ valde consentanea additio, quæ fit per reditum ad regulam primitivam. Proinde professo obtendenti, se vovisse duntaxat secundum regulam consuetudine mitigatam, responderi potest: Implicite in tua professione acceptasti omnes additiones, quæ aliquando fieri possent ad convenientius attingendum proprii instituti scopum, et melius promovendam regulæ observationem : atqui per reformationem seu reditum ad regulam primitivam, nihil aliud fit quam ejusmodi additio regulæ illi mitigatæ, juxta quam vovisti; ergo reformatio hæc implicite

Digitized by Google

contenta fuit in materia voti a te emissi : ergo ad eam observandam constringi potes.

Excipiendus tamen videtur casus, quo religiosus professionem emittendo, expresse declarasset, aut apud se statuisset, non vovere nisi secundum regulam consuetudine temperatam, positive excludendo primitivam, si quando forte reduceretur.

Item excipiendus videtur casus, quo per consuetudinem regula aliqua ita fuisset immutata, ut jam foret omnino diversa a primitiva; quia tunc reformatio non foret simplex additio, regulæ mitigatæ conveniens et utilis, sed quasi transitus ad novam religionem arctiorem et perfectiorem.

II. *Si reformatio fiat auctoritate Pontificia, ad eam observandam obligari possunt religiosi antea professi : quod procedit sive mitigatio inducta sit Apostolica dipensatione, sive per consuetudinem.* — Etenim, ut supra diximus, duplex in Romano Pontifice exstat potestas, relative ad religiosos ordines : dominativa, vi cujus est primarius ipsorum omnium abbas seu superior, et jurisdictionalis. Qua primarius superior potest, antea professos ad reformationem servandam obligare, in iis casibus, in quibus obligari possent ab ipso capitulo generali reformante : non tamen in aliis. Atvero, ut adnotat Suarez, jurisdictionalis ejus potestas major est. Potest nempe summus Pontifex, vi hujus potestatis, si hoc ad generale Ecclesiæ bonum, aut ad majorem alicujus religionis decentiam expediat, ipsi imponere novas leges, quæ etiam sint *omnino supra regulam*. Nec objiciatur, etiam a summo Pontifice imponi invitis non posse ea quæ sunt de consilio : nam licet non possit Pontificia auctoritate religiosus status imponi, posito tamen hoc statu libere assumpto, debet esse in Romano Pontifice potestas eum legibus gubernandi, quas exigit generale Ecclesiæ bonum, et uniuscujusque ordinis religiosi major decentia. Alias aliquatenus in ipso deficeret plena et perfecta Ecclesiam regendi potestas. Ergo qui statum religiosum amplectitur, hoc ipso implicite se subjicit iis addi-

Digitized by Google

tionibus et novis legibus, quas etiam omnino extra et supra regulam decernere potest summus Pontifex, si ita expedire ob dictas rationes existimet.

Unde in praxi, quando reformatio fit Pontificiæ auctoritatis plenitudine, non videtur tueri se posse religiosos antea professos, quominus reformationi se subjiciant, ex eo quod reformatio sit omnino supra regulam quam professi sunt, et ex eo quod nemo possit ipsis imponere ultra id quod voverunt : nam talis reformatio, implicite in materia votorum cujuslibet religiosi contineri censenda est. Imo si religiosus voveret sub ea conditione, quod etiam a Papa ipsi imponi non poterit quidquam supra regulam, secundum quam profitetur, conditio hæc pro nihilo habenda foret, utpote prava. Etenim conditionis turpis additio non vitiat contractum.

Nota. — De potestate coercitiva et judiciaria prælatorum regularium dicetur infra, sectione 2.

CAPUT IV.

QUÆNAM SIT SUPERIORISSÆ MONIALIUM POTESTAS.

Quæstio I^a^. — *An de jure divino feminæ, ac consequenter monialium superiorissæ, sint incapaces jurisdictionis ecclesiasticæ ?* — Respondetur negative. Nam jus illud divinum feminas ab ecclesiasticæ jurisdictionis exercitio excludens, neque sacris Scripturis, neque traditione, aut ex ipsa femineæ conditionis essentia probari potest. Imo doctores non pauci olim tenuerunt, etiam de jure communi ecclesiastico monialium superiorissis competere spiritualem jurisdictionem. Quæ quidem opinio communiter rejicitur, atque omnino deserenda est, ut mox dicetur : cæteri tamen doctores, illam confutando, non jus naturale aut divinum, sed ecclesiasticum adducunt. Hinc Pellizarius (*de Monialibus*, editionis non prohibitæ, pag. 240, n. 118), absolute asserit, et tanquam certum supponit, inca-

Digitized by Google

pacem esse feminam *spiritualis jurisdictionis, non jure divino, sed humano, nempe jure canonico.*

Objicies. — In sacris Scripturis sat clare excluduntur feminæ ab iis ministeriis quæ jurisdictionem annexam habent. Sic enim edixit divus Paulus (I Cor., 14) : *Mulieres in ecclesiis taceant : non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse ; si quid autem volunt dicere, domi viros suos interrogent : turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* — Probat quidem ille textus, regulariter loquendo, haud expedire ut feminis jurisdictio ecclesiastica conferatur. At non absolute evincit nunquam et in nullo casu conferri posse (vide Bonacinam, d. 1 *de Leg.*, q. 1, p. 3, n. 35 ; necnon Pellizarium, loco cit.).

Quæstio IIª. — *An de jure communi ecclesiastico monialium superiorissis competat ordinaria jurisdictio ?* — Respondetur negative ; et ita omnino tenendum est : tum quia « est fere « communis doctorum sententia, » ut ait Pellizarius (loco cit., pag. 239, n. 117) : tum ob rationem a Suaresio adductam (*de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 11), nempe « ex « generali regula, quod potestas clavium solis clericis commu- « nicatur, *juxta ordinarium et perpetuum jus Ecclesiæ ;* om- « nis autem jurisdictio spiritualis pertinet ad potestatem cla- « vium. Unde divus Thomas... generaliter ait : *Feminam non « posse habere aliquam jurisdictionem spiritualem.* Et ite- « rum : *Feminam non habere clavem ordinis aut jurisdi- « ctionis.* » Tandem id evincit universalis Ecclesiæ praxis : si enim de jure communi ordinariam jurisdictionem haberent dictæ superiorissæ, hanc in ipsis omnibus potestatem agnosceret Ecclesia, id est sedes Apostolica et Episcopi. Porro contrarium omnino constat. Unde si quando abbatissa aliqua jurisdictionem habuerit, id non juri communi tribuendum est, sed Pontificio privilegio. An autem revera proprie dictam jurisdictionem ex privilegio, aut delegatam, aliquæ abbatissæ unquam habuerint aut habere possint, infra expenditur.

Quæstio IIIª. — *An dictæ superiorissæ saltem ex privilegio habere possint jurisdictionem ordinariam ?* — Respondetur

Digitized by Google

negative. Nam jurisdictio ordinaria illa dicitur quæ habetur a jure communi et vi muneris. Proinde jurisdictio *ex privilegio* nunquam est ordinaria, sed delegata.

QUÆSTIO IVª. — *An saltem jurisdictionem delegatam habere valeant monialium superiorissæ?* — Varie hac in re sentiunt doctores. Vera mihi videtur sententia, quam tenent multi cum Pellizario (*de Monialibus*, editionis non prohibitæ, p. 240, n. 118); posse nempe dictis superiorissis spiritualem jurisdictionem delegari a Papa, non autem ab ullo alio prælato. 1° Quod possit Papa alicui monialium superiorissæ jurisdictionem delegare, sequi videtur ex eo quod feminæ jurisdictionis ejusmodi incapaces non sint jure divino, sed tantum jure ecclesiastico : potest enim Papa in jure ecclesiastico dispensare, et contra ejus præscriptiones statuere : poterit ergo jurisdictionem alicui monialium superiorissæ delegare, quamvis hoc sit contra jus commune ecclesiasticum. Conclusionem confirmare videtur caput *Dilecta* (12, *de majoritate et obed.*), in quo sic habetur : *Dilecta filia in Christo abbatissa de Bubrigen transmissa Nobis petitione monstravit, quod, cum ipsa plerumque canonicas suas, et clericos suæ jurisdictioni subjectos, propter inobedientias et culpas eorum officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex eo quod eadem abbatissa excommunicare eos non potest, suspensionem hujusmodi non observant; propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus, quatenus dictas canonicas et clericos, ut abbatissæ præfatæ obedientiam et reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita et mandata observent, ecclesiastica censura compellat.* Hinc, absolute loquendo, potest Papa alicui abbatissæ spiritualem jurisdictionem, atque adeo censuras ferendi potestatem delegare. Id vero rarissime ac vix unquam expedire, satis per se patet.

2° Dicta delegatio fieri nequit ab ullo alio prælato. Nam de jure communi spiritualis jurisdictionis incapaces sunt feminæ : sed nullus præter Romanum Pontificem contra jus commune, seu universales Ecclesiæ leges, valide quidquam statuere

Digitized by Google

potest : ergo nec Episcopi, nec prælati regulares, nec quilibet alius dictam delegationem facere valet.

Quæstio Vᵃ. — *An revera delegatam jurisdictionem aliquæ monialium superiorissæ aliquando habuerint?* — Etiam id inter doctores controvertitur. Equidem adduci possunt, præter citatum caput *Dilecta* (*de Major. et obed.*), plurima exempla abbatissarum, quæ, ex sibi concessis privilegiis, ita sese gerebant, quasi veram habuissent jurisdictionem, saltem delegatam : et multi canonistæ haud dubitant quin hæc fuerit proprie dicta jurisdictio; atque inde suam confirmant conclusionem de feminarum capacitate ad hujusmodi exercendam jurisdictionem. Nihilominus alii cum Suaresio (*de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 12 et seq.) ita exempla hæc explicant, ut actus ejusmodi abbatissarum non fuerint proprie jurisdictionales. Dicunt nempe his abbatissis concessum esse privilegium ponendi actum, qui esset veluti *conditio ad cujus præsentiam* ipse Papa jurisdictionaliter ageret. Unde quando istæ abbatissæ pronuntiabant, verbi gratia, suspensionem in clericos, qui ipsarum jurisdictioni subjecti dicebantur, effectum habebat illa suspensio, non vi jurisdictionis abbatissæ, sed quia Papa ipse suspensionem decreverat in eos omnes, contra quos abbatissa actum hunc exereret.

Quæstio VIᵃ. — *An aliquæ monialium superiorissæ sint aut unquam fuerint vere prælatæ.* — Prælationem proprie dictam constituit *ordinaria* fori externi jurisdictio. Cum ergo, ex dictis, superiorissæ illæ non habeant, nec unquam habuerint jurisdictionem *ordinariam*, sed ad summum delegatam, omnino concludendum est eas in stricto sensu prælatas non esse, nec dici posse. Unde quoties hoc nomine designantur, vox illa intelligenda est duntaxat in lato et improprio sensu.

Quæstio VIIᵃ. — *An superiorissa præceptis suis valeat moniales suas in conscientia obligare?* — Pro quæstionis gravitate, primum exponemus varias hac de re opiniones : tum quid tenendum sit subjiciemus.

Digitized by Google

I. *Exponuntur variæ opiniones.* — 1° « Quidam existimant « non posse eas (*nempe abbatissas*) in conscientia obligare, præ- « sertim sub mortali... ; quia femina non est capax potestatis « spiritualis, sine qua non videtur posse tale præceptum im- « poni. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tract. 9, l. 1, c. 12, n. 7.) 2° « Alii vero tribuunt illi hanc potestatem, etiam cum « proprietate et rigore jurisdictionis ; quia abbatissa est ca- « pax ejus, saltem per delegationem, juxta caput *Dilecta* (*de* « *Major et obed.*) : prælati autem religionum, vel Episcopi, « aut Pontifex, videntur hanc jurisdictionem commisisse ab- « batissæ, tanquam necessariam ad regimen monasterii. » (Suarez, ibid.) 3° Pellizarius distinguens inter præcepta spiritualia et temporalia, respondet abbatissam « posse imponere « præcepta, non quidem spiritualia, quæ supponunt in præ- « cipiente spiritualem jurisdictionem, cujus est incapax ab- « batissa ; sed temporalia, ad quæ requiritur et sufficit po- « testas civilis et domestica, cujus sine dubio est capax « abbatissa... In eo autem differunt præcepta spiritualia ac « temporalia, quod illa ordinantur ad finem spiritualem sub- « ditorum : hæc vero ad finem temporalem, nimirum ad bo- « num regimen monasterii, monialium tranquillitatem ac « pacem, etc. » (*De Monialibus*, pag. 241, editionis non prohibitæ.)

II. *Quid tenendum videatur.* — Dicendum 1° posse superiorissas monialibus suis præcepta imponere, quæ eas in conscientia obligent. « Vera resolutio est (inquit Suarez, *de Reli-* « *gione*, tomo 4, tractatu 9, l. 1, c. 12, n. 8) distinguendam « esse potestatem dominativam, et jurisdictionis... Abbatissa « ergo non habet propriam jurisdictionem spiritualem, ut est « communis sententia theologorum... Secundo vero dicendum « est habere abbatissam potestatem dominativam, hoc est « potestatem administrandi ac regendi monasterium, ac per- « sonas et bona ejus, ut iidem auctores docent. Ratione ergo « hujus potestatis potest præcipere monialibus, et illæ tenen- « tur in conscientia obedire ex vi voti obedientiæ. Moniales

Digitized by Google

« enim promittunt obedientiam abbatissæ seu priorissæ, ut « constat ex formulis profitendi. Ergo si abbatissa ita præci- « piat ut fidem datam exigat, obligabit in conscientia : vel « si modus loquendi magis placet, votum ipsum obedientiæ « obligabit posita tali jussione... In quo eadem est ratio po- « testatis et obligationis in femina, quæ in viro; et quoad « hoc procedunt omnia supra dicta de subjectione religioso- « rum. » Sub finem tomi 3 *de Religione*, capite penultimo, n. 20, eamdem doctrinam tradit Suarez, in hunc modum : « In eis (superiorissis) esse potest dominium, et consequen- « ter etiam potestas dominativa orta ex traditione et voto... ; « nihil enim repugnat fieri votum obediendi feminæ in his « quæ juxta regulam præcipi possunt in ordine ad perfectio- « nem : nam tale votum est de meliori bono, et nihil includit « juri naturali divino aut ecclesiastico repugnans : imo in « tali statu videtur moraliter necessarium ad convenientem « gubernationem et ordinem monasterii. Quare censeo votum « obedientiæ in hujusmodi religiosis feminis referri ad suas « abbatissas; quæ, licet non sint *prælatæ* quoad potestatem « jurisdictionis, sunt *superiores* tanquam matres spirituales. « Unde sicut mater naturalis potest præcipere filiabus, in his « quæ pertinent ad suum veluti dominium naturale, ita hæc « mater spiritualis potest præcipere in his quæ ad suam ad- « ministrationem pertinent. Hæc autem potestas ex voto ori- « tur, nec repugnat separari a potestate jurisdictionis... Est « autem hujusmodi potestas in feminis semper magis limi- « tata quam in viris, et potestati eorum subordinata, ut « constat ex usu Ecclesiæ. Et ideo ad definiendum quanta « sit hæc potestas in singulis abbatissis, specialia statuta et « propriæ consuetudines uniuscujusque religionis aut mona- « sterii consulendæ sunt. »

Hanc sententiam, quod nempe valeant superiorissæ præceptis suis moniales in conscientia obligare, ex vi *dominativæ* potestatis, probabiliorem existimat S. Liguorius (libro 4, n. 52). Mihi vero, ex rationibus a Suaresio deductis, omnino

Digitized by Google

certa videtur et tenenda. Cæterum eam tradit Ferraris (voce *Abbatissa*, n. 61) tanquam communiorem.

2° Dicta superiorissarum potestas est dominativa, non jurisdictionalis. Patet ex dictis.

3° Distinctio Pellizarii, quod superiorissa obligare valeat per præcepta *temporalia*, non per præcepta *spiritualia*, non videtur fundata. Cur enim non possit superiorissa ad corrigendum monialis defectum ei præcipere, verbi gratia, sanctissimi sacramenti visitationem, horamve meditationis et similia? Illud tamen præceptum, juxta notionem a Pellizario traditam, erit præceptum spirituale.

4° Tradunt multi doctores, haud posse superiorissam sub gravi obligare. Sed melius Suarez id dignoscendum existimat ex singulorum conventuum seu ordinum constitutionibus. Nam per se, et posita sufficienti materia, necnon concurrentibus cæteris in modo præcipiendi requisitis conditionibus, grave peccatum erit non obedire, nisi, ex constitutionibus, aut ex prælatorum, quibus istæ superiorissæ subjiciuntur, ordinationibus, earum quoad hoc potestas limitata fuerit.

Quæstio VIII^a. — *An monialium superiorissæ subditarum suarum vota irritare valeant?* — « Conveniunt communiter « doctores, quod abbatissa, ratione potestatis dominativæ, quam « ob votum obedientiæ habet supra suas subditas, sicut habent « parentes super filios, possit irritare earum vota, sive de re « supererogatoria, sive de re circa regulas: et hoc etiamsi « votum fuerit transeundi ad strictiorem religionem, ut « tenent Pasqualigus..., Alexander, contra Lessium, Pelliza- « rium, etc. » (S. Liguorius, libro 4, n. 53.)

Si dicta vota cum superiorissæ consensu emissa sint, an peccet superiorissa, illa irritando? — Est sententia communiter recepta, illam non peccare, si adsit justa causa; si vero irritet absque rationabili causa, eam peccare venialiter (vide S. Liguorium, loco citato; et Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 243, editionis non prohibitæ).

« Vota novitiarum non potest abbatissa irritare; sed tan-

Digitized by Google

« tum suspendere eorum executionem, si probationi officiant... « Si vero vota emissa fuerint a novitia, dum adhuc erat sub « potestate parentum, tunc dicit Alexander..., posse abba- « tissam ea irritare, cum ipsa tunc succedat in eamdem pote- « statem dominativam erga novitiam. » (S. Liguorius, l. 4, n. 55.)

Quæstio IXª. — *An superiorissa possit dispensare in votis suarum monialium, aut ea commutare?* — Respondendum negative; quia ad votorum dispensationem et commutationem requiritur potestas *jurisdictionalis*, qua carent monialium superiorissæ (vide Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 243, n. 134, editionis non prohibitæ).

Quæstio Xª. — *An superiorissa dispensare possit in legibus Ecclesiæ, verbi gratia, jejuniis, abstinentiis, divini officii recitatione.* — Respondetur negative, ob carentiam potestatis jurisdictionalis, quæ ad id requiritur.

Quæstio XIª. — *An et quatenus superiorissa cum monialibus suis dispensare possit in observantiis regularibus?* — 1° Etiam ad dispensationem hujusmodi requiritur potestas *jurisdictionalis*. Cum ergo ea careant superiorissæ, proprie in regulis dispensare nequeunt. 2° Potest tamen superiorissa declarare, hic et nunc religiosam non teneri hac vel illa regulari observantia : « Quia declaratio, licet posset fieri a quacunque alia persona « prudenti, imo et ab ipsamet religiosa, cujus interest, a for- « tiori tamen fieri poterit ab abbatissa, attenta superioritate quam « habet in monialem subditam; sicque poterit monialis tuta « conscientia stare tali declarationi, nisi alias ei constet eam « sine sufficienti ratione fuisse factam. » (Pellizarius, loco citato, n. 138.)

Quæstio XIIª. — *An superiorissa extraneis licentiam concedere possit monasterium ingrediendi?* — Respondendum negative (vide Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 244, n. 141, editionis non prohibitæ).

Quæstio XIIIª. — *An superiorissa possit monialibus suis indicere certas preces recitandas, pro amicis, benefactoribusve*

Digitized by Google

aut similibus? — « Respondeo posse ; et quidem etiam sub pec-
« cato, si occurrat justa causa (verbi gratia, ad implendam
« obligationem impositam monasterio ex justitia), et alias
« quoad hoc se sufficienter declaret : idque ratione obedien-
« tiæ, quam vovent in manibus abbatissæ, se obligando ad obe-
« diendum illi in omnibus rebus licitis, et alioqui non exceden-
« tibus regulam propriæ professionis. » (Pellizarius, loco citato, n. 144.)

Quæstio XIVᵃ. — *An superiorissa monialibus suis præcipere possit ut missam concionemve audiant, aliave id genus opera peragant, quæ ad spiritualem ipsarum profectum referantur?* — Pellizarius id negat, eo quod ejusmodi præcepta *spiritualia* sint, nec valeat superiorissa, utpote jurisdictione carens, præceptis spiritualibus conscientiam obligare (*de Monialibus*, pag. 244, n. 145, editionis non prohibitæ). Sed contrarium tenendum, ex supra adductis rationibus. Ad id nempe sufficere videtur *dominativa* potestas. Cæteroquin ipse Pellizarius, paulo ante citatum locum, numero 124, sic adnotat : « Imo Castro-
« palao, cum Suarez.., putat abbatissam posse præcipere mo-
« nialibus suis quidquid expedire judicaverit, etiam prout ea
« conducunt ad profectum earum spiritualem : quod est bene
« advertendum. »

Quæstio XVᵃ. — *An superiorissa possit alicui moniali injungere ne tali die sacram communionem faciat, ne orationibus in communi fieri solitis intersit, et alia hujusmodi?* — Id Suaresio videtur non excedere dominativam superiorissæ potestatem : « Has, inquit, et similes pœnas poterunt abbatissæ mo-
« nialibus imponere, si alioqui sint conformes suæ regulæ vel
« consuetudini, et ordinarium modum disciplinæ religiosæ non
« excedant. Nec tales pœnæ sunt proprie spirituales, sed ad
« corporales reducuntur, ad modum exilii vel separationis
« cujusdam. Fortasse etiam potest hæc pœna ad aliquid spi-
« rituale extendi, ut si jubeatur quis non communicare tali die,
« vel non orare, sed in alio opere laborare in pœnam : hæc
« tamen, si aliquando permittantur, non imponuntur per

Digitized by Google

« propriam jurisdictionem, sed solum ut mandata quædam per « dominativam potestatem ; et non inferuntur proprie ut « sunt spirituales privationes, sed ut inducunt aliquam notam « vel ruborem. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 10.)

Quæstio XVI^a. — *An possit superiorissa moniales suas obligare, ut frequentius aut minus frequenter sacram communionem faciant?* — Respondeo negative, quia talis potestas in superiorissa non esset in ædificationem, sed in destructionem. Cum enim, sive frequentioris, sive minus frequentis communionis utilitas, ab uniuscujusque communicantis internis dispositionibus dependeat, nec de iis dispositionibus, utpote sibi ignotis, prudens judicium ferre valeat superiorissa, sed id ad confessarium potissime pertineat, ingens detrimentum sequi posset, si ad superiorissæ jussum tenerentur moniales vel communicare, vel a communione abstinere. Hinc quamvis possit superiorissa, prout supra diximus, aliquoties uni aut alteri moniali injungere, ut tali die a communione abstineat, in pœnam scilicet et spiritualem hujus monialis profectum, non tamen poterit aut ráram aut frequentem communionem ei præcipere.

Confirmatur ex Ecclesiæ legibus et decretis, quæ hanc superiorissæ potestatem, nedum supponant, satis aperte excludunt. Tridentina synodus (sess. 25, cap. 10, *de Reg.*) quoad monialium communionem ita decrevit : « Attendant diligenter « Episcopi et cæteri superiores monasteriorum sanctimonia- « lium, ut in constitutionibus earum *admoneantur* sancti- « moniales, ut *saltem* semel singulis mensibus confessionem « peccatorum faciant, et sacrosanctam eucharistiam susci- « piant. » Adnotat Suarez, ponderando vocem *admoneantur*, noluisse sanctam synodum etiam de unica singulis mensibus communione *præceptum* proprie dictum edicere. Quanto magis haud relicta superiorissis potestas censenda est frequentem communionem præcipiendi, et ad eam in conscientia obligandi.

Præterea decretum S. Congregationis Concilii, 12 februarii

Digitized by Google

1679, ex assensu et mandato summi Pontificis editum, postquam de christianis in sæculo degentibus declaravit, frequentem eorum ad sacram alimoniam accessum, *confessariorum secreta cordis explorantium judicio* esse relinquendum, sic in particulari quoad moniales subjungit : *Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstitutis communicent: si quæ vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana sanctissimi sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur* (decretum integrum reperies apud Pellizarium, *de Monialibus*, p. 257, editionis correctæ). Ibi etiam non præcepto, sed *admonitione* procurandum dicitur, ut moniales iis diebus communicent, qui in ipsarum constitutionibus indicantur. Ut autem frequentiorem aut quotidianam communionem peragant necessaria supponitur *superiorum* permissio : sub qua voce superiorum ibi superiorissam non comprehendi apertum videtur. Aliunde concurrere debet confessarii assensus ne alias contingere possit quotidianam communionem fieri a moniali, quam ad id necessariis dispositionibus destitutam confessarius existimaret. Hinc videtur moniales a superiorissa proprie non dependere quoad communionem frequentius aut minus frequenter faciendam; sed a confessario, et a superiore in conventum jurisdictionem habente : ita scilicet ut monialis a nemine cogi possit ad communicandum etiam iis diebus qui in regula ad id indicantur, si minus dignam se consciat, et abstinendum potius æstimet confessarius ; quo casu tamen tenebitur diligentiam adhibere, ut ad communicandum saltem dictis statutis diebus sese disponat : ad frequentiorem autem communionem vel etiam quotidianam, præter assensum confessarii requiratur prælati monialium permissio.

Quod autem de communione dictum est, applicandum videtur sacramenti pœnitentiæ receptioni ; cum eo tamen discrimine, quod moniali a prælato conventus, imo et ab ipsa superiorissa injungi possit, non quidem ut absolutionem reci-

Digitized by Google

piat (id siquidem ab ipsius dispositionibus dependet, et confessarii judicio est relinquendum), sed ut confessario solitis in communitate diebus se sistat. At prohiberi nequit, etiam a prælato monasterii, ne extra dictos dies confessarium adeat, nisi constaret id ab ipsa postulari absque necessitate, ex meris nempe scrupulis, aliave haud rationabili causa. Si enim in peccatum mortale (quod avertat Deus !) lapsa fuisset, nemo non videt quantum detrimenti sequi posset, si vel unius diei spatio confiteri prohiberetur.

Quæstio XVII^a^. — *Quid possit superiorissa quoad temporalem bonorum monasterii administrationem ? remissive.* — Vide dicta superius (parte 5, sect. 4, subsect. 3). Vide etiam Pellizarium (*de Monialibus*, pag. 245, editionis non prohibitæ).

Quæstio XVIII^a^. — *An valeat superiorissa monialibus suis benedicere ?* — Nequit publice, quia necessaria ad id potestas clavium : at potest privatim, eo modo quo parentes filiis suis solent benedicere (ita Ferraris, voce *Abbatissa*, n. 68).

Quæstio XIX^a^. — *An superiorissa valeat prædicare ?* — Si agatur de prædicatione proprie dicta, respondetur negative : quod autem superiorissa exhortationes in capitulo ad moniales suas habeat, nullo jure prohibetur (vide apud Ferraris, verbum *Abbatissa*, n. 68).

Digitized by Google

SECTIO II.

DE POTESTATE COERCITIVA SEU JUDICIARIA PRÆLATORUM REGULARIUM.

Dicemus 1° quænam et quanta sit potestas hæc; 2° quænam sit canonica forma processus criminalis intra religiosos ordines; 3° de visitatione canonica per prælatos regulares.

CAPUT I.

QUÆNAM ET QUANTA SIT PRÆLATORUM REGULARIUM POTESTAS COERCITIVA SEU JUDICIARIA.

Expendemus 1° an prælati regulares habeant potestatem coercitivam episcopalem : 2° an et quatenus subditos suos coercere valeant per pœnas spirituales : 3° an et quatenus eosdem coercere valeant per pœnas corporales.

§ I.

An prælati regulares habeant potestatem coercitivam episcopalem.

Prænotandum. — Tanquam certum supponimus superioribus regularibus competere potestatem aliquam coercitivam. « Quod in hjs prælatis (inquit Suarez, *de Religione*, tomo 4, « tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 1) aliqua sit potestas hujusmodi, « id manifestum est, tum ex usu, tum ex ratione ; quia po- « testas directiva sine aliqua coercitione , infirma ac fere

Digitized by Google

« inutilis est... Est igitur omnino necessaria hæc potestas, ut « ordo, pax et institutio religiosa conservetur. Explicandum « vero est qualis et quanta sit. »

Propositio Iª. — *Si prælati regulares essent tantummodo superiores, et eis a sede Apostolica non fuisset addita prælatio, id est jurisdictio, non possent subditos coercere, nisi modo paterno et juxta limites regulæ.* — « Dicendum primo est prælatum religionis, ex vi talis status seu professionis, ac voti obedientiæ subditorum, solum habere potestatem coercendi modo « paterno et juxta limites regulæ. Probatur ac declaratur: « quia ut sic non habet jurisdictionem, sed potestatem dominativam, instar illius quam habet pater familias in domo « sua: solum enim differunt, quod hæc circa exteriora et « corporalia, illa vero circa spiritualia præcipue versatur. In « hoc autem conveniunt, quod neutra est proprie jurisdictio; « unde neuter illorum est proprie judex, qui possit gravem « pœnam corporalem vel spiritualem imponere: sed solum « eam correctionem adhibere quæ inter latitudinem familiaris « domus ac providentiæ locum habere potest. Qualis autem « vel quanta esse possit hæc pœna, judicio prudentis arbitrii relinquendum est. Exemplo monialium id ita declaratur: nam in eis est potestas aliqua coercitiva juxta regulam, licet jurisdictionem non habeant. Illæ tamen non « excedunt religiosam disciplinam per leviores pœnitentias. « Quod si gravior punitio necessaria est, ad prælatum recurrere oportet. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 2.)

Propositio IIª. — *In virorum congregationibus non exemptis, superiores coercere nequeunt nisi modo paterno et juxta regulam.* — Nam isti superiores non habent nisi potestatem dominativam, sicut superiorissæ monialium: ergo nec habent potestatem coercitivam, nisi ad instar patris familias. Quod tamen intelligendum est de jure communi: fieri enim potest, ut in aliqua ejusmodi congregatione, ex Apostolica concessione, aut propriæ regulæ a sede Apostolica approbatæ dispositio-

Digitized by Google

nibus, major subditos coercendi potestas superioribus competat.

Propositio IIIa. — *Prælati regulares ordinum exemptorum potestatem coercitivam episcopalem habent.* — « Prælatus reli-« gionis (inquit Suarez, loco cit., n. 3), ratione jurisdictionis « ecclesiasticæ, habet perfectam potestatem coercitivam epi-« scopalem. Hoc constat etiam ex usu et ex privilegiis om-« nium religionum exemptarum : quæ enim exemptæ non « sunt, non habent revera hanc potestatem in seipsis; sed « manet in Episcopis; qui illam sine dubio habent in moniales « sibi subjectas; et idem est de viris si exempti non sunt. « Ergo in exemptis talis jurisdictio residet in propriis præ-« latis : non enim extincta est, nec summo Pontifici reservata; « nec enim expediebat, cum sit ordinarie et regulariter neces-« saria. Ergo translata est in religionem ipsam et prælatos ejus, « per summos Pontifices; non quidem jure communi, sed spe-« ciali... »

§ II.

An et quatenus prælati regulares subditos suos coercere valeant per pœnas spirituales.

Propositio Ia. — *Prælatus regularis potestatem habet subditos suos coercendi per quascunque ecclesiasticas censuras, quæ juste possunt in tali materia seu crimine personis imponi; modo tamen ipsi facultas hæc jure particulari sui ordinis non fuerit limitata.* — « Si limitatio adhibita est vel in Pontificum « concessione ac privilegiis, vel in distributione seu applicatione « ejus facta ipsis prælatis per religionem ipsam in suis capi-« tulis, vel per aliquem superiorem potestatem habentem, « illa limitatio servanda est... Quando autem indefinita est « concessio ad regendam et gubernandam religionem, sub « protectione immediata summi Pontificis susceptam, et ab « Ordinariorum jurisdictione exemptam, illa potestas non « habet aliam limitationem, nisi quam ex natura rei secum

Digitized by Google

« affert, vel jure communi habet in Episcopis : quia ex nullo « alio capite fingi potest limitatio ; et ubi lex non distinguit, nec « limitationem addit, non possumus nos voluntarie excogitare. « Unde fit esse in hujusmodi prælato potestatem ad coercendos « subditos per quascunque ecclesiasticas censuras, quæ alias « juste possunt in tali materia seu crimine personis imponi. « Patet, quia in Episcopis est hæc potestas ; ergo et in his præ- « latis : item quia hi prælati possunt excommunicare ; ergo et « alias censuras ferre. » (Suarez, *de Religione,* tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 9, n. 4.)

« Dixi autem, *quæ possunt imponi personis*, ut excluderem « interdictum locale, quod non potest ab his prælatis imponi... « De interdictione locali est specialis ratio, quia quodammodo « redundaret in personas non subjectas ipsis prælatis regulari- « bus ; et propterea non est eis data tam ampla potestas, quanta « est in Episcopis. » (Suarez, ibid., n. 5.)

Propositio IIª. — *Dictam potestatem coercendi per pœnas spirituales habent, non tantum generales ordinum et provinciales, sed etiam prælati locales seu conventuales ; nisi forte jure particulari alicujus religionis hæc eorum potestas sublata aut limitata fuerit.* — Vide id probatum a Suaresio (*de Religione,* tomo 4, tractatu 8, l. 2, n. 6). Potest nempe regularis prælatus, qui uni duntaxat conventui præest, excommunicationis, suspensionis et interdicti personalis pœnam in subditos animadvertere, nisi ex jure particulari suæ religionis prohibeatur.

Nota. — 1° Nequeunt prælati regulares (sicut nec cæteroquin ipse Episcopus erga suos subditos) irregularitatem proprie dictam imponere (Suarez, ibid., n. 7).

Nota. — 2° Alias, præter irregularitatem, inhabilitates, decernere potest religio, si valor actus circa quem versatur inhabilitas a potestate dominativa religionis dependeat. Sic, verbi gratia, potest religio aliquem inhabilem reddere ad prælationem in religione habendam ; quia scilicet potest non consentire ipsius electioni, atque ei non conferre jurisdictionem, quæ ab ipsa manat.

Digitized by Google

Item potest a prælato regulari imponi inhabilitas, quæ jam a jure communi *imponenda* propter aliquod dilectum præscribitur. Inhabilitates autem quæ nec jam *imponendæ* a jure communi præscribuntur, nec versantur circa actum, cujus valor a dominativa religionis potestate dependeat, non possunt a prælatis regularibus imponi (vide Suaresium, loco cit., n. 8).

§ III.

An et quatenus prælati regulares subditos suos per corporales pœnas coercere valeant.

I. Certum est non posse ab ipsis pœnam mortis imponi; cum pœna hæc a nullo ecclesiastico judice imponi valeat (ex capite *Cum non ab homine, de Judiciis*).

II. An valeant prælati regulares de subditi delicto judicium ferre, et postea eum sæculari brachio tradere, ut morte plectatur, si hanc pœnam mereatur patratum ab ipso facinus? — Negat Suarez: « Existimo, inquit, prælatos religionum nunquam habere hanc potestatem; quia nunquam est eis specialiter concessa; neque expedit ut ea utantur, propter decentiam et honorem religionis. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 10, n. 1.) Quibus rationibus hanc conclusionem fulciat Suarez (vide ibidem, n. 1 et 2).

III. Neque possunt prælati regulares subditum ad membri alicujus mutilationem damnare. (Vide Suaresium, loco cit., n. 3).

IV. Posse a prælatis suis ad triremes damnari religiosum, qui delictum hac pœna dignum patrasset, sustinet Suarez (loco cit., n. 3 et seq.). Id tamen vix expedire videtur. Insuper ad ejusmodi sententiæ executionem necesse foret sæcularem potestatem brachii sui auxilium præstare.

V. Potest prælatus religiosum ad subeundam flagellationis pœnam condemnare; modo tamen flagellatio non ministretur per laicum sæcularem; sed per prælatum ipsum, vel per

Digitized by Google

alium qui clericus sit aut religiosus (vide caput *Universitatis* 24, *de Sententia excommunicationis;* necnon Suaresium, loco citato).

VI. Possunt prælati regulares religiosum ex ordine ejicere, si ejus delicta id mereantur, et se incorrigibilem præbuerit.

VII. Item possunt ipsum plectere diuturno, atque etiam perpetuo carcere.

VIII. Potest religiosus relegari in conventum aliquem longinquum, extra suam provinciam et patriam (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 2, c. 10, n. 8).

IX. Potest condemnari religiosus ad infligendum sibi ipsi certas graves pœnitentias, et opera dura et abjecta. Quia quod possit obligari, non tantum ad patiendas, sed etiam ad sibi ipsi imponendas ejusmodi pœnas, etsi asperas, humanam jurisdictionem non excedit (vide Suaresium, loco citato, n. 10).

CAPUT II.

DE FORMA CANONICA PROCESSUS CRIMINALIS INTRA RELIGIOSOS ORDINES.

Quæstio Iª. — *Quandonam processui criminali locus sit apud religiosos ordines.* — 1° Locus non est processui criminali quoties pœna imponenda non excedit *dominativam* prælati potestatem. Quando nempe agitur de imponendis levioribus pœnitentiis pro infractione regularum, aut corrigendis defectibus, id peragere potest superior, absque ulla judicialis processus forma, ad instar patrisfamilias. 2° Atvero si tale sit delictum, ut imponenda veniat gravis pœna, quæ dominativam potestatem excedat (verbi gratia, excommunicatio, suspensio, ejectio ab ordine, carceratio, flagellatio, privatio vocis activæ et passivæ), tunc locus est processui criminali : nequit nempe superior hisce pœnis subditum coercere, nisi tanquam judex,

Digitized by Google

et servata legitima quoad regulares processus criminalis forma.

Quæstio IIª. — *An apud regulares processus criminalis fieri debeat ad formam juris communis ?* — Respondeo negative. Nam 1° in processibus criminalibus regularium sufficit servari formam *judicii summarii*, et necesse non est procedi ad juris apices. Constat capite *Qualiter et quando* 24, § ultimo, *de Accusationibus ;* nec non capite *Olim* 26, ejusdem tituli. Unde extra controversiam est apud doctores, omnia criminalia judicia intra religiosos ordines fieri posse per formam *summariam*, seu (ut dicitur) *de plano et absque judiciorum strepitu.* Quænam autem necessario servanda sint etiam in *judicio summario*, et quænam omitti possint, jam dixi in tractatu meo *de Judiciis* (parte 2, sect. 4, subs. 2, tomo 2, pag. 303).

2° Si procedatur contra prælatum regularem, ad deponendum ipsum a suo munere, minores requiruntur causæ ac probationes, quam si ageretur de sæculari prælato deponendo (vide Reiffenstuel, in titulum 1, libri 5 Decretalium, n. 316).

3° Juxta communiorem canonistarum sententiam, non sunt reo communicanda testium nomina ; sed tantum ipsi exhibendæ sunt ipsorum depositiones. Quæ tamen nominum communicatio, extra regularium familias, est de jure communi, etiamsi summarie procederetur (vide Reiffenstuel, loco cit., n. 317).

4° Processus criminalis, apud regulares, formari valet juxta rationabiles consuetudines et statuta generalia cujusque ordinis, « prout a Bonifacio VIII Dominicanis, et per consequens etiam « aliis communicationem privilegiorum habentibus, concessum « fuit, in constitutione *Ad augmentum*, quæ est quarta dicti « Pontificis in tomo bullarii. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 318.)

Quæstio IIIª. — *Quatenus in processu criminali, intra religiosas familias, servanda sint essentialia juris, et quænam illa sint ?* — I. Etsi valeant regulares prælati ejusmodi processus expedire *summarie*, et juxta proprias ordinis sui constitutiones

Digitized by Google

ac legitimas consuetudines, semper tamen debent ea observare, quæ juris *essentialia* dicuntur. Ita sentiunt doctores unanimiter.

II. Quænam autem sint *essentialia* illa, ut compertum habeat lector, necesse est ut cognoscat telam processus criminalis *ordinarii :* tum et enumerationem eorum, quæ in *summario* processu omitti possunt. Demptis enim quæ in *summario* processu prætermitti possunt, cæteræ *ordinarii* processus formalitates pro *essentialibus* habendæ erunt. Cum autem dictam telam ordinarii processus criminalis, necnon enumerationem eorum, quæ *summarie* procedendo licet omittere, jam in tractatu *de Judiciis* fuse exposuerimus (parte 2, sectionibus 3 et 4), lectorem ad hunc locum, ne eadem bis in nostris institutionibus redeant, remittendum duximus. Item adire poterit Anacletum Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decretalium, § 8, n. 336 et seq.), qui modum procedendi apud regulares delineavit, sub hoc titulo : *Compendiosa et clara instructio practica rite formandi processum criminalem apud regulares.*

Præcipua tamen ex dictis juris *essentialibus* sic breviter memorabimus : 1° nullus, etiam apud regulares, institui valet criminalis processus, nisi præcesserit accusatio aut denuntiatio; vel ipsa fama, et indicia delicti, causam ex officio inquirendi præbuerint; vel processui occasionem dederit exceptio, in aliquo alio judicio contra aliquem facta.

2° Necesse est ut judex sit competens.

3° In libello accusationis seu denuntiationis necesse est exprimi nomen judicis apud quem fit accusatio, nomen accusatoris et accusati, delictum de quo fit accusatio vel denuntiatio, et tempus, id est, saltem annus, quo patratum prætenditur.

4° Ad accusandum aut denuntiandum admitti non debent personæ ad id de jure inhabiles.

5° Pro actuario seu cancellario adhibendus est notarius publicus. Ac proinde si tales nondum in ordine religioso creati fuerint, debet prælatus judex aliquem creare et deputare.

Digitized by Google

6° Debet juramentum de non calumniando præstari, tum ab accusatore seu denuntiatore, tum a testibus.

7° Reus debet citari; et nequit inauditus condemnari, nisi fuerit contumax.

8° Debet ipsi concedi ad probationes et defensiones tempus competens.

9° Ipsi communicari debent articuli, seu capita, ob quæ contra ipsum proceditur; necnon testium dicta. An autem ei etiam communicari debeant testium nomina, infra expenditur.

10° Ipsi petenti concedendus est patronus, seu consiliarius peritus, tanquam advocatus.

11° Justæ ipsius exceptiones admittendæ sunt.

12° Audiendi sunt testes, quos in suam defensionem proponit.

13° Ad pœnam ordinariam nonnisi convictus aut confessus condemnari potest.

14° Sententia ferri nequit nisi secundum allegata et probata.

15° An religiosus condemnatus appellare valeat, sequenti quæstione expenditur.

16° Præter hæc omnia servanda sunt statuta ordinis circa ejusmodi criminales processus.

Quæstio IVª. — *An et quatenus religiosus a prælati sui sententia appellare valeat?* — Quæstionem illam expendit Suarez, tomo quarto *de Religione*, tract. 8, l. 2, c. 11; cujus auctoris hac in re doctrina summatim exhiberi potest in hunc modum.

I. *Certum est pluribus juris textibus, necnon variarum religionum statutis prohibitam religiosis fuisse appellationem.* — Capite *Reprehensibilis, de Appellationibus*, sic disponitur : *Statuimus ne subjecti contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant... Præcipue vero hoc in religiosis volumus observari, ne religiosi cum pro aliquo defectu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui et capituli discipli-*

Digitized by Google

nam appellare præsumant; sed humiliter ac devote suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum.

« Et in capite *Ad nostram*, eodem titulo, præcipit Alexan-
« der III cuidam abbati, ut, licet religiosus appellare præsumat,
« eum juxta sui ordinis institutionem castiget. Idem sumitur
« ex capite *Licet, de Officio Ordinarii.* Ex quibus juribus ortum
« videtur axioma communiter receptum inter probos religiosos,
« *appellationis vocem audiendam non esse.*

« Et per statuta vel consuetudines religionum communiter
« hoc prohibetur... » (Suarez, loco citato.)

II. *Quocunque modo intelligenda sit præfata prohibitio, certum est religiosis licitum saltem esse recursum ad superiores prælatos.* — « Adverto, aliud esse appellare, aliud ad superio-
« rem recurrere aliis modis : nam per appellationem ita fit re-
« cursus ut suspendatur jurisdictio inferioris prælati, tam quoad
« vim obligandi per præceptum vel sententiam, quam quoad
« potestatem procedendi in causa...; regulariter enim hos duos
« effectus habet appellatio... Per alium vero recursum ad supe-
« riorem, non suspenditur jurisdictio inferioris, nec quantum
« ad vim obligandi per suum præceptum vel sententiam, nec
« quoad procedendum ad executionem...

« Recursus ergo ad altiorem prælatum legitimum, nullibi ne-
« gatur religioso subdito : esset enim contra omnem rationem...
« Nec contra hoc invenio prohibitionem aliquam positivam...
« Censeo hunc recursum non solum licere ad altiores prælatos
« religionum, sed etiam usque ad summum Pontificem. » (Suarez, citato capite, n. 6 et 7.)

Nota. — Recursus ad personas, jurisdictionem in religiosos non habentes, ad hunc finem ut jurisdictionaliter religioso recurrenti subveniant, grave delictum procul dubio censendum est. Si vero fiat recursus, ut ejusmodi personæ intercessionem suam apud prælatos legitimos interponant, *per se* malum non est. Ne tamen ejusmodi intercessiones a religiosis exquirantur, jure particulari singularum religionum prohiberi solet. Et merito : nam tales intercessiones justitiæ admini-

Digitized by Google

strationem et culparum correctionem enervant atque præpediunt.

III. *In gravioribus causis potest religiosus, non tantum recursum, sed proprie dictam appellationem interponere : in communibus autem correctionibus, quæ nec infamiam, nec acerbam pœnam inducunt, vox appellationis apud regulares audienda non est.* — Probatur *prior pars* propositionis, *primo* ex jure naturali. Non enim carere debet religiosus omni defensione contra injustam et gravem aggressionem : porro si jure appellandi in gravibus causis privaretur, hac defensione careret. Nam per simplicem recursum, non impediretur sententiæ executio. Post executionem autem tardius ab altiori prælato ei subveniretur, quia jam damnum foret irreparabile. *Secundo*, idem jus appellandi probat decretum S. Congregationis, de quo sic meminit Suarez : « In Congregatione Cardinalium pro regula-« ribus decretum factum est anno 1587, ut appellationes re-« ligiosorum fiant immediate ab uno prælato religionis ad « proximum superiorem, et a generali ad protectorem, et a « protectore ad S. Congregationem. » (Dicto capite, n. 5.) Idem etiam colligit Suarez ex quadam constitutione Gregorii XIII. Nec dicatur obstare textus sub numero I adductos, quibus omnino prohibetur religiosorum appellatio : « Quia, « inquit Suarez, jura citata non loquuntur in eo casu, in quo « aliquod absurdum sequitur contra rationem naturalem : et « idem dicendum est de quibuscunque privilegiis, vel religio-« sorum regulis : non prohibent appellationem, nisi a correc-« tione regulari. Quando autem punitio gravis est, et cum ma-« nifesta injuria, non potest dici correctio regularis. »

Probatur *posterior pars* propositionis, nempe licitam non esse nec admittendam appellationem a communibus correctionibus, quæ nec infamiam, nec acerbam pœnam inducunt, etiamsi injustæ sint. Id enim evincunt textus sub numero I adducti. Cum enim religiosorum appellationes generaliter prohibeant, non alia limitatio prohibitioni apponenda est, quam quæ de jure naturali requiritur. Jam vero in casu cor-

Digitized by Google

rectionum illarum communium, nulla est ratio cur appellatio prohiberi non valeat. Imo nisi tunc prohiberetur, si nempe quoad illas correctiones « locum haberet appellatio a priore « ad provincialem, a provinciali ad generalem, magna se- « queretur perturbatio, et religiosa disciplina sine dubio « corrueret, » ut ait Suarez (citato capite, n. 12). Unde in casu etiam injustæ correctionis, magis expedit pœnam humiliter a religioso sustineri, quam appellationem fieri. Id enim non tantum religioni, sed ipsimet religioso valde proficuum est.

Nota. — Etiam in gravioribus causis prohibitam esse religioso appellationem, quoties sententia est *dubie* tantum, et non *manifeste* injusta, sustinet Suarez (citato capite, n. 9 et 10). « Et ratio est, inquit, quia in dubio obediendum est prælato, et « jus ejus præferendum est. » Unde, quoad praxim, statui potest circa totam illam quæstionem regula hæc : tunc solummodo licita est et admittenda religiosi appellatio, quando infamiam aut gravem pœnam sententia inducit, et religioso dubia non est sententiæ injustitia.

CAPUT III.

DE VISITATIONE CANONICA PER PRÆLATOS REGULARES.

Quæstio Iᵃ. — *Quid et quotuplex sit visitatio?* — Visitationis nomine, ubi de prælatis agitur, intelligi solet inquisitio quædam de subditorum vita et moribus, in hunc finem instituta, ut delinquentes coerceantur, et opportunis mediis vitæ sanctitas, pro suo cujusque statu, promoveatur.

Distingui solet : 1° in *ordinariam*, quæ fit statutis temporibus, et *extraordinariam*, quæ extra solita tempora peragitur : 2° in *generalem*, qua generaliter de omnium subditorum statu et moribus inquiritur ; et *specialem*, quæ respicit, aut aliquem vel aliquos duntaxat subditos, aut aliquam solummodo materiam : 3° in *judicialem*, qua prælatus procedit tanquam judex ; et

Digitized by Google

paternam, qua procedit ex sola potestate sua dominativa, ad instar patris familias.

Quæstio IIª. — *Quid sint ordinariæ regularium visitationes?* — « Visitatio ordinaria regularium est inquisitio generalis « de vita et moribus regularium, ad hoc instituta ut prælatus « pastor vultum pecoris sui cognoscens, delinquentes contra « regularem observantiam et disciplinam, aliasque obliga- « tiones corrigere, castigare et emendare; bene ambulantes « vero præmiare, ac quemvis juxta qualitates et merita pro- « movere; media convenientia contra defectus vel excessus « præscribere; sicque disciplinam regularem restituere, con- « servare et augere valeat... Licet visitationes ordinariæ regu- « larium principaliter instituantur, ad cognoscendos et tol- « lendos defectus vel excessus regularium, tamen illuc etiam « tendunt, ut ea mediante cognoscantur quoque boni reli- « giosi et qualitates eorum, quatenus sciat prælatus major « quales religiosos aliis præficere, vel ad officia applicare « possit ac debeat. » (Reiffenstuel, in titulum 1, libri 5 Decretalium, n. 271.)

Quæstio IIIª. — *An prælati regulares visitationes facere teneantur?* — « Superiores regulares, majores præsertim (ge- « nerales, verbi gratia, et provinciales), non tantum de jure « humano ecclesiastico, statutisque ordinum, sed etiam jure « naturali et divino possunt ac debent visitationes per se vel « per alios facere : communis et certa. » (Reiffenstuel, loco cit., n. 272.) Non tamen possunt facere per alios, nisi legitime impediantur : alias mortaliter peccarent, quia esset transgressio præcepti ecclesiastici graviter obligantis (ibid., n. 173).

Quæstio IVª. — *Quam frequens esse debeat dicta visitatio?* — 1° Tenentur prælati regulares illam *frequenter* facere; ita siquidem præcipit Tridentina synodus : *Teneanturque suæ congregationis monasteria frequenter visitare et illorum reformationi incumbere* (sess. 25, *de Reg.*, c. 8). 2° Nisi vel aliqua extraordinaria causa, vel proprii ordinis statuta frequentiorem

Digitized by Google

exigant, sufficit eam fieri *semel in anno* (vide Reiffenstuel, loco cit., n. 273). 3° De jure communi, et nisi proprii ordinis constitutiones aliter disponant, possunt prælati regulares visitationem instituere toties quoties expedire existimaverint. 4° Imo et tenentur, præter annuas, alias etiam visitationes facere, si gravis causa exposcat (vide Reiffenstuel, loco cit., n. 274 et seq.).

Quæstio Vᵃ. — *An visitatio ordinaria, prælatis regularibus præscripta, sit inquisitio judicialis et specialis, an vero inquisitio generalis paterna?* — « Visitatio ordinaria est inquisitio « *generalis paterna*, vi cujus prout superior, non ut judex, sed « ut pater, procedere potest ac debet. » (Reiffenstuel, in tit. 1 libri 5 decretalium, n. 285; qui auctor id probat variis rationibus et auctoritatibus.)

Quæstio VIᵃ. — *Num in visitatione ordinaria, possit visitator inquirere in specie de tali religioso; verbi gratia, qualiter superior domus sese in suo officio gerat, vel quomodo talis alter religiosus regulas servet?* — Si hoc fiat, jam videtur visitatio evadere *specialis*. Nihilominus posse fieri ex *rationabili causa* sustinet Reiffenstuel (in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 286 et seq.). Videtur id ex uniuscujusque religionis constitutionibus aut receptis consuetudinibus determinandum.

Quæstio VIIᵃ. — *An possit aut teneatur visitator, in visitatione ordinaria, illis quos interrogat juramentum imponere de dicenda veritate?* — Non tenetur de jure communi, quia inquisitio *judicialis* non est. « Consuetudo tamen et statuta re- « ligionum volunt, ut subditis per sanctam obedientiam præ- « cipiat ne aliquid retineant, sed cuncta visitatori fideliter « revelent, quæ ad tollendos abusus, vel scandala, et pro « conservanda vel restauranda observantia ac disciplina re- « gulari dicenda sunt. » (Reiffenstuel, loco citato, numero 292.)

Quæstio VIIIᵃ. — *Num, in visitatione ordinaria, requiratur aut admitti possit secretarius notariusve, qui interrogatorum dicta adnotet?* — Non tantum non requiritur, sed nec adhi-

Digitized by Google

beri potest; eo quod inquisitio, non judicialiter, sed *paterne* fieri debeat (Reiffenstuel, ibid., n. 293).

Quæstio IXª. — *Quænam delicta aut excessus a subditis, in visitatione ordinaria, visitatori manifestari possint aut debeant?* — « Respondeo 1° non tantum possunt, sed tenentur « subditi in visitatione ordinaria superiori visitanti manifestare, « et saltem *paterne* (1) denuntiare omnia delicta, excessus, de« fectus, transgressiones et abusus fratrum conventus aut pro« vinciæ, tam occultos quam publicos, *qui in damnum obser« vantiæ et disciplinæ regularis, aut in præjudicium commu« nitatis, vel tertii privati cedunt.* Hæc conclusio caret contro« versia, cum, teste Sanchez (lib. 6, *Moral.*, c. 18, n. 50), « eam teneant omnes...

« Respondeo 2° subditi non tantum possunt, sed tenentur « etiam omnia illa crimina, peccata vel delicta, *quæ in solius « delinquentis damnum vergunt*, superiori visitanti paterne « manifestare, etiamsi omnino occulta sint, et nullatenus pro« bari valeant, *dummodo sciantur extra sigillum confessionis et « secretum naturale...*

« Respondeo 3° ad hoc ut delicta etiam occultissima, soli« que peccanti nociva, in visitatione ordinaria denuntiari seu « manifestari possint ac debeant, non prærequiritur monitio « seu correctio fraterna seu evangelica. » (Reiffenstuel, in tit. 1, libri 5 Decretalium, n. 295 et seq.) Nimirum potest religiosus occultum etiam fratris delictum visitatori (dummodo visitatio sit paterna et non judicialis) revelare, quin teneatur fraternam correctionem erga illum fratrem præmittere.

Quæstio Xª. — *An et quatenus delicta occulta, per visitationem paternam cognita, possit visitator manifestare?* — 1° Nequaquam ei licet publice in capitulo, aut cuivis pro libitu manifestare. 2° Potest tamen, ex rationabili causa, verbi gratia, pro petendo consilio, ea revelare uni aut pluribus; hi vero

(1) Id est *extra judicialiter* seu tanquam patri, non tanquam judici.

Digitized by Google

ad secretum servandum tenebuntur (vide Reiffenstuel, loco cit., n. 301).

Quæstio XI^a. — *An possit visitator, ob delicta alicujus religiosi, per visitationem paternam cognita, circa ipsum aliquid ad emendationem disponere?* — « Potest, imo tenetur « subinde superior visitans, ob delicta per visitationem pater- « nam cognita, a loco removere, et superiori locali alterius con- « ventus aut monasterii oretenus, vel etiam per litteras re- « velare, ad hoc ut eidem invigilare queat. Item potest ei « certas domos aut loca vel societatem prohibere ; potest « item eidem fidelem socium assignare, socioque mandare « ut observet illum. Item potest alia remedia eidem præscri- « bere, prout nempe in Domino necessarium vel expediens « pro emendatione delinquentis judicaverit : dummodo in his « omnibus ita prudenter agat, ut caveat ne ulterius diffame- « tur delinquens. Ob quod etiam illos, quibus delictum occul- « tum ex præfata causa manifestat, de obligatione secreti « monere debet, nisi ipsimet obligationis suæ satis gnari « sint. » (Reiffenstuel, in titulum 1, libri 5 Decretalium, n. 302.)

Quæstio XII^a. — *An et quatenus visitator, ex notitia per visitationem paternam acquisita, devenire valeat ad inquisitionem judicialem contra aliquem religiosum?* — I. « Superior « nullum potest *judicialiter* tractare, condemnare aut punire, « ob peccata per solam visitationem ordinariam cognita. Una- « nimis et certa ratio est, quia visitatio ordinaria non est in- « quisitio *judicialis*, sed paterna; nec eidem ut judici, sed « tanquam patri (nisi denuntians aliud exprimat) delicta denun- « tiantur et denuntiata censentur. Consequenter, vi illius, *judi-* « *cialiter* contra delinquentem procedere nequit. (Reiffenstuel, loco cit., n. 304.)

II. Potest nihilominus visitator, occasione visitationis paternæ, pluribus in casibus gressum facere ad inquisitionem *judicialem*, seu processum criminalem contra aliquem religiosum instituere. Nempe,

Digitized by Google

1° Quando delictum, quod ei in visitatione paterna denuntiatum fuit, jam est notorium. 2° Si ex visitatione ordinaria deprehendit visitator existere jam communem famam de delicto religiosi. 3° Si denuntians sponte sua delictum *judicialiter* revelarit. 4° Si delictum ita vergat in communitatis, aut tertii, aut ipsiusmet delinquentis detrimentum, ut denuntians teneatur illud etiam *judicialiter* manifestare, et ita de facto manifestet, quamvis non sponte, sed hortante vel etiam præcipiente visitatore. Potest enim tunc visitator denuntiantem de obligatione illa monere; et tenetur is monenti et præcipienti superiori obedire. 5° Si visitatori manifestetur aliquod ex criminibus quæ *excepta* et *publica* dicuntur. Nam contra hæc crimina potest et debet *judicialiter* procedere, quantumvis ipsi ut patri, et non ut judici fuerint revelata. Dicta autem crimina sunt sequentia : hæresis, crimen læsæ majestatis, blasphemia, crimen sacrilegii (ut sortilegia et profanationes sacrorum), latrocinium et grassationes viarum publicarum, crimen assassinii, crimen falsæ monetæ et simonia. 6° Si contra aliquem religiosum exstent sufficientia indicia criminis ab eo commissi. 7° Si delictum vergat in damnum communitatis vel tertii. 8° Si delinquens in flagranti delicto deprehendatur. (Quoad varia sub præsenti propositione 12 asserta, vide probationes apud Reiffenstuel, in titulum 1 libri 5 Decretalium, n. 304 ad 313.)

Digitized by Google

SECTIO III.

DE POTESTATE REGULARES SOLVENDI A VOTIS ET AB IPSO ETIAM RELIGIOSO STATU.

Dicemus 1° an et a quo regulares a solemnium votorum et professionis vinculo solvi queant : 2° an et quatenus solvi possint vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiæ, emissa in iis congregationibus, quæ status religiosi essentiam habent : 3° an et quatenus membra earum congregationum, quæ status religiosi essentiam non habent, solvi possint ab obligatione in eis permanendi : 4° an et quatenus solvantur vota simplicia, a votis substantialibus religionis diversa, et quæ emissa fuerunt, sive in sæculo, sive novitiatus tempore, sive post professionem.

CAPUT I.

AN ET A QUO REGULARES A SOLEMNIUM VOTORUM ET PROFESSIONIS VINCULO SOLVI QUEANT ?

Propositio Iª. — *Ex rationabili causa potest summus Pontifex per dispensationem regulares a votorum solemnium et professionis suæ vinculo liberos facere.* — Est communis doctorum sententia. Atque illam fuse probat Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 6, c. 16). Præcipue attendenda ratio, quæ ex ipsa Romanorum Pontificum praxi desumitur; utpote quæ oppositam opinionem temerariam satis ostendit. De hac autem praxi meminit inter alios Ferraris, in hunc modum : « Papa ex justa et

Digitized by Google

« rationabili causa dispensare potest in quolibet voto, tam sim-
« plici quam solemni, non solum edito in susceptione sacri or-
« dinis, sed etiam in professione religiosa. Communis... Et de
« facto Alexander III dispensavit cum Nicolao Justiniano mona-
« cho, ad nubendum : et Cœlestinus III dispensavit cum Con-
« stantia, moniali professa, filia Rogerii Siciliæ regis, ut nuberet
« Henrico VI : et Gregorius XIII dispensavit cum fratre Cardi-
« nalis Joiosæ, sacerdote professo et provinciali ordinis Capuc-
« cinorum ; ut ex aliis refert Fagnanus (lib. 3 Decret., in caput
« *Cum ad monasterium* 6, *de Statu monach.*, n. 66) ; testans
« etiam cum Ramiro rege Aragonum dispensatum fuisse, ut
« relicta religione et episcopatu, acciperet uxorem et regnum :
« et alii plures similiter dispensarunt cum aliis pluribus. » (Ferraris, verbo *Votum*, art. 3, n. 68.)

Diximus posse Papam ita dispensare *ex juxta et rationabili causa :* nam dispensatio, ut sit licita, et etiam ut sit valida, ejusmodi causam requirit, « ut tenent omnes doctores. » (Ferraris, verbo *Votum*, art. 3, n. 59.) Quia nempe qui dispensat, non agit proprio nomine, sed nomine alterius qui ei potestatem ad id conferre censetur. Non autem censendus est Deus hanc dispensandi potestatem summo Pontifici concedere, nisi ob justam causam ; quia alias potestas hæc foret in destructionem, non in ædificationem.

Objicies. — « Est (1) in hac re celebris sententia divi Thomæ,
« asserentis professionem esse omnino indispensabilem, nec posse
« Pontificem ex monacho facere non monachum : quod tanta
« asseveratione affirmat, ut præter suam consuetudinem dicat :
« *Papam non posse facere quod ille qui est professus religio-*
« *nem, non sit religiosus, licet quidam juristæ ignoranter con-*
« *trarium dicant* (2. 2, q. 188, a. 11). » Cum ergo in contrarium stet divi Thomæ auctoritas, certa non est posita conclusio, sed ad summum probabilis.

Respondeo. — Certam omnino evasisse conclusionem hanc,

(1) Sunt verba Suaresii (*de Religione*, tom. 3, lib. 6, c. 16, n. 1).

Digitized by Google

tum ob varia Romanorum Pontificum acta et decreta, tum ob sententiam doctorum, qui jamdudum *communiter* rem tanquam certam tradunt. A quibus profecto Angelicus doctor haud dissentiret, si modernis temporibus vixisset, et dictam sedis Apostolicæ praxim vidisset. Aut ergo derelinquendus hac in re divus Thomas, aut ita interpretandus, ut cum dicta communi doctorum sententia concordet (vide Suaresium, loco citato, c. 17, n. 25). Imo (quod diligenter in hac materia notandum est) censuram mereretur, qui sustineret *existere non posse verum et proprie dictum religiosum absque votorum solemnitate, seu cum solis votis simplicibus;* quia contrarium declaravit Gregorius XIII, quoad scholasticos societatis Jesu: item qui, ob dicta divi Thomæ verba, sustineret, *Papam non posse facere ut, qui semel fuit vere religiosus, cum tota scilicet status religiosi essentia, religiosus esse desinat;* quia id pariter pugnat cum Gregorii XIII constitutione, in qua declaratur societatis Jesu scholasticos esse *vere religiosos,* et tamen e societate liberos a votis dimitti posse.

Propositio IIª. — *Posset Papa dispensare in solo voto solemni paupertatis, ad effectum ut religiosus dominium acquirére posset, remanente in illo religioso tota status religiosi essentia, non tamen remanente voti paupertatis solemnitate.* — Quod valeat summus Pontifex a tribus *simul* votis religiosum solemniter professum solvere, faciendo eum ex religioso non religiosum, modo probavimus. Expendenda nunc quæstio, an id valeat *divisim*, id est, an valeat dispensare in uno duntaxat voto, manentibus in sua integritate duobus aliis, et an ex tali dispensatione amittatur status religiosi essentia. Movemus autem primo difficultatem de voto paupertatis, exquirendo an Papa dispensando possit religiosum dominii capacem reddere; et quatenus affirmative respondendum sit, quid tunc dicendum de status religiosi essentia, et de voti paupertatis solemnitate.

Sustinet Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 8, c. 18) posse Romanum Pontificem, duo alia solemnia vota integra relinquendo, dispensare in voto solemni paupertatis, ita ut reli-

Digitized by Google

giosus fiat dominii capax : tunc vero solemne paupertatis votum mutari in *simplex*, seu desinere ipsius solemnitatem : adhuc autem remanere in illo religioso status religiosi essentiam : cùm enim stare possit tota hæc status religiosi essentia cum tribus votis simplicibus, a fortiori stare poterit cum duobus solemnibus et uno simplici. Vide rationes apud ipsummet Suaresium : cum enim quæstio practica non sit, in iis adducendis non immorabimur.

Propositio IIIª. — *Posset Papa, duo alia solemnia vota in sua integritate relinquendo, dispensare totaliter in voto paupertatis ; ita ut votum illud neque tanquam simplex remaneret : tunc vero deficeret in illo religioso proprie dicta status religiosi essentia.* — « Ex dictis infertur, inquit Suarez, posse Pon« tificem dispensare cum religioso in toto voto paupertatis, non « dispensando in castitate vel obedientia : posse, inquam, quan« tum est ex vi clavis, si causa subsit... Quam vero difficile sit « invenire sufficientem causam ad concedendam hanc dispen« sationem, facile constat ex dictis. » Ad probandum posse Papam ita dispensare in hoc voto, quin simul dispenset in duobus aliis, nititur Suarez ratione hac : « Quia sunt dis« tincta, et non habent necessariam conjunctionem. » (*De Religione*, tomo 3, l. 8, c. 18, n. 11.) Quod autem tunc deficiat in illo religioso status religiosi essentia, sequitur ex traditis sub prima tractatus parte, ubi probavimus ad hujus status essentiam omnino requiri triplex votum perpetuum paupertatis, castitatis et obedientiæ. Posset tamen sic dispensatus aliquatenus adhuc religiosus dici, ob remanentia duo alia vota ; sed improprie.

Propositio IVª. — *Posset summus Pontifiex* (juxta Suaresii doctrinam) *ita dispensare in solo voto solemni castitatis, ut cessaret tum incapacitas ad valide contrahendum matrimonium, tum prohibitio utendi matrimonio jam contracto; et nihilominus remaneret in religioso status religiosi essentia.* — Hanc doctrinam defendit Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 9, c. 26). Quæ ut bene intelligatur, distingui possunt regulares qui vinculo

Digitized by Google

matrimoniali constringuntur (quales sunt conjuges, qui ex mutuo consensu professionem emiserunt) ; et regulares a matrimoniali vinculo liberi.

Quoad priores poni potest quæstio in hunc modum : an Papa cum eis dispensare possit, ut licite ad usum matrimonii redire valeant, et nihilominus non desinant esse in statu religioso ? Juxta citatam Suaresii doctrinam, distinguendum est totalem inter et partialem dispensationem in voto castitatis. Si nempe Pontifex, dum ipsis facultatem facit redeundi ad usum matrimonii, dispensationem limitet, ita ut vi voti *saltem ad conjugalem castitatem teneantur,* et a fortiori, si eos inhabiles relinquat ad novum matrimonium (mortuo alterutro) valide contrahendum, dicendum est in eis non cessare veri status religiosi rationem seu essentiam. Si quid enim huic status religiosi essentiæ tunc obstaret, esset, vel sublatio duorum aliorum votorum, vel vinculum matrimonii, vel habilitas ad licite utendum matrimonio : non primum, quia (ex hypothesi) Pontifex ad duo illa vota dispensationem non extendit : non secundum, quia jam isti erant vere regulares, quamvis in eis perseveraret matrimonii vinculum : non tertium, id est, habilitas ad licite utendum matrimonio, quia, ut putat Suarez, ad status religiosi essentiam absolute loquendo sufficit votum castitatis, cujus materia sit sola conjugalis castitas ; et in casu præsenti, ut pariter supponimus, Papa commutaret votum castitatis absolutæ, in votum castitatis conjugalis. Et revera, ut inter alias probationes urget Suaresius, cum religiosis militaribus « dispensatum est, ut retento religionis statu, ad solam casti- « tatem conjugalem teneantur. » Si vero dispensetur totaliter in voto castitatis, jam permanere nequibit status religiosi essentia ; cum ad ipsam requiratur triplicis consilii evangelici perpetuum votum.

Quoad posteriores, id est quoad regulares non conjugatos, si Papa dispenset ut valide matrimonium contrahant, facta commutatione in votum castitatis conjugalis, votum quidem desinet esse solemne, siquidem tollitur incapacitas valide con-

Digitized by Google

trahendi matrimonii, sine qua incapacitate votum solemne esse nequit; remanebit tamen status religiosi essentia, ob rationes quoad priores religiosos conjugatos adductas. Quod si totaliter in voto castitatis dispensetur, cessabit religiosi status ratio, ut ex dictis pariter patet.

Hanc Suaresii doctrinam exponere, potiusquam defendere voluimus; quia etsi nullatenus practica sit, inutilis tamen non est ad pleniorem quamdam de propria regularium conditione elucidationem.

Propositio V^a^. — *Expositæ, sub præcedenti propositione, Suaresii doctrinæ communius adversari videntur doctores.* — Communius nempe doctores ad status religiosi essentiam haud sufficere existimant votum castitatis conjugalis; sed omnino requiri votum castitatis, quo licitus matrimonii usus excludatur. Id colligere est ex modo, quo de religiosis militaribus loquuntur. Eos nempe, qui ad solam conjugalem castitatem tenentur, seu quibus licitus est matrimonii usus, tanquam veros et proprie dictos religiosos non habent. De quo sic Ferraris verbo *Religiones*, art. 1, n. 27) : « Professi in illis religionibus « militaribus, in quibus præter votum paupertatis et obedien- « tiæ, etiam emittitur *perfectum et totale* votum castitatis (qua- « lis est ordo militaris sancti Joannis Hierosolymitani, seu « Equitum Melitensium) sunt veri ac proprie dicti religiosi; « cum habeant omnia requisita ad essentiam veræ et propriæ « religionis, nempe tria vota substantialia, et Pontificis appro- « bationem : communis. Professi autem in illis religionibus « militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota « substantialia, nempe perpetuæ paupertatis, castitatis et obe- « dientiæ, quamvis sint et dici possint religiosi cum addito « *militares*, non sunt tamen nec dici possunt absolute et sim- « pliciter, proprie et rigorose *religiosi*.. Sic Rodriguez..., « Miranda..., Reiffenstuel.., et alii *communiter*. » Ex hac communiori doctrina inferendum venit :

1° Si Papa dispenset cum viro et uxore, qui ex mutuo consensu professionem religiosam emiserunt, ut possint redire ad

Digitized by Google

usum matrimonii, hoc ipso in eis cessabit status religiosi essentia : eos nempe faciet Pontifex e religiosis non religiosos.

2° Id a fortiori concludendum, si cum regularibus non conjugatis Papa dispenset, ut matrimonium valide contrahere valeant, atque eo uti ; quamvis votum solemne castitatis commutet in votum simplex castitatis conjugalis.

3° Solum autem vinculum matrimoniale, illicito romanente matrimonii usu, religiosi status essentiæ nequaquam repugnat.

Propositio VI^a^. — *Nequit summus Pontifex proprie dispensare in solo voto obedientiæ, ita ut nihilominus remaneat status religiosi essentia.* — Duplici modo intelligi potest concedi circa votum obedientiæ dispensationem : vel ita ut simul dispensetur in aliis duobus votis et in professione ipsa ac toto religioso statu, vel ita ut in solo illo obedientiæ voto dispensetur.

1° « Priori modo non dubitamus quin fieri possit; cum ostensum sit professionem esse dispensabilem ; imo eo ipso « quod per dispensationem fit aliquis ex religioso non reli« giosus, manet liber etiam ab hoc voto ; quia ablato princi« pali tollitur accessorium ; et quia non religiosus non est per « se subjectus regulari disciplinæ ; ergo nec voto obedientiæ « secundum illam. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 12, n. 1.)

2° Potest a Papa, remanente religioso statu, in voto obedientiæ dispensari *improprie*, id est, ita ut religiosus non teneatur tali vel tali superiori obedire; non autem *proprie*, id est, ita ut nulli superiori obedire teneatur. Nam si obediendi obligationem totaliter Pontifex solvat, jam deficiet status religiosi essentia; quia, ut toties diximus, ad status religiosi essentiam requiruntur tria substantialia vota, nec sufficiunt duo. Præterea etiamsi fingeremus posse aliquem remanere in vero statu religioso, licet a voto obedientiæ totaliter solutum, id contingere non posset, ex defectu causæ sufficientis ad talem dispensationem concedendam. « Quæ enim causa « legitima excogitari potest (ait Suarez, loco cit.), ut persona

Digitized by Google

« manens religiosa quoad cætera omnia, non maneat etiam « obedientiæ religiosæ obnoxia, saltem respectu ipsiusmet « summi Pontificis? » Cæterum, ut adnotat laudatus auctor, « posset quidem Pontifex (*intellige, remanente religioso statu*) « dispensare cum religioso, ut liber ab omni obligatione obe- « dientiæ, vitam solitariam vel privatam agat; reliqua quæ « sunt de substantia religiosi status observando: non tamen « propterea cum ipso dispensaret in obedientiæ voto, sed ad « summum in usu seu exercitio ejus; semperque maneret talis « religiosus sub jugo obedientiæ specialis, et ex voto obligatus « saltem respectu ipsius Pontificis. » Imo rigorose loquendo nulla tunc intervenit circa votum dispensatio. Nam religiosus vovit obedire, non tali vel tali superiori, sed superioribus in ipsum potestatem habentibus. Porro eodem modo adhuc remanet obligatus, post suppositam Pontificis concessionem: quia hæc concessio facit tantum, ut mutentur, qui potestatem religiosum obligandi habebant.

Propositio VII^a^. — *Nequit Episcopus religiosos a votorum solemnium et professionis vinculo solvere.* — Diximus Papam id posse: nunc quærimus num solus id possit, an vero dispensationem hanc valeant etiam Episcopi concedere. Respondendum negative; estque id extra omnem omnino controversiam. Quoad regulares exemptos res patet: ut enim posset Episcopus cum religiosis valide dispensare, deberet jurisdictionem in eos habere: in exemptos autem jurisdictionem non habet: ergo cum eis dispensare nequit. Sed et idem dicendum de non exemptis, quia certum est summum Pontificem sibi reservasse potestatem hanc cum religiosis dispensandi in votis solemnibus et professione. Constat reservatio illa ex consuetudine. « Sicut potuit (Papa), ait Suarez, vota simplicia « castitatis et religionis sibi reservare, multo magis professio- « nem religiosam. Quod autem ita fecerit, quamvis nullum « esset jus scriptum, sufficienter ostenderet consuetudo. » (*De Religione*, tomo 3, l. 6, c. 18, n. 1.)

Objicies. — Tradunt communiter doctores, posse Episcopos

Digitized by Google

cum subditis suis dispensare in cunctis votis, exceptis quinque sequentibus sedi Apostolicæ specialiter reservatis : voto ingrediendi religionem, voto castitatis integræ et perpetuæ, voto peregrinationis ad sanctum sepulcrum, ad limina Apostolorum, et ad sanctum Jacobum Compostellanum. Cum ergo inter hæc quinque reservata non reperiantur vota solemnia paupertatis et obedientiæ, poterit Episcopus in eis dispensare cum regularibus jurisdictioni suæ subjectis; consequenter facere eos de religiosis non religiosos. — *Respondeo :* cum dicitur sola quinque illa vota esse summo Pontifici reservata, id intelligendum de votis simplicibus; nam ad solemnia quod attinet, a regularibus emissa, certum est omnia esse Papæ reservata, ut dictum est.

Propositio VIIIª. — *Quamvis possit Episcopus dispensare in dictis quinque votis reservatis, si necessitas urgeat et sit difficilis ad Pontificem accessus, id tamen nunquam facere potest quoad solemnia religiosorum vota.* — « Non censeo, inquit « Suarez, potestatem hanc extendendam esse ad Episcopos sine « expressa Pontificis delegatione, in quocunque casu et quan- « tacunque necessitas excogitetur... Potestas dispensandi in voto « solemni religionis, secundum præsentem statum et usum « Ecclesiæ, est valde specialis; quam non legimus unquam « Pontifices inferioribus concessisse; habetque tam difficilem « usum, ut ipsi Pontifices illa utantur : ergo nunquam licet per « epikeiam interpretari in aliquo casu esse concessam Epi- « scopo. » (*De Religione*, t. 3, l. 6, c. 18, n. 5.)

Nota 1°. — In citato capite expendit Suarez an, seclusa dicta reservatione quoad solemnia regularium vota, possent Episcopi in eis dispensare. Quam quæstionem solvit affirmative; et putat reservatiònem illam non semper exstitisse; ac penes Episcopos olim stetisse hanc dispensandi potestatem.

Nota 2°. — Quod dictum est de Episcopis, dicendum et de prælatis regularibus. Certum nempe est neque ipsis competere, vi ordinariæ suæ in subditos jurisdictionis, in votis solemnibus et professione religiosa dispensare.

Digitized by Google

CAPUT II.

AN ET QUATENUS SOLVI POSSINT VOTA SIMPLICIA PAUPERTATIS, CASTITATIS ET OBEDIENTIÆ, EMISSA IN IIS CONGREGATIONIBUS, QUÆ STATUS RELIGIOSI ESSENTIAM HABENT.

Propositio Iª. — *In iis congregationibus tenentur religiosi perseverare, non tantum ob triplex votum perpetuum, sed insuper vi contractus utrinque onerosi, congregationem inter et religiosum.* — Nam in iis congregationibus, etsi simplicia duntaxat vota habentibus, adsunt (ex hypothesi) omnia ad status religiosi essentiam requisita. Adest proinde, traditio illa, quam sub prima tractatus parte ad status religiosi essentiam pertinere probavimus, qua se vovens religioni donat in perpetuum atque mancipat; atque eam traditionem et promissionem congregatio rite acceptans, vicissim sese obligat ad providendum ei quoad spirituales et temporales necessitates, et ad non ejiciendum ipsum absque justa causa. Intervenit proinde contractus utrinque onerosus, religiosum erga congregationem obligans; ita ut, abstrahendo etiam a votis, lædatur jus congregationi acquisitum, si religiosus, ipsa invita, eam derelinquat. Quia nempe hoc modo ligant ex natura sua contractus onerosi quilibet.

Propositio IIª. — *Nisi ipsa congregatio consentiat, nemo præter Papam potest religiosos a dictis votis solvere, ea commutando aut in eis dispensando.* — Nullus enim habet potestatem vota simplicia commutandi, aut in eis dispensandi in præjudicium tertii. Quando nempe dicitur posse Episcopum dispensare in subditorum suorum votis quibuslibet, Papæ non reservatis, id semper intelligitur, *citra præjudicium tertii.* Et res per se patet : ad validam enim commutationem, aut dispensationem circa votum, omnino requiritur *justa causa :* repugnat autem adesse justam causam, si commutatio aut dispensatio absque præjudicio tertii fieri nequeat. Et a fortiori cum hac

Digitized by Google

restrictione intelligenda est potestas commutandi aut dispensandi, quæ magno pœnitentiario, aut aliis etiam confessariis conceditur. In casu autem quem expendimus, fieri nequit commutatio aut dispensatio absque congregationis præjudicio. Ergo, nisi ipsa consentiat et cedat jure suo, nemo poterit aliquem ipsius religiosum a votis substantialibus per commutationem aut dispensationem solvere.

Diximus *præter Papam;* cum enim summus Pontifex sit omnium jurium ad religiosas congregationes pertinentium primarius administrator, bene potest præfato jure congregationem spoliare.

Objicies. — Posset cum religioso dispensari in votis, integra remanente ejus obligatione ex contractu oneroso orta perseverandi in congregatione; et sic præjudicium congregationi non inferretur. — Respondeo etiam sic eventurum congregationi præjudicium : nam promissio in ipsa perseverandi, est firmior per vota quam sine ipsis : ergo qui dispensaret in votis religiosi, obligationem ejus in congregatione perseverandi minueret : ergo aliquod præjudicium congregationi inferret. Et præterea vix adesse posset justa causa dispensandi, si perseverare debeat obligatio religiosi permanendi in congregatione. Imo excludit obligatio hæc ejusmodi dispensationem : nam religiosus promisit perseverare in congregatione ad normam instituti, id est quatenus religiosus, seu quatenus votis adstrictus : ergo vi solius promissionis seu contractus onerosi, teneretur iterum emittere tria vota substantialia, in quibus cum eo dispensatum fuisset.

Propositio III[a]. — *Nequit Episcopus, quamvis congregatio non sit exempta, sed ipsius ordinariæ jurisdictioni subjecta, per commutationem aut dispensationem, religiosum ullum a votis substantialibus solvere nisi congregatio consentiat.* — Etenim 1° nequit valide commutare aut dispensare quoad votum simplex castitatis; quia est de quinque reservatis summo Pontifici. 2° Sed neque quoad votum simplex paupertatis et obedientiæ, licet non sint de reservatis. Nam, ex præcedenti

Digitized by Google

propositione, obstat præjudicium quod per talem commutationem aut dispensationem congregationi inferretur.

Nota. — Doctrina tribus præmissis propositionibus exposita, omnino tanquam certa tenenda est, prout a fortiori probant auctoritates, sequenti capite adducendæ, ad firmandam eamdem conclusionem, etiam quoad congregationes status religiosi essentiam non habentes, sed in quibus intervenit votum, juramentumve aut promissio *perseverantiæ*.

Propositio IVª. — *Scholasticos societatis Jesu nequaquam potest Episcopus a votis et statu religioso solvere.* — Nam 1° sunt exempti; unde nequit Ordinarius in eorum votis, quamvis simplicibus, dispensare aut ea commutare. 2° Ligantur ii scholastici duobus votis Papæ reservatis : nimirum voto castitatis absolutæ, et voto ingrediendi religionem, id est, profitendi in societate Jesu. Proinde nequit Episcopus in iis duobus votis dispensare. 3° Etiamsi dicti scholastici non forent exempti, et nullum haberent votum Papæ reservatum, solvi non possent a votis suis et a statu religioso per ullam dispensationem aut commutationem ab Episcopo factam. Nam ii scholastici sunt in statu religioso, prout expresse declaravit Gregorius XIII. Ergo ligantur illa traditione seu donatione sui, societati facta, et vicissim a societate accepta, quam diximus ad status religiosi essentiam pertinere. Ergo societas jus acquisivit, ut ii scholastici, ipsa invita, non recedant; et jus illud acquisivit quatenus votis perpetuis roboratum. Ergo Episcopus nequit in votis ejusmodi scholasticorum dispensare, quin lædat jus societatis. Sed Ordinarius nunquam habet potestatem dispensandi in ullis votis cum præjudicio tertii : ergo non potest in votis scholasticorum dispensare. 4° Doctrinam illam tanquam omnino certam tradit Suarez : « Quis « enim, inquit, unquam dixit posse Episcopum jure ordinario « facere ex religioso non religiosum per dispensationem...? « Si autem sunt vere ac proprie religiosi, ut ostensum est, « ergo. Deinde licet Episcopus possit dispensare in voto sim« plici, non tamen in traditione et donatione Deo facta, et

Digitized by Google

« religioni propter ipsum : et ideo in aliis religionibus non « potest dispensare cum oblatis seu conversis, qui se vere ac « proprie religioni donarunt, etiamsi proprie religiosi non sint « ex defectu votorum : sed hi religiosi societati vere se tra- « dunt, et perfectiori modo, et cum votis sufficientibus ad « statum religiosum constituendum ; ergo. Præterea Episco- « pus non potest jure ordinario dispensare in votis religionis « et totalis castitatis perpetuæ : sed hi religiosi emittunt « imprimis votum totalis castitatis, et præterea promittunt « ingredi societatem professam, quæ promissio revera est vo- « tum religionis... ; ergo non potest Episcopus in eis dispen- « sare. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 10, libro 3, cap. 4, n. 22.) « Infero rationem a priori, cur Episcopus, vel qui- « cunque prælatus inferior Pontifice, non possit in hoc vin- « culo (quo nempe ligantur scholastici societatis Jesu) dispen- « sare. Hoc enim verum est, non solum quia includit vota « reservata castitatis et religionis, sed etiamsi illa per se « alias reservata non essent, quia includit veram traditionem « religiosam, in qua nullus alius præter Pontificem dispensare « potest. » (Ibidem, cap. 9, n. 5.)

CAPUT III.

AN ET QUATENUS MEMBRA EARUM CONGREGATIONUM, QUÆ STATUS RELIGIOSI ESSENTIAM NON HABENT, SOLVI POSSINT AB OBLIGATIONE IN IIS PERMANENDI.

Prænotandum. — Dantur congregationes, quæ aliquid de statu religioso imitantur, non tamen habent hujusce status essentialia : sive quia ipsius membra non emittunt triplex votum substantiale religionis ; sive quia non emittunt in perpetuum ; sive tandem quia, licet tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in perpetuum emittant, nemo tamen vota hæc nomine religionis et Ecclesiæ recipit, prout fit a presbyteris

Digitized by Google

missionis, qui Lazaristæ nuncupantur, quique ideo sunt de corpore cleri sæcularis, ut alibi diximus.

Supponimus hic, eos qui hujusmodi congregationibus nomen dedere, iisdem aliquo modo devinciri; id est, vel votis, vel saltem promissione aliqua in congregatione perseverandi. Si qua enim exstet congregatio, quam ipsius membra licite pro libitu deserere valeant, quoad illam nulla occurrit difficultas, ut patet. Quo prænotato, sit

Propositio I^a^. — *Quoties intervenit promissio perseverantiæ a congregatione acceptata, nisi congregatio ipsa consentiat, nemo præter summum Pontificem potest ullum congregationis membrum liberum facere, sive a dicta promissione, sive a juramento aut votis eam firmantibus.* — Id probat ratio adducta superiore capite. Qui nempe facultatem habent vota commutandi, aut in iis dispensandi, eam non habent nisi *citra præjudicium tertii*. Quod et in juramentis ac promissionibus applicationem habet. In præsenti autem casu inferretur præjudicium tertio, nempe congregationi: etenim promissionem *perseverantiæ* acceptando, ipsa vicissim sese obligavit ad gerendam de membro suo convenientem curam; ita ut verus existat congregationem inter et ipsius membra onerosus contractus. Jus ergo congregationi acquisitum læderet, qui aliquod ejus membrum solveret ab obligatione in ea remanendi, aut a juramento vel votis obligationem hanc firmantibus. Atque id verum remanet quamvis congregatio status religiosi essentiam non habeat; quia sequitur ex dicto contractu utrinque oneroso, qui contractus locum habere potest etiam in congregationibus improprie religiosis, seu a status religiosi essentia deficientibus.

Diximus *præter summum Pontificem*. Nam licet ejusmodi congregationes status religiosi essentiam non habeant, sunt tamen *ecclesiasticæ*, ita ut nempe earum bona *ecclesiasticis* bonis accenseantur. Potest autem summus Pontifex de bonis *ecclesiasticis* omnibus, tanquam supremus administrator, disponere: poterit ergo disponere et de jure dictis congregationibus in membra sua acquisito; cum jus illud sit aliquod ex

Digitized by Google

bonis illarum congregationum. Id autem non poterit Episcopus, aut quivis alius Papa inferior, quia dictam potestatem in bona ecclesiastica non habent.

Superest ut doctrinam illam auctoritatibus firmemus. « Quando votum ad Deum (ait Suarez, *de Religione*, tomo 2, « tractatu 6, libro 6, cap. 15, n. 7) habet adjunctam promis- « sionem certæ personæ aut communitati seu Ecclesiæ valide « factam, cui votum additur ad robur et confirmationem, « tunc regulariter non potest tale votum commutari sine « consensu tertii, in cujus præjudicium cederet commutatio : « est communis assertio. Ratio autem est, quia ibi cum voto « conjungitur promissio humana, quam supponimus esse ac- « ceptatam, et consequenter dare jus, quo non potest quis pri- « vari per potestatem commutandi vota, sicut etiam de jura- « mento promissorio dictum est. »

Idem tenet sanctus Liguorius (libro 3, tract. 2, c. 4, n. 255). Expendit ibi gravissimam quæstionem, utrum commutari possit votum, in honorem Dei principaliter emissum, simul tamen secundario in favorem alicujus tertii, qui illud acceptavit (puta talis ecclesiæ, vel pauperis), absque dicti tertii consensu ; et postquam affirmantem sententiam exposuit, hanc apponit limitationem : « Notandum 3°, quod hoc intelligitur « de sola promissione *gratuita;* secus vero dicendum, si pars « acceptans se ad aliquod onus obligaret in commodum pro- « mittentis. Tunc enim, cum intercedat ibi contractus one- « rosus utrinque obligatorius, promissio et consequenter « juramentum non potest remitti promittenti, nisi altera pars « consenserit, juxta legem contractuum. Et sic evenit in « juramento *perseverantiæ* quod præstatur in venerabili con- « gregatione Patrum Missionis sancti Vincentii a Paulo ; nec- « non in nostra minima congregatione sanctissimi Redem- « ptoris, ubi oblati, licet principaliter in obsequium Dei jura- « mento promittant perseverare in congregatione, attamen, « quia eodem tempore congregatio eos acceptando se obligat « ad ipsos sustentandos et instruendos, atque ad non dimit-

Digitized by Google

« tendos sine justa et gravi causa; ideo, cum intercedat hic « contractus ultro citroque obligatorius, nequit juramentum « ab alio remitti, quam ab ipsa congregatione, vel a summo « Pontifice, prout supremo bonorum ecclesiasticorum domino.»

Accedit et Benedicti XIV auctoritas: sic enim habet in bulla *Convocatis*, 25 novembris 1749, § 32 : *Denique quoad vota, noverint* (confessarii) *sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo quod pertinet ad vota, quantumvis simplicia, seu* PERSEVERANTIÆ, *seu alia emitti solita in aliqua congregatione vel communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant.* Idem iterum monet laudatus Pontifex, bulla *Inter præteritos*, 3 decembris 1749, § 5, n. 66, in hunc modum : *Quod vero attin etad commutationem votorum, in quibus de tertii præjudicio agitur, quæ quidem pœnitentiariis interdicitur, apposite sane scribit Suarez* (tomo 2, *de Religione*, libro 6, c. 5, n. 7) *circa vota perseverantiæ, quæ a quibusdam fiunt dum aliquam congregationem ingrediuntur, quæque naturam assumunt contractus et reciprocæ obligationis inter ipsos et congregationem quæ eosdem recipit; a quibus pœnitentiarii dispensare non possunt* (hæc Benedicti XIV verba reperies apud S. Liguorium, loco citato, unde ea transcripsimus).

CAPUT IV.

AN ET QUATENUS SOLVANTUR VOTA SIMPLICIA A VOTIS SUBSTANTIALIBUS RELIGIONIS DIVERSA, ET QUÆ EMISSA FUERUNT SIVE IN SÆCULO, SIVE NOVITIATUS TEMPORE, SIVE POST PROFESSIONEM.

Hic jam non agimus de tribus votis quæ substantialia vocantur, scilicet paupertatis, castitatis et obedientiæ, aut de aliis quæ in ipsa professione, juxta quodlibet institutum, emittuntur. De iis sub præcedentibus capitibus satis dictum est. At contingere potest ut qui statum religiosum ingrediun-

Digitized by Google

tur, aliqua jam vota in sæculo emiserint; et quæritur an subsistat post professionem eorum votorum obligatio; item an et quatenus ante professionem solvi possint vota novitiorum, sive ante novitiatum, sive novitiatus tempore emissa: et tandem quid de ejusmodi votis, quæ quis jam religiosus emitteret.

§ I.

An vota in sæculo emissa, per professionem religiosam solvantur.

Propositio Iª. — *Tenent doctores fere communiter, omnia ejusmodi vota per solemnium votorum emissionem ipso jure extingui.* — « Est communis sententia (inquit Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 6, c. 14, n. 3), omnia vota præcedentia extingui per professionem religionis, veluti per quamdam commutationen in quidpiam ita melius, ut universaliter et quasi eminenter omnia præcedentia comprehendat; ita tenet divus Thomas. » Et revera id absque ulla exceptione asserere solent plerique doctores; prout et nos supra, de professionis effectibus disserentes, affirmavimus. Attamen conclusio hæc, quatenus omnino universalis, dici nequit simpliciter certa; quia nempe ab ea nonnullos casus *probabiliter* saltem excipiendos sustineri potest, ut patefit sequenti propositione.

Propositio IIª. — *Probabile est aliqua vota in sæculo facta, per solam votorum solemnium emissionem non extingui.* — Id evincere videtur doctrina Suaresii (citato capite); quam ideo hic summatim subjicimus:

I. *Vota in sæculo emissa, alia compossibilia sunt, alia vero incompossibilia cum religioso statu.* — « Advertendum est, quædam esse vota præcedentia professionem, quæ non possunt simul impleri cum ipsa professione, ut vota peregrinationum, eleemosynarum, et similia. » (Loco cit., n. 4.) « Alia sunt.., quorum observantia et executio simul esse posset

Digitized by Google

« cum professione religionis, ut sunt orationes, jejunia, etc. » (Ibid., n. 7.)

II. *Vota incompossibilia cum professione religiosa, per ipsam certo extinguuntur.* — « Quia votum natura sua includit « conditionem, ut majus bonum non impediat : constat autem « majus esse bonum religionis, quam quodlibet aliud tem- « porale vel particulare, quod per alia vota voveri solet, aut « potest. » (Ibid., n. 4.)

III. *Etiam vota cum professione compossibilia certo per eam extinguuntur, si ita velit profitens.* — Nam ei qui vovit, semper liberum est votum simplex mutare in melius : sed professio religiosa est quid melius alio quolibet voto : ergo qui religiosam professionem emittit, potest, si velit, omnia sua præcedentia vota in ipsam commutare, et sic ea extinguere (vide Suaresium, loco citato, n. 10).

IV. *Si vota præcedentia sint compossibilia cum professione religiosa, et profitens non intendat ea commutare in ipsammet professionem, probabilis sententia est ea non extingui ex solo facto professionis.* — « In qua re (sunt verba Suaresii) videtur « quidem valde probabilis sententia, commutationem hanc non « fieri ipso facto; quia nullum est jus, cujus virtute fiat. » (Loco citato, n. 12.) « Existimo, nullum esse jus divinum, aut « ecclesiasticum scriptum, cujus virtute hæc commutatio ipso « facto fiat. An vero tale jus fuerit *consuetudine* introductum « dubitari potest, propter tot et tantorum virorum (1) aucto- « ritatem. Sed quia hoc ad factum pertinet, de quo mihi non « satis constat, nihil circa illud definio. Et ideo consulo, ut « qui profitentur, admoneantur semper de hujusmodi com- « mutatione facienda; vel certe ut superiores, post factam « professionem illa irritent, quod facere possunt. » (Ibid., n. 14.)

V. *Qui vovit ingredi religionem strictiorem et profitetur in*

(1) Eorum nempe auctorum qui tenent, omnia omnino vota præcedentia per religiosam professionem extingui.

Digitized by Google

laxiori, peccat. Nihilominus liber remanet a voto ingrediendi strictiorem : non quidem ob jus divinum, sed ex mera juris positivi dispositione.—Attendenda præcipue hac in re decretalis Bonifacii VIII *qui post votum* (5, *de Regularibus*, in 6), in qua sic decernitur : « Qui post votum a se de certa religione in-« tranda emissum, religionem aliam, etiam laxiorem, ingre-« ditur et profitetur in ipsa, potest (voto non obstante priori, « cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur dero-« gatum) manere licite in eadem. Pro voto tamen non com-« pleto, erit eidem pœnitentia imponenda. » Attenta hac decretali, necnon dicti voti strictiorem religionem ingrediendi natura, vera Suaresio visa est positæ conclusionis doctrina. Nimirum,

1° Quod peccet profitens in religione laxiori, postquam vovit ingredi strictiorem, palam supponunt citatæ decretalis verba, *pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda.* Præterea, non potuit is votum ingrediendæ strictioris propria auctoritate commutare in professionem laxioris; quia non esset commutatio in melius, nec etiam in æquale : ergo per se, et nisi jus positivum aliter, ob generale religiosarum familiarum bonum, disposuisset, adhuc teneretur ille religiosus ad strictiorem transire. Equidem ipsum non peccare profitendo in laxiori sustinuerunt S. Antoninus et alii : sed opinionem illam falsam existimat Suarez (vide loco citato, n. 15).

2° Non tenetur ille religiosus ad strictiorem quam vovit religionem transire. Ita siquidem expresse decrevit citata lex ecclesiastica. Unde revera liber ab isto voto remanet.

3° Id tamen tribuendum soli juri positivo ; siquidem, seclusa tali dispositione, nulla est ratio cur ille religiosus non teneatur ad strictiorem transire ; sicut teneretur (fatentibus omnibus) si votum illud emisisset post professionem in laxiori. Quod enim emiserit ante, voti hujus vim nequaquam minuit.

Nota. — Sub duobus præmissis propositionibus egimus duntaxat de professione per vota *solemnia.* Nunc expendamus quam

Digitized by Google

vim habeat professio in iis congregationibus quæ habent duntaxat vota *simplicia*.

Propositio IIIª. — *Ad effectum extinguendi vota in sæculo emissa, vim etiam habet professio in congregationibus status religiosi essentiam absque votorum solemnitate habentibus: non tamen omnino eamdem ac professio per vota solemnia.* — I. Profitens in tali congregatione potest, si velit, omnia sua vota præcedentia in hanc professionem commutare, eodem modo ac ille qui profitetur in religione stricte sumpta, id est, votorum solemnitatem habente. Nam in tali congregatione, etsi votorum solemnitate carente, adest tamen (ex hypothesi) verus status religiosus : sed status religiosus est quid melius quorumlibet aliorum votorum materia : ergo quælibet alia vota possunt in hujus status professionem commutari. Accedit Gregorii XIII auctoritas : reprobavit nempe dictus Pontifex eorum opinionem, qui negabant vota aliqua in sæculo emissa commutari posse in vota simplicia a scholasticis societatis Jesu emitti solita ; et reprobationis ratio est, quod dicta scholasticorum vota veri status religiosi rationem habeant. *Asserunt*, inquit, *non posse vota aliqua in sæculo emissa in tria hæc substantialia societatis commutari; cum tamen hæc vota sint status* (*ut præfertur*) *religiosi* (vide apud Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 10, l. 3, c. 4, n. 23). Ergo licet aliqua congregatio votorum solemnitate careat, si tamen habeat status religiosi essentiam, potest in ea profitens omnia præcedentia sua vota commutare in vota substantialia hujusce congregationis. Et confirmatur ex doctrina Suaresii, circa dictos societatis Jesu scholasticos. Probat enim (loco citato) hanc commutationem ab ipsis fieri posse. Non aliam autem rationem adducit, quam quod ejusmodi scholastici sint in vero statu religioso, licet cum simplicibus solummodo votis : quæ ratio, ut patet, pari modo urget quoad omnes congregationes, votorum solemnitate carentes, sed in quibus reperitur vera status religiosi essentia.

II. Si profitens in dicta congregatione vota sua præcedentia

Digitized by Google

ipse non commutavit, potest ejus superior vota hæc irritare, ex vi potestatis suæ dominativæ in religiosum : potest insuper in iis dispensare quicunque potestatem dispensandi in votis simplicibus, et jurisdictionem in eum religiosum habet.

III. Si vero agatur de extinctione *ex vi sola professionis*, est aliquod discrimen inter professionem per vota solemnia, et professionem per vota simplicia. Nam 1° si vota in sæculo emissa sint *incompossibilia* cum statu religioso, certum est ea ipso facto extingui per solemnium votorum emissionem, ut supra dictum fuit. Per vota autem quæ fiunt a scholasticis societatis Jesu, sustineri potest *suspendi* duntaxat præcedentia vota in sæculo emissa (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 10, l. 3, c. 4); quia nempe licet ejusmodi scholastici statum religiosum *in perpetuum* voveant, societas tamen eos liberos dimittendi facultatem sibi reservat : unde si eos dimittat, et vota eorum in sæculo emissa, et cum religioso statu incompossibilia, non fuerint per commutationem aut dispensationem sublata, dici possunt reviviscere, utpote duntaxat *suspensa* pro tempore quo scholastici illi in statu religioso permansuri erant. In congregationibus autem in quibus perpetuum est vinculum congregationem inter et religiosum, non tantum suspendi, sed et ipso facto extingui potius videntur vota præcedentia in sæculo emissa, et cum statu religioso incompossibilia. Non enim videtur sufficiens ratio cur non extinguantur sicut et per solemnium votorum emissionem.

2° Si agatur de votis in sæculo emissis, et cum statu religioso compossibilibus, etsi (ut vidimus) probabiliter aliquatenus sustineri possit ea *ipso jure* non extingui per solam votorum solemnium emissionem, tamen ita extingui est *communior sententia*. Porro hæc communior sententia non extendenda est ad professionem per vota simplicia; quia rationes et jura quibus nititur, professionem per vota solemnia supponunt.

Propositio IV.ª. — *Si congregatio status religiosi essentiam non habeat, in ea profitens non solvitur votis simplicibus antea emissis; nisi vota quæ in congregatione fiunt, sint ex natura sua*

Digitized by Google

melioris boni, et ipse in ea commutet vota sua præcedentia; aut nisi cum eo in votis præcedentibus legitime dispensetur. — Vota nempe quæ tunc in congregatione emittit, non sunt vota religionis. Fieri tamen potest, ut in seipsis considerata, perfectiores boni sint relative ad vota antea emissa : quo casu poterit ipsemet præcedentia vota, in vota huic congregationi propria commutare : secus si non sint melioris boni. Tunc enim, nisi cum eo dispensetur, perseverabunt priora vota, si sint compossibilia cum novis : si vero sint incompossibilia, non ei licebit congregationem ingredi ; quia id fieri non posset absque priorum votorum violatione. Hæc per se patent.

§ II.

An et quatenus ante professionem solvi possint vota novitiorum, sive ante novitiatum, sive in novitiatu emissa.

Propositio Iª. — *Nequeunt superiores irritare directe vota novitiorum ; possunt autem indirecte.* — 1° Irritare *directe* ille solus valet qui habet potestatem dominativam in personam quæ vovit : porro superiores ejusmodi potestatem in novitios non habent : ergo nequeunt eorum vota directe irritare (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 2, tractatu 6, libro 6, c. 7, n. 11). 2° Ille valet irritare *indirecte*, qui licet dominativa potestate careat in voventem, eam tamen habet in materiam voti. Superior, verbi gratia, jus habet ut non præpediatur in recte administrando suo conventu : si ergo vota a suis novitiis emissa aliquod ejusmodi impedimentum ei afferant, jus habet votorum illorum obligationem suspendendi, seu (quod idem est) vota illa *indirecte* irritandi. Ordinarie autem novitiorum vota, si tempore novitiatus explenda forent, præjudicium aliquod inferrent ; vel ex eo solo quod novitiorum mentem ad aliud quam regulæ impletionem distraherent, et angustiis afficerent. Possunt ergo superiores ejusmodi vota indirecte irritare. Est autem doctrina hæc a doctoribus communiter recepta (vide

Digitized by Google

apud Ferraris, verbo *Votum*, art. 3, n. 26). Si novitius ad sæculum redeat, reviviscunt vota ipsius indirecte irritata; quia irritatio indirecta eorum obligationem non prorsus deleverat, sed tantum pro tempore novitiatus suspenderat (vide Suaresium, loco citato, n. 12).

Propositio IIª. — *Prælati regulares religionum exemptarum dispensare possunt cum novitiis, in votis emissis tum in sæculo, tum novitiatus tempore : id autem nequeunt de jure ordinario superiores religionum non exemptarum.* — Conclusionem hanc tanquam a doctoribus communiter receptam, sic inter alios tradit Ferraris (verbo *Votum*, art. 3, n. 74) : « Prælati regu-« lares religionum exemptarum dispensare possunt... cum « novitiis circa vota quæ in sæculo vel novitiatu emiserunt : « communis. Habent enim in ipsos plenam ecclesiasticam « jurisdictionem... Non sic autem prælati religionum non « exemptarum, nisi id eis vel ex consuetudine, vel Episcopi « licentia, seu commissione concessum sit : communis. »

Nota. — Qui dispensare possunt in dictis novitiorum votis, a fortiori ea possunt commutare.

Propositio IIIª. — *Dicta potestas prælatorum dispensandi in votis novitiorum, non extenditur ad vota Papæ reservata.* — Patet ex eo quod summus Pontifex vota hæc sibi reservaverit.

Propositio IVª. — *Prædicta potestas prælatorum regularium vota novitiorum indirecte irritandi, extenditur etiam ad quinque vota Papæ reservata.* — Nam reservatio Pontificia afficit tantum potestatem jurisdictionalem prælatorum inferiorum ; non autem potestatem eorum dominativam. Hinc ex hac reservatione limitata quidem in eis remanet potestas dispensandi, quæ jurisdictionalis est ; non autem potestas irritandi, quæ est dominativa.

Propositio Vª. — *Prælati regulares, qui dictam potestatem habent dispensandi in votis novitiorum, dispensare etiam possunt in voto ingrediendi religionem strictiorem : non tamen possunt votum illud irritare.* — 1° Quod possint dispensare, vide apud Suarezium (*de Religione*, tomo 2, tractatu 6, l. 6, c. 10, n. 16).

Digitized by Google

Et ratio est quia hoc votum non est de quinque reservatis summo Pontifici. 2° Quod vero votum illud non valeant irritare, vide ibidem, cap. 7, n. 9.

§ III.

An et quatenus solvi possint vota religiosorum, post professionem emissa.

De votis quæ per ipsammet professionem emittuntur et statum religiosum constituunt, diximus præsenti sectione, capite 1 et 2. De votis autem ante professionem religiosam emissis, satis etiam disseruimus præsenti capite, § 1; superest dicendum de votis quæ quis jam religiosus, seu jam facta professione, emitteret. De quibus sit

Propositio I^a^. — *Omnia hæc vota, excepto solo transeundi ad strictiorem religionem, a prælato regulari directe irritari possunt.* — Ita doctores communiter. Vide apud Ferraris (verbo *Votum*, art. 3, n. 22, 23 et 24), et apud Suaresium (*de Religione*, tomo 2, tractatu 6, libro 6, cap. 7).

Propositio II^a^. — *Hanc potestatem habet, non solum superior generalis, et provincialis, sed etiam localis : imo probabiliter monialium superiorissa.* — Vide apud Ferraris, loco citato. « Qui libet ordinarius prælatus religionis, inquit Suarez, « a proximo usque ad supremum, habet hanc potestatem irri- « tandi vota religiosorum, cum aliqua subordinatione inter se... « Probabilius est etiam hanc potestatem habere abbatissas. » (Loco citato, n. 17 et 19.)

Propositio III^a^. — *Prælati regulares, si sint exempti, possunt non tantum dicta vota irritare, sed etiam in iis dispensare : secus si non sint exempti.* — Id probat Suarez (loco citato, capite 10, n. 14 et seq.). Abbatissa tamen, licet exempta, dispensare nequit, utpote carens potestate jurisdictionali, ut adnotat ibidem Suarez.

Propositio IV^a^. — *Licet prælatus regularis nequeat irritare votum sui religiosi transeundi ad strictiorem religionem, po-*

Digitized by Google

test tamen (*si sit exemptus*) *in eo dispensare.* — « Aliquando, « inquit Suarez, vota irritare non possunt (prælati regulares), « in quibus poterunt dispensare : quorum nonnulla exempla « breviter notari possunt. Primum est votum transeundi ad « arctiorem religionem, ut affirmat communis sententia : « Antoninus..., Silvester..., Navarrus... ; qui omnes supponunt « hoc votum non posse irritari ; et quoad dispensationem « non esse reservatum ; et consequenter inferunt a proprio « prælato posse dispensari, quia posset ab Episcopo, si esset « illi subjectus. » (*De Religione*, tomo 2, tractatu 6, libro 6, cap. 10, n. 16.)

Digitized by Google

SECTIO IV

DE REGULARIBUS STATUM MUTANTIBUS.

Dicemus 1° de regularium apostasia : 2° de ejectione religiosorum qui solemnia vota emiserunt : 3° de ejectione ac dimissione religiosorum qui simplicia duntaxat vota nuncuparunt : 4° de religiosis solemniter professis, ex indulto Pontificio facultatem habentibus degendi in sæculo : 5° de regularibus ad aliam religionem transeuntibus.

Nota. — Agendum insuper hic esset de religiosis ad episcopatum aut cardinalatum evectis : sed quæstionem illam supra jam expendimus (parte 5, sectione 1, capite 8).

CAPUT I.

DE REGULARIUM APOSTASIA.

QUÆSTIO Iª. — *Quid et quotuplex sit apostasia?* — « Apostasia ex vi nominis significat quamdam desertionem vel recessum a Deo in aliquo bono, in quo homo tenebatur perseverare, vel ex præcepto, vel ex voto. Unde, quia a Deo triplici-ter recedere possumus, secundum tres modos conjunctionis debitæ ad ipsum, scilicet per fidem, obedientiam, et religionem professam vel sacrum ordinem susceptum, ideo triplex est apostasia seu defectio, scilicet a fide, obedientia, religione professa vel sacro ordine suscepto. Ita communiter doctores. » (Ferraris, verbo *Apostasia*, n. 1.) Hic agimus duntaxat de apostasia a religione.

Digitized by Google

Quæstio IIª. — *In quo consistat proprie dicta apostasia a religione?* — 1° « Apostasia a religione proprie loquendo est « criminosa discessio a religione cum animo non amplius re- « deundi ad regulare institutum. Dicitur *criminosa discessio*... : « Unde apostatæ non sunt qui discedunt cum legitima facul- « tate vel liberantur a regulari observantia, vel ad episco- « patum legitime transferuntur... Dicitur *cum animo non re- « deundi ad regulare institutum*... Unde qui a religione pro- « fessa etiam sine legitima facultate ad aliam laxiorem « religionem transiret, non esset rigorose et proprie aposta- « ta. » Ita Ferraris: at apostatam esse qui non petita licentia discedit in aliam religionem, sustinent alii cum Suaresio. Vide apud Ferraris additiones *ex aliena manu*, n. 1 et 2.

2° « Apostasiam vere incurrit et dicitur apostata, qui a re- « ligione temere discedit cum animo non amplius redeundi, « etiamsi retineat habitum. » (Ferraris, loco cit., n. 20 et seq.).

3° Fugitivi, id est, discedentes absque licentia, sed cum animo revertendi, etsi (ex dictis) non sint rigorose loquendo apostatæ, tamen apostatis in jure æquiparantur (idem, ibid., n. 25).

4° Non est apostata, nec etiam illicite agit religiosus, qui injuste et notabiliter gravatus a superiore, sine licentia pergit recta via ad provincialem, vel generalem, vel alios ad quos de jure appellare potest; modo tamen ita aperte constet de gravamine, ut facile illud probare possit, et nullum aliud habuerit medium ad repellendam oppressionem. Equidem huic conclusioni adversari videtur caput 4, sessionis 25 (*de Regul.*) Tridentinæ synodi, ubi, sic decernitur : *Ne liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint: qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur:* sed decretum illud intelligunt doctores de religioso, qui ex *levi vel irrationabili* causa discedit, ut indicat locutio *sub prætextu*. Et hoc modo etiam intelligenda sunt similia non-

Digitized by Google

nullarum religionum statuta. Auctoritates quæ ita tenendum probant, vide apud Ferraris (verbo *Apostasia*, n. 29 et seq.). Prudenter tamen addit laudatus auctor : « Expediret ut prius « ipse recurrens peteret facultatem a superiore gravante adeundi « majorem superiorem ; et tali facultate sic negata, peteret « testimoniales apostolos a testibus fide dignis de petita et sibi « denegata facultate. »

5° Dimissio habitus religiosi, nisi fiat cum animo non redeundi, non est apostasia. Quod si fiat ad vitanda pericula, neque illicita est. Si vero religiosus habitum regularem dimittat liberius vagandi causa, excommunicationem ipso facto incurrit. De quo vide infra sectione 5, capite 6, de obligatione habitum deferendi.

Quæstio IIIª. — *Quænam sint pœnæ in apostatas et fugitivos latæ?* — 1° Religiosus apostata excommunicationem ipso facto incurrit, si habitum simul dimittat. Secus si habitum retineat, quia nullus allegari potest juris textus qui hanc pœnam clare decernat pro apostasia cum habitus retentione (vide Ferraris, verbo *Apostasia*, n. 49, et numero 4 additionum *ex aliena manu*). 2° Suspenditur a sacris ordinibus. 3° Si celebret durante apostasia, fit irregularis. 4° Durante apostasia privatur religionis suæ privilegiis. 5° Iisdem pœnis subjacent fugitivi ; quia, ut diximus, apostatis in jure æquiparantur. 6° Hæc de jure communi : sed de jure particulari singularum religionum adsunt quandoque et aliæ pœnæ ; verbi gratia, privatio vocis activæ et passivæ, carcer, flagellatio, etc.

Quæstio IVª. — *Quænam pœnæ latæ sint in eos qui apostasiæ aut fugæ religiosorum, eos recipiendo aliove modo cooperando, favent et auxiliantur?* — Ipso facto excommunicationem et ipsi incurrunt (vide apud Ferraris, loco cit., n. 56).

Quæstio Vª. — *Quomodo sese gerere debeant superiores erga fugitivos et apostatas subditos?* — Tenentur eos requirere, revocare, et pro posse procurare ut redeant. Vide id juris textibus probatum apud Ferraris (verbo *Apostasia*, n. 57 et seq.).

Digitized by Google

CAPUT II.

DE EJECTIONE RELIGIOSORUM QUI SOLEMNIA VOTA EMISERUNT.

QUÆSTIO Iª. — *An religiosi incorrigibiles, etsi solemniter professi, a religione licite ejici valeant?* — Certum est posse eos licite ejici, servatis servandis. Constat decretis Urbani VIII jussu editis, et ab Innocentio XII postea moderatis; quæ decreta in extenso reperies apud Ferraris (verbo *Ejecti*, n. 2 et 3).

QUÆSTIO IIª. — *Quænam servanda sint ad legitimam religiosi solemniter professi ejectionem?* — 1° Nullus religiosus ejici potest, *nisi sit vere incorrigibilis* (decretum Urbani VIII, § 4). 2° Hinc expelli nequit religiosus ob unicum patratum delictum, sed necesse est, ut ter de gravi delicto convictus et punitus antea fuerit, et iterum graviter deliquerit (vide apud Ferraris, verbo *Ejecti*, n. 4, 13, 14 et 15). 3° Non sufficit quælibet correctio, sed oportet ut delinquens in carcere conventus per sex menses in jejunio et pœnitentia probatus fuerit. Si enim post ejusmodi carcerationem iterum graviter deliquerit, tanquam incorrigibilis expelli poterit (vide § 4 decreti Urbani VIII, et n. 2 decreti Innocentii XII). 4° Sex menses carcerationis debent esse continui, nec sufficiunt interrupti (Ferraris, loco cit., n. 9). 5° Ejectio fieri nequit nisi a generalibus vel provincialibus (decretum Innocentii XII, n. 3). 6° Generalis aut provincialis ad ejectionem devenire nequit, nisi de consilio et assensu sex religiosorum e gravissimis electorum. 7° Hi sex religiosi eligendi sunt in generali capitulo seu congregatione, vel in capitulo seu congregatione provinciali : et in hoc ultimo casu a generali confirmandi sunt (decretum Innocentii XII, n. 3). 8° Processus fieri debet juxta constitutiones et stylum cujusque ordinis (ibid., n. 4). 9° Contra sententiam expulsionis appellare potest religiosus ad sedem Apostolicam, et ad S. Congregationem Concilii (ibid.,

Digitized by Google

n. 3). 10° Pro ferenda sententia expulsionis requiritur in id consentire *majorem* partem e supradictis sex patribus electis; unde si tres pro, et tres contra sentiant, nequit pronuntiari ejectio (Ferraris, verbo *Ejecti*, n. 28 et seq.). Item necesse est ut consentiat superior generalis (ibid., n. 32). 11° Sententia expulsionis est statim a generali vel provinciali significanda Ordinario loci (vide apud Ferraris, loco cit., n. 36). Formulam quæ ad id adhiberi potest, vide ibidem. 12° Nequit autem Episcopus de justitia sententiæ expulsionis cognoscere, nec, contra illam, ejecti appellationem aut recursum recipere (ibid., 38).

Quæstio IIIª. — *Quid agendum, sicubi adhiberi pœna carceris nequeat?* — In iis regionibus, in quibus religiosos ut tales non agnoscit sæcularis potestas, vel ubi Ecclesiæ legibus non præstat brachii sui auxilium, adhiberi nequit pœna carceris, aut saltem eam adhiberi non expedit, ob gravia quæ inde facile orirentur incommoda. Hodie in Gallia, verbi gratia, si resciret imperialis procurator, aliquem religiosum a superioribus suis in monasterii carcere detineri, contra illos superiores ageret, quatenus injustæ in civem gallicum violentiæ reos. Aliunde tamen, ad terminos citatorum decretorum Urbani VIII et Innocentii XII, ejici nequit religiosus tanquam incorrigibilis, nisi præmissa carceris pœna. Quid ergo in praxi agendum, quando satis constat de incorrigibilitate? Videtur tunc expelli posse religiosus absque carceris formalitate. Nam dicti Pontifices non censendi sunt formalitatem illam præscripsisse, nisi quoad loca et tempora in quibus adhiberi posset. Ergo quoad regiones de quibus loquimur, pro non præscripta haberi potest. Proinde fieri poterit ejectio, postquam aliis modis de incorrigibilitate sufficienter constiterit. Et notetur in iis regionibus multo difficilius servari posse incorrigibiles, et impediri ne aliis noceant, cum (ex hypothesi) vis adhiberi nequeat ad ipsos coercendos. Nihilominus, cum ii casus (Deo dante) valde rari sint, ad præcavendas ejecti querelas et alias quaslibet difficultates, satius

Digitized by Google

existimo, ut ad sacram Congregationem Concilii, vel Episcoporum et regularium, recurratur. Prout etiam recurrendum esse pro singulis casibus, quando electi non fuerunt sex supradicti consiliarii, ipsa S. Congregatio respondit (Ferraris, verbo *Ejecti*, n. 24).

Quæstio IVª. — *Quænam sit conditio religiosi solemniter professi, post ejus ejectionem?* — 1° Remanet subjectus jurisdictioni et obedientiæ Ordinarii loci : *Sic vero ejecti* (sunt verba decreti Urbani VIII), *quandiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subsint.* 2° Tenetur in habitu clericali incedere, saltem si ordines minores receperit. Constat ex citatis decreti Urbani VIII verbis. Diximus *saltem...;* quia laicos seu conversos ejectos ad clericalem habitum non teneri, tradunt cum Suaresio doctores plurimi, quamvis aliqui contrarium existiment (vide apud Ferraris, loco cit., n. 62 et 63). 3° Ejectus remanet suspensus ab omni ordinum exercitio, et nequit concionari, neque docere (vide ibid., n. 42 et 43). 4° Nequit prætendere ut alimenta sibi a religione suppeditentur, nisi reperiretur eum fuisse injuste ejectum. Verum, lite pendente, alimenta ei præstari debent (ibid., n. 45 et seq.). 5° Tenetur ad vota essentialia religionis ; utpote quæ per ejectionem nequaquam cessant, sed permanent in robore suo. 6° Hinc ad castitatem eodem modo tenetur ac si non fuisset expulsus. 7° Item ex perseverante vi voti solemnis paupertatis, remanet incapax acquirendi sibi ullius rei dominium, sicut et testandi. Ob necessitatem tamen præsentis ipsius status, potest rerum temporalium usum et administrationem sibi acquirere ; atque item vendere, donare, commutare et alios ejusmodi contractus inire ; quia nempe quoad hæc omnia censetur ei facta generalis facultas. « Ejectus acquirit adhuc bona monasterio vel « religioni, unde est ejectus... Acquirit tamen usum facti et « jus disponendi de acquisitis, prout ejus status exigit et « indiget, quoad victum, vestitum, habitationem et vitæ « necessaria, quia hoc non est contra votum paupertatis...

Digitized by Google

« Non potest autem facere expensas magnas superfluas, nec « donationes, aut rerum magni valoris ; et accipientes ab illo « tenentur ad restitutionem ; quia ejectus non est dominus « eorum quæ possidet, sed solum administrator nomine reli- « gionis, in ordine ad supra dictos usus necessarios. » (Ferraris, verbo *Ejecti*, n. 67 et seq.). Post ipsius obitum, bona quæ acquisivit extra claustrum pertinent ad cameram Apostolicam (Ferraris, ibid., n. 70 et seq.). 8° Item perseverat voti obedientiæ obligatio, et in superiorem ei substituitur Ordinarius loci ; qui proinde potest ei imperare, non tantum quatenus Episcopus, et ex potestate quam habet in religiosos non exemptos, sed etiam quatenus proprius ipsius superior. Atvero ea potest religiosus ejectus agere absque licentia, quæ requirit præsens ipsius status ; veluti domicilium mutare, et alia multa (alias sine licentia religiosis prohibita) libere agere ; quia data ipsi censetur quoad hæc generalis facultas ; imo et vel ipsa necessitas hoc ei jus tribuit. 9° « Ejectus si extra claustra « decedat, debet sepeliri in sepulcro a se electo... Si vero « decedat nulla facta electione, sepeliri debet in ecclesia « parochiali, non autem in regulari. » (Ferraris, verbo *Ejecti*, n. 74.) 10° Religiosus ejectus, qui ordines minores recepit, si clericalem habitum abjiciat, cum animo non reassumendi neque clericalem neque regularem, evadit apostata (Ferraris, ibidem, n. 64). 11° Qui ejectus est ob falsa crimina quæ ipse sibi imposuit, nisi fraudem detegat, est verus apostata ; quia ejectio non est voluntaria ex parte religionis (ibidem, n. 59). 12° Ejectus, qui post emendationem ad religionem redit, non tenetur iterum novitiatum agere et professionem emittere (ibidem, n. 56).

Quæstio V^a^. — *An ejectus teneatur sese emendando procurare, ut iterum in conventu recipiatur, et an conventus teneatur eum recipere ?* — « Ejectus juste, tenetur se corrigere et pe- « tere ut iterum admittatur... Juste ejectus potest cogere reli- « gionem ut se iterum recipiat, dummodo saltem ex litteris « testimonialibus Ordinarii constet esse plene emendatum. » Ita

Digitized by Google

Ferraris, verbo *Ejecti* (n. 53 et seq.), adducens auctoritates et decisiones, quæ peremptoriæ videntur. Nihilominus in praxi raro fieri posse videtur ejusmodi receptio, absque gravibus religionis incommodis. Unde, meo quidem judicio, satius est, occurrente ejusmodi casu, ut conventus ad sacram Congregationem recurrat, pro facultate ejectum (quantumvis emendatum) non recipiendi, si ita expedire circumstantiæ suadeant.

Quæstio VI^a^. — *An jus particulare habeat societas Jesu, quoad suorum professorum ejectionem?* — Sicut aliæ religiones, ita et societas Jesu professos suos, imo et suum generalem superiorem ejicere potest. At non magis quam aliæ religiones potest eos a statu religioso et solemnium votorum vinculo liberos reddere. Item sicut in aliis religionibus, ita in dicta societate, ad legitimam professi ejectionem prærequiritur incorrigibilitas. Unde, circa hæc præcipua saltem, jure communi regitur in societate Jesu professorum ejectio. « Est adver-« tendum, inquit Suarez, in societate non solum esse pote-« statem dimittendi inferiora membra, sed etiam solemniter « professos, et (in aliquo raro casu) etiam ipsum præpositum « generalem, ut in *nona* parte constitutionum dicitur, capite « 4, § 7; et declaratur in *secunda*, capite 1, littera A et C... « Est tamen differentia quod professi non possunt *liberi* « dimitti; et ideo ea dimissio non continet irritationem vin-« culi; sed solam separationem a cœtu et convictu societatis; « sicut etiam possunt dimitti professi aliarum religionum... « Alii vero in inferioribus gradibus constituti, præsertimque « scholares approbati, *liberi* et absque vinculo religioso di-« mitti possunt. » (*De Religione*, tractatu 10, libro 3, cap. 9, n. 6.)

Digitized by Google

CAPUT III.

DE EJECTIONE AC DIMISSIONE RELIGIOSORUM, QUI SIMPLICIA DUNTAXAT VOTA EMISERUNT.

Ejectionem vocamus quando religiosus invitus a congregatione sejungitur: dimissionem quando consentiens. Quo prænotato, sit

Quæstio Iª. — *An in iis congregationibus, quæ habent simplicia duntaxat vota, sed cum vero statu religioso, ejici valeat religiosus absque justa causa?* — Respondendum negative. Hoc ipso enim quod in iis congregationibus adsit status religiosi essentia, adest etiam traditio religiosi a congregatione acceptata; ac proinde contractus ultro citroque obligatorius, quo tenetur religiosus congregationem non deserere, et vicissim congregatio religiosum absque justa causa non expellere. Hinc si absque rationabili causa ejiciatur religiosus, ejectio erit, non tantum illicita, sed et invalida; quia remanebit ejecto jus in congregatione permanendi. Unde ulterius colligendum videtur, posse a religioso, sine justa causa ejecto, institui recursum ad superiores prælatos contra ejusmodi ejectionem.

Quæstio IIª. — *An scholastici societatis Jesu valide ejici possint absque justa causa?* — Quod *licita* non sit ejusmodi ejectio absque rationabili causa, per se patet, et ex hujusce societatis constitutionibus (parte 2, c. 2) colligitur. Unde quæstionem duntaxat movemus quoad *validitatem*. Quam quæstionem fuse expendit Suarez (*de Religione*, tomo 4, tractatu 10, l. 3, c. 9, n. 7 et seq.). Potest autem ejus hac de re disceptatio sic breviter contrahi:

1° Refert nonnullorum opinionem, qui putarunt valere illam ejectionem, etiam absque causa pronuntiatam. Præcipua autem hujusce opinionis ratio desumitur, ex eo quod societas, scholasticorum vota acceptando, sibi libertatem reservet eos quando libuerit dimittendi: unde scholasticis jus non

Digitized by Google

acquiritur in societate permanendi, nisi pro eo tempore quo societas eos non dimittet.

2° Illam opinionem rejicit Suarez atque confutat : « Mihi « vero, inquit, simpliciter et absque distinctione dicendum « videtur, dimissionem hujusmodi sine causa factam esse « nullam ; censeoque conditionem illam, *si societas eum tenere « volet,* non esse intelligendam de mera ac pura voluntate, « suo absoluto dominio et arbitratu volente, sed de volun- « tate quæ prudenti arbitrio et ex justa causa vult aut non « vult. »

3° Sententiam suam probat Suaresius, tum ex variis instituti hujusce textibus, tum hac ratione : « Hic status (scho- « lasticorum) et traditio, ex parte religiosi et ex intentione « religionis et sedis Apostolicæ approbantis ejus institutum, « ad hoc ordinatur, ut habeat omnem stabilitatem et perpe- « tuitatem, quam sine incommodo religionis potest habere : « ergo nulla debet relinqui potestas in religione, vel in ali- « qua persona, ad dirimendum tale vinculum pro sola volun- « tate. »

4° Justas autem scholasticos dimittendi causas expendens Suaresius, hæc tradit : *primo*, justam dimissionis causam præbent defectus ad animam pertinentes, « ut si judicaretur quis « damnum allaturus malo vitæ exemplo ; si inquietum se os- « tendat ; si verbis aut actibus offendiculum aliis præbeat ; si « non possit se componere ad vitam ducendam sub obedientia, « juxta modum procedendi societatis ; si denique in affe- « ctibus et vitiis, quæ divinam offendunt Majestatem, corrigi « non possit, etiamsi publica non sint. »

Secundo, justa etiam causa dimissionis esse possunt defectus corporis, verbi gratia, infirma valetudo, in sequentibus casibus : si moneatur scholasticus, antequam vota emittat, ut contentus sit se ejici, casu quo infirma jam ejus valetudo, in deterius eat : tunc nempe si, pro sanitate quæ eventura sperabatur, infirmitas ingravescat, poterit, etiam invitus, ejici. Item si bona ejus valetudo, post emissa simplicia vota, colla-

Digitized by Google

batur, dimitti poterit, non tamen invitus, sed accedente ejus consensu.

Nota. — Coadjutores formati societatis Jesu, qui et ipsi simplicia duntaxat vota emittunt, possunt, prout et scholastici, liberi a votis dimitti. Gravior tamen quoad ipsorum dimissionem causa requiritur (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 10, libro 7, c. 2, n. 11).

Quæstio IIIª. — *An religiosi congregationum, quæ simplicia duntaxat vota habent cum status religiosi essentia, dimitti possint absque causa, si ipsimet in id ultro consentiant?* — Respondendum negative. Cum enim, ex hypothesi, adsit verus status religiosus, adest et traditio, qua se religiosus in perpetuum Deo et congregationi mancipavit; atque eam acceptando congregatio sese obligavit ad non dimittendum eum sine justa causa. Non adest autem justa causa ex eo solo quod religiosus consentiat, aut etiam petat.

Nihilominus, si consentiat religiosus, minor requiretur causa ad eum dimittendum; et causa hæc esse poterit aliquid ex parte religiosi nullatenus culpabile, verbi gratia, infirma valetudo. Sequitur ex dictis circa dimissionem scholasticorum societatis Jesu.

Quæstio IVª. — *Quænam sit conditio religiosi, qui, post emissa simplicia vota, legitime ejicitur aut dimittitur?* — 1° Caveri solet in constitutionibus earum congregationum, quæ statum religiosum cum simplicibus duntaxat votis habent, ut religiosus ejectus, dimissusve, censeatur a votis ipso facto solutus. Et tunc revera prorsus liber a votorum vinculo religiosus ille remanet, fitque e religioso non religiosus : quia vota fecit juxta institutum, ac proinde cum hac implicita limitatione, *donec dimissus non fuero*. 2° Quoad societatis Jesu scholasticos et coadjutores ejectos aut dimissos, certum est eos in sæcularium conditionem reincidere, perinde ac si nunquam vovissent. 3° Excipiendus tamen casus quo dicti ejecti vel dimissi per dolum ejectionem seu dimissionem procurassent; verbi gratia, falsa crimina sibi imponendo. Tunc enim con-

Digitized by Google

sensus congregationis foret subreptitius, et remaneret votorum vinculum, necnon obligatio fraudem detegendi.

Quæstio Vª. — *An sine causa ejici aut dimitti valeant membra earum congregationum, quæ status religiosi essentiam non habent?* — 1° Si interveniat votum, vel juramentum, vel promissio perseverandi in congregatione, et congregatio acceptet, ejectio sine justa causa fieri non poterit. Quia sic acceptando, congregatio censetur sese obligare ad non ejiciendum membrum invitum sine justa causa. 2° Si membrum consentiat, videtur, etiam sine causa valide dimitti posse, quia non obstat status religiosus, qui (ex hypothesi) non adest; sed solus contractus utrinque onerosus. At contractus ille tunc non violatur per dimissionem absque causa factam; quia consentit dimissus, et sic ei non fit injuria.

CAPUT IV.

DE RELIGIOSIS SOLEMNITER PROFESSIS, EX INDULTO PONTIFICIO FACULTATEM HABENTIBUS DEGENDI IN SÆCULO.

Quæstio Iª. — *An et quatenus soleat dictum indultum concedi?* — Posset summus Pontifex, ut supra diximus, in votis etiam solemnibus dispensare, et de religioso solemniter professo, non religiosum facere. Id tamen raro admodum a sede Apostolica fieri contingit. Atvero indultorum, quibus summus Pontifex religiosos solemniter professos in sæculo degere (firma tamen remanente votorum solemnium substantia) permittat, occurrunt exempla plurima. Durante præsertim alicujus religiosi ordinis violenta dispersione, solet ejusmodi generale indultum omnibus simul religiosis impertiri. Eos nempe summus Pontifex locorum in quibus versantur Ordinariis, tanquam propriis superioribus, subjicit, suspensa interim quoad proprios ordinis prælatos subjectione. Sed et idem, extra dispersionis casum, disponit quandoque summus Pontifex, erga nonnullos religiosos professos; sive ut parentibus

Digitized by Google

in egestate versantibus subvenire valeant, sive ex causis aliis gravioribus. Hi porro tunc in sæculo legitime sub Ordinarii obedientia degere, variaque munia ecclesiastica explere possunt, licet in statu religioso permaneant.

Quæstio IIª. — *Quantum discrimen hos inter et ejectos intercedat.* — Sedulo distinguendi sunt ii religiosi, ex indulto Pontificio in sæculo degentes, ab ejectis, de quibus supra disseruimus. Nam 1° ejectorum conditio delictum, imo et incorrigibilitatem supponit, ut vidimus : aliorum vero minime, cum fieri possit ex variis circumstantiis, gravibusque de causis, ut Pontifex opportunum æstimet, religiosum aliquem, virtutibus et ingenii dotibus conspicuum, necnon regularis disciplinæ studio inter suos prælucentem, in sæculo degere, a superiorum suorum obedientia solutum. 2° Ejecti manent a sacrorum ordinum exercitio suspensi : nequaquam autem alii. Unde hisce religiosis ex indulto Pontificio in sæculo degentibus injuriam faceret, qui eos cum ejectis confunderet, aut ex solo extraordinariæ ipsorum conditionis facto, sinistri quidquam de eis inferendum existimaret.

Quæstio IIIª. — *Quænam sit conditio ejusmodi religiosorum ex indulto Pontificio in sæculo degentium?* — 1° Cum soleat in indulto apponi clausula, ut Ordinario subjaceant, *in vim etiam solemnis voti obedientiæ,* sequitur Ordinarium non tantum jurisdictionem in eos sicut et in sæculares clericos habere, sed et posse insuper ipsis *in virtute obedientiæ* præcipere, et sic eos obligare, prout obligare antea poterat regularis ipsorum superior.

2° Quilibet autem religiosus solemniter professus, vi dicti indulti in sæculo degens, remanet dominii incapax, ac proinde testari nequit : sed pro novæ conditionis suæ exigentia, concessa ipsi censetur generalis facultas utendi rebus temporalibus, pecunias retinendi, necnon emendi, dandi, vendéndi, aliosque opportunos contractus ineundi ; quæ omnia facere potest, non tanquam dominus, cum nullius rei dominium habere possit, sed tanquam administrator. Et post obitum, bona

Digitized by Google

ab ipso relicta utpote ecclesiastica, ad hæredes non transeunt; sed de eis disponere ad sedem Apostolicam pertinet. Unde ubi lex sæcularis bona illa hæredibus tribuit, debent hæredes, si velint tuta conscientia hæreditatem illam colligere, ad sedem Apostolicam recurrere, ut bonorum illorum dominium in ipsos transferatur. Hæc rigorose concludenda veniunt ex eo quod dicto Pontificio indulto non tollatur solemne paupertatis votum, sed in suo robore relinquatur. 3° Si ordo ad quem pertinet ejusmodi religiosus, peculiarem habitum habeat, in indulto Apostolico injungi ipsi solet, ut aliquid de isto habitu subter vestes sæculares deferat. 4° Cæterum aptus est religiosus ille ad explenda varia munia ecclesiastica, sub Ordinarii et Romani Pontificis regimine. 5° Tandem in ipso permanet tota religiosi status et solemnis professionis substantia.

Hæc de ejusmodi religiosis breviter adnotanda duximus, quia hodie nonnullos videmus in hac conditione versari; quos æquum non foret minori, eam ob causam, æstimatione ac benevolentia prosequi.

CAPUT V.

DE REGULARIBUS AD ALIAM RELIGIONEM TRANSEUNTIBUS.

Dicemus 1° de transitu juxta jus commune : 2° de transitu juxta jus particulare variarum religionum : 3° de transitu a statu laicali ad clericalem, vel vice versa, intra eamdem religionem : 4° de praxi Romanæ curiæ, quando ad sedem Apostolicam recurritur, pro transitu ad aliam religionem.

§ I.

Quodnam sit jus commune circa transitum regularium ad aliam religionem.

Quæstio I^a. — *An et quatenus de jure communi licitus et validus sit transitus a laxiori ad arctiorem?* — Jus commune in

Digitized by Google

hac materia intelligimus leges et decreta, quæ de omnibus religionibus statuunt : jus autem particulare, Pontificias dispositiones quæ unam aut aliquas religiones respiciunt, necnon singularum religionum circa eamdem materiam statuta, per sedem Apostolicam approbata. Quo prænotato, solvitur proposita quæstio in hunc modum :

I. *De jure communi licitus et validus est, servatis servandis, a laxiori ad arctiorem transitus.* — Ad firmandam illam conclusionem afferemus primo juris textus : tum ostendemus ex iis textibus evinci assertionis veritatem.

1° *Adducuntur juris textus.* — Præcipue attendenda circa illam materiam celebris lex Innocentii III, anni 1212 (qua constat caput *Licet* 18, tituli *de Regularibus* 31, libri 3 Decretalium), tenoris hujusmodi : « Licet quibusdam monachis et « canonicis, necnon Hospitalariis et Templariis a sede Apostolica sit indultum, ne, postquam aliquis professus fuerit apud « eos, ad alium locum possit, ipsis invitis, arctioris etiam « religionis obtentu transire, ut unusquisque secundum Apostolum in ea vocatione permaneat in qua dignoscitur esse « vocatus : quia tamen, ubi spiritus Dei est, ibi libertas; et « qui Dei spiritu aguntur non sunt sub lege, quia lex non est « posita justo : ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne « quis ex temeritate vel levitate, in jacturam vel injuriam « sui ordinis, sub prætextu majoris religionis, ad aliam religionem transvolaret, sicut frequenter a multis constat esse « præsumptum : non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, ut non ficte sed vere ad frugem melioris vitæ valeat « transmigrare. Talis ergo, postquam a prælato suo transeundi « licentiam postulaverit..., libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione prælati... Quocirca noverint universi, quibus « hujusmodi privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de jure « teneri : quia, sicut subditus a prælato cum humili-

Digitized by Google

« puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum « obedientiæ contemnere videatur, sic profecto prælatus sub- « dito sine difficultate et pravitate qualibet debet transeundi « licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire di- « vinitus inspiratum. Si vero probabiliter dubitetur, utrum « quis velit ad ordinem arctiorem aut laxiorem, ex charitate « an ex temeritate transire, superioris est judicium requiren- « dum : ne forte angelus Satanæ in lucis angelum se trans- « formet. »

Tridentina synodus decrevit in hunc modum : « Nemo regu- « laris, cujuscunque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem « religionem. » (Capite 19 sessionis 25 *de Reg.*) Quia regulares « de uno ad alium ordinem translati, facile a suo superiore « licentiam standi extra monasterium obtinere solent..., nemo « cujuscunque ordinis prælatus vel superior, vigore cujusvis « facultatis, aliquem ad habitum et professionem admittere « possit, nisi ut in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui « superioris obedientia in claustro perpetuo maneat ; ac taliter « translatus, etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad be- « neficia sæcularia, etiam curata, omnino incapax existat. » (Cap. 11, sess. 14 *de Ref.*)

« Ex decreto Urbani VIII de apostatis et ejectis, incipiente « *Sacra,* § 3, generaliter statuitur, ut de cætero nullus permit- « tatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori « legitime constiterit, eam religionem paratam esse illum reci- « pere, qui licentiam petit ; tuncque regularis recta se transfe- « rat ad arctiorem. » (Cardinalis Petra, tomo 4, in constitutionem 1 Benedicti XII, sect. unica, n. 22.)

Benedictus XIV, constitutione *Pastor bonus,* 13 aprilis 1744, § 34 et sequentibus, majoris pœnitentiarii potestatem, pro concedendo regularibus ad aliam religionem transitu, sic determinavit : « Quoad transitum vero de una ad aliam reli- « gionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad ar- « ctiorem, juxta caput *Licet, de Regularibus,* verum etiam ad « æqualem, et ab arctiori ad laxiorem ; ob justas tamen et

Digitized by Google

« graves respective causas, ab eodem majori pœnitentiario « probandas : audito prius superiore ordinis a quo, et cum « consensu superioris ordinis ad quem faciendus est transitus. « Pro majori autem transitus firmitate, in his omnibus casibus « possit idem major pœnitentiarius statutis et privilegiis Apos- « tolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare.

« Verum abstineat ab hujusmodi transitu concedendo ad « alias religiones seu ordines, præterquam ad illas seu illos, « in quibus claustralis et regularis observantia vigere digno- « scatur : quod si de tali claustrali et regulari observantia « ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii « attestatio. Abstineat pariter a transitu prædicto concedendo « ad ordines hospitalares et militares, quamvis in istis clau- « stralis et regularis observantia vigeret, nisi forte ad ordinem « S. Joannis de Deo. »

« Concedere itidem possit transitum ab uno monasterio ad « aliud, monialibus tantum ultra montes existentibus, legitima « concurrente causa, in signatura discutienda et approbanda; « committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admit- « tendi et exequendi arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportu- « nis pro casuum varietate. »

2° *Probatur transitum ad arctiorem, servatis servandis, de jure communi esse licitum et validum.* — Ad id evincendum duo requiruntur et sufficiunt : primo, ut jus illud commune aperte sequatur e textibus allatis : secundo, ut jus illud nunquam fuerit generali Ecclesiæ lege sublatum. Porro utrumque certum est. *Primo*, adducta decretalis Innocentii III jus illud aperte exprimit, prout legenti patet. Equidem ad legitimum ejusmodi transitum nonnulla servanda præscribit Pontifex; iis autem servatis, tansitui obstare non posse laxioris religionis superiorem expresse decernit. Alii autem citati textus, Innocentii III decreto non adversantur, sed nonnullas alias duntaxat conditiones addunt.

Secundo, jus illud commune, nulla generali Ecclesiæ lege sublatum est; siquidem nullibi occurrit aut citatur ejusmodi

Digitized by Google

generalis lex. Quod si forte recens aliquod exstaret ejusmodi generale decretum, fateor me prorsus illud ignorare. Equidem ut sequenti paragrapho dicetur, multæ (ne dicam fere omnes) religiones privilegium habent, ne ipsarum religiosi valeant ad aliam, etiam arctiorem, transire, nisi vel concesserit sedes Apostolica, vel ipsa religio, e qua faciendus est transitus, consensum præbeat: sed quomodocunque privilegium illud intelligi debeat, non jus commune, sed particulare constituit.

Objicies 1°. — Illicitus censendus est, etiam ad arctiorem, transitus ex ipsomet jure naturali: etenim potest quisque in sua religione ad sanctitatis apicem niti et pervenire: proinde quod alio migrare optet, levitati et inquietæ mentis prurigini tribuendum est, et nocivum censeri debet; ergo. — *Respondeo:* Potest quidem transitus ad arctiorem religionem nocivus esse, si fiat inconsiderate, vel ob finem minus rectum, vel in iis circumstantiis quæ permanentiam in laxiori religione potius suadent: sed hoc evenit per accidens: *per se* autem, et seclusis dictis circumstantiis (quæ revera abesse possunt) transitus ille non tantum honestus, sed et majoris perfectionis est. Nam sicut religiosus status per se melior est statu sæcularis vitæ, ita religio arctior per se melior est laxiori. Unde nedum dictus transitus juri naturali adversetur, ex jure potius naturali rigorose demonstratur licitus, imo et laudabilior. Et inde est quod nullo voto sese obligare religiosus valeat ad non transeundum ad religionem arctiorem; quia votum illud utpote de re minus bona, nullum foret.

Objicies 2°. — Antiqua jura, et sanctorum Patrum sententiæ, transitum ejusmodi, etiam ad arctiorem religionem, reprobarunt, saltem quatenus fieret absque superioris licentia. Canone *Monachum* (3, quæstionis 4, causæ 20) prohibetur ne religiosus in aliud monasterium migrare possit absque abbatis *permissu aut voluntate.* Et idem sancitur canone *Statuimus* (3, quæstionis 3, causæ 19). Sanctus Bernardus (*de Præcept. et dispens.*, cap. 16, n. 45), de religioso ad arctiorem religionem

Digitized by Google

transire volente, sic habet : « Si me consulit, non consulo, « si non sane id abbatis sui usurparit assensu. Primo, propter « scandalum ipsorum quos deserit. Deinde quia certa pro « dubiis relinquere certum non est. Tertio suspectam habeo « levitatem. » Et similia multa apud sanctos Patres et in antiquis conciliis reperiuntur.

Respondeo. — Citati canones equidem requirunt prælati licentiam ; at non dicunt prælato liberum esse illam recusare absque rationabili causa : unde prohibent duntaxat transitum minus considerate factum. Insuper antiquis iis textibus, quatenus aliter intelligendi forent, derogatum fuisset per citatam Innocentii III decretalem, ex qua doctores communiter jus commune determinandum censuerunt. Ad verba sancti Bernardi quod attinet, benigne interpretanda sunt ; eo sensu nempe, quod in ejusmodi transitu valde timenda sit levitas, et facile alia sequi possint incommoda. Alias nimia forent verba hæc, si omnem omnino transitum reprobarent ; quia Ecclesiæ praxi, et universalibus ejus decretis adversarentur.

II. *Ad legitimum transitum ad arctiorem, de jure communi requiritur petita licentia ; non autem requiritur obtenta.* — Constat ex supra citata decretali Innocentii III, ubi expresse habetur : « Libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, « *non obstante contradictione prælati.* » Accedit communis doctorum sententia. « Jure igitur communi attento (inquit Car- « dinalis Petra), regularis ad arctiorem religionem transire po- « test, petita licet non obtenta sui prælati regularis licentia, « ut communiter tenent doctores in citato capite *Licet.* » (Tomo 4, in const. 1 Benedicti XII, n. 7.)

Objicies. — Sixtus V, constitutione quæ incipit *Immensa*, Sacræ Congregationi Episcoporum et regularium negotiis præpositæ concessit, ut licentiam ad arctiorem religionem transeundi indulgere posset. Hoc ipso autem declaravit *de jure communi* licitum jam non esse hunc transitum, ac proinde revocatam esse legem *Licet* Innocentii III : absonum enim fuisset dictæ Sacræ Congregationi potestatem conferre ad conce-

Digitized by Google

dendum, quod ex ipso jure communi fuisset et relinqueretur licitum: ergo perperam sustinetur *de jure communi* hodiedum licitum esse ad arctiorem religionem transitum, petita et licet non obtenta licentia. — *Respondeo:* Cum plures religiones *privilegium* haberent, ut ipsarum religiosi ad arctiorem transire non possent, nisi, vel ex indulto Apostolico, vel ipsa religione consentiente, quoad ejusmodi privilegiatas religiones dictam potestatem Sacræ Congregationi concessit Sixtus V. Unde citata ipsius constitutio nequaquam necessario revocatam supponit Innocentii III legem (vide Cardinalem Petra, tomo 4, in constitutionem 1 Benedicti XII, n. 27).

III. *Si regularis transeat absque petita licentia, an transitus sit, non tantum illicitus, sed etiam invalidus, controvertitur.* — Quod tunc illicitus sit transitus, ita ut graviter peccet, tum religiosus transiens, tum prælatus alterius religionis eum recipiens, concorditer a doctoribus admittitur. Atvero in quæstione de validitate, inter se dissentiunt, de quo vide Cardinalem Petra (loco citato, n. 14). Communior tamen sententia tenet invalidam tunc esse religiosi receptionem et professionem, et posse eum a prælato laxioris religionis revocari.

IV. *Tenetur religiosus transeundi causam prælato suo exponere.* — Vide Cardinalem Petra, loco citato, n. 12.

V. *Sufficit licentiam peti a prælato immediato; non autem requiritur ut petatur a prælato et capitulo.* — Vide Cardinalem Petra, ibidem, n. 8 et sequentibus. Id intelligendum *de jure communi;* quia de jure particulari alicujus ordinis fieri potest ut necessaria etiam sit licentia capituli.

VI. *Necesse est ad legitimum transitum, ut licentia transeundi petatur cum humilitate, et in finem perfectioris vitæ.* — Constat ex terminis citatæ decretalis *Licet* Innocentii III. Et quidem utraque conditio requiri videtur etiam ad valorem transitus; ita ut revocari possit religiosus, si alterutra deficiente transierit.

VII. *In dubio num religio ad quam fit transitus sit arctior, vel num transire volens ex animi inconstantia ducatur, judi-*

Digitized by Google

cium ad superiorem pertinet : sed qualis sit ille superior, aliquatenus disputatur. — Quod in dicto dubio requirendum sit *superioris* judicium, expresse decernit Innocentius III, citata decretali, *Licet*. Atvero de quo superiore agat, non exprimit. Existimant Suarez, Castropalao et alii, causam justæ vel injustæ denegationis licentiæ cognoscendam esse apud illum superiorem, qui inter illas duas religiones causas judicare potest. Cardinalis Petra (loco citato, n. 12), putat intelligendum superiorem religionis quam vult religiosus deserere. Sed, teste Benedicto XIV, Suaresii sententiæ consonat sedis Apostolicæ praxis. Sic enim habet laudatus Pontifex, in sua bulla *Ex quo*, 14 januarii 1747 : « Neque enim in jure cautum reperitur, « ut duorum ordinum, laxioris atque strictioris, superiores « inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus « ad hunc transire velit ; sed solum, ubi inter præfatos supe- « riores oriatur controversia, an hujusmodi transitus ex lau- « dabili causa, vel potius ex animi levitate et inconstantia sus- « cipiatur, ecclesiasticæ leges superioris majoris judicium « requiri voluerunt (et ibi adducit Benedictus XIV supra « citata verba capitis *Licet*). Quod si, hujusmodi controversia « pendente, religiosus in altero illo ordine recipiatur, atque « etiam in eo professionem emittat, tunc ex ipsius contro- « versiæ exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, « an vero in posteriori remanere debeat... Hodierna vero « praxis est, per quam omnes hujus generis controversiæ et « morarum prolixitates devitantur, ut religiosis viris, qui a « laxiori ad strictiorem ordinem transire cupiunt, postquam « voluntatis suæ causas coram competentibus Apostolicæ « sedis tribunalibus exposuerint atque probaverint, haud ægre « a Romano Pontifice indulgeantur opportunæ facultates, in « quibus derogatio super consensu superioris ordinis laxioris « includitur. »

VIII. *Religioso ad arctiorem transire volenti non debet concedi facultas, nisi prius ipsius prælato constiterit, paratam esse religionem arctiorem ad illum recipiendum : qui autem transeundi*

Digitized by Google

licentiam obtinuit, debet recta pergere ad arctioris religionis conventum, nec potest, iter faciendo, alio divertere. — Ita præcepit Urbanus VIII, ut supra dictum est.

Quæstio IIª. — *An et quatenus licitus et validus sit transitus ad æqualem religionem?* — « Quod transitum ad æqualem « respicit, de eo in jure nihil videtur specialiter cautum... « Concilium Tridentinum (sess. 25 *de Reg.*, cap. 19) nil novi « circa hoc induxit, cum solum prohibuerit transitum *ad laxio-* « *rem.* » (Cardinalis Petra, tomo 4, in constitutionem 8 Eugenii IV, n. 12 et seq.) Quo prænotato, solvitur proposita quæstio in hunc modum :

I. *Absque licentia, vel sedis Apostolicæ, vel saltem superiorum suorum, religiosus neque licite neque valide ad æqualem religionem transire potest.* — Quia nempe, vi votorum in sua religione emissorum, religiosus in perpetuum ei alligatur, salva duntaxat libertate *in melius* vota hæc commutandi. Cum ergo transire ad æqualem, non sit mutare in melius, stat vinculum priori religioni eum alligans, nisi auctoritate extrinseca ab eo absolvatur (vide Cardinalem Petra, citato loco).

II. *Licitus et validus est ad æqualem transitus, si Papa concedat, etiamsi concedat sine causa.* — « Communis docto- « rum sententia est, posse Papam transitum ad æque arctam per- « mittere, etiamsi nulla subsit causa ; ejusque licentiam suffra- « gari in foro tum interno, tum externo, cum omnes religiones « sint sub supremo summi Pontificis regimine ; adeoque sup- « posita æquali arctitudine religionis a qua, et ad quam, po- « terit Papa sua potestate uti transferendo de una ad aliam, « præsertim si hujusmodi transitus primæ religioni non afferat « detrimentum. » (Cardinalis Petra, loco cit., n. 15.)

III. *Transitus ad æqualem de jure communi fieri potest ex sola licentia superiorum cum justa causa : non autem sine causa.* — Nam talis transitus a jure non est prohibitus, ut dictum est : ergo non est ratio cur fieri non possit ex licentia superioris regularis, concurrente justa causa. Atvero non sufficere licentiam regularis prælati, si nulla interveniat justa causa, te-

Digitized by Google

nent doctores communiter : « Quia hujusmodi transitus (ait « Cardinalis Petra, loco citato, n. 13 et seq.) a jure expresse « prohibitus non est..., hinc est ut transitus ad æqualem fieri « possit prævia licentia Papæ, aut inferiorum prælatorum ; « absolute autem necessaria est Papæ licentia, si nulla trans- « eundi causa subsit : Abbas.., S. Antoninus..., Tamburinus.., « et alii. »

Quæstio IIIa. — *An et quatenus licitus ac validus sit transitus ad laxiorem religionem ?* — 1° Nonnulli doctores quæstionem hanc olim solvebant eodem modo ac pro transitu ad æqualem. Ad decretum autem Tridentinum (sess. 25 *de Regul.*, cap. 19), quo expresse prohibetur ne ad laxiorem concedatur transitus, respondebant, decretum esse intelligendum, quando non adest justa causa. Unde, juxta hanc opinionem, posset concedi transitus *ad laxiorem*, a Papa quidem etiam sine causa ; a prælatis vero regularibus solum quando justa causa intervenit. 2° Sed derelinquenda est illa opinio, et omnino tenendum, a solo Papa concedi posse transitum ad laxiorem : nunquam autem a prælatis inferioribus, quantumvis adsit causa : ob expressam et absolutam Tridentinæ synodi prohibitionem (vide id probatum a Cardinali Petra, tomo 4, in constitutionem 8 Eugenii IV, n. 19 et seq.).

Quæstio IVa. — *Quomodo jus intelligendum sit quoad religiosum, qui licentiam Pontificiam obtinuit ad aliam religionem transeundi?* — 1° Tenetur ille religiosus in nova religione, etiamsi laxior sit, novum probationis annum peragere, et ibi professionem emittere (vide apud Ferraris, verbo *Transitus*, n. 2).

2° Si indultum non exprimat religiosum transire posse *etiam ad laxiorem*, vel saltem nisi dicatur dari licentiam ad *quamcunque*, non erit licitus nec validus transitus ad laxiorem (vide ibidem, n. 3).

3° Si licentia data sit *ad quamcunque, in qua regularis et claustralis observantia vigeat*, licitus et validus erit transitus ad laxiorem, modo tamen in ea vigeat regularis et claustralis observantia (vide ibidem, n. 4).

Digitized by Google

4° Religiosus translatus, incapax remanet cujuslibet beneficii sæcularis, etiam cum cura, quamvis alii ejusdem religionis ad quam transiit, ejusmodi incapacitatem non habeant. Hanc nempe incapacitatem expresse decrevit Tridentina synodus (sess. 14 *de Ref.*, capite 11).

Quæstio V^a^. — *Undenam dignoscendum sit an aliqua religio sit arctior altera, in ordine ad dictum transitum canonice faciendum?* — Difficilis profectò quæstio hæc. « Nam una (religio) « excedit (cæteras) in paupertate ; alia in austeritate habitus « vel cibi ; alia in diuturna contemplatione vel assistentia « chori ; alia in amplitudine et perfectione obedientiæ ; alia « in excellentioribus operibus charitatis. Qua ergo regula « utendum erit? Præterea contingit unam religionem esse « quoad hoc securiorem alia, quod majorem solitudinem et « separationem a conversatione hominum profitetur, propter « quod securior appellatur ; et nihilominus alia potest esse per- « fectior, quia in ea sunt majora media ad consequendam ex- « cellentiam sanctitatis. Quæ igitur illarum erit præferenda ad « hujusmodi transitum? Rursus contingit unam religionem, ex « vi suæ institutionis et regulæ, esse perfectiorem et strictiorem « alia, et nihilominus de facto melius et facilius tendi ad per- « fectionem in ea quæ videtur inferior, quia integre servat, et in « altera remisse vivitur. Quid ergo ad hunc transitum magis « spectandum est? » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, libro 3, cap. 9, n. 8.)

Difficultatem ex professo enucleare non aggrediemur ; sed, ad citatum Suaresii locum remittentes, præcipua duntaxat doctrinæ ibi expositæ capita notabimus.

1° Ad dignoscendum num una religio arctior seu perfectior sit altera, non attendenda est primaria ipsius institutio, sed actualis observantia. « Quæ sententia est communiter recepta, « non solum a theologis, sed etiam a canonistis. » (Suarez, loco cit., n. 17.)

2° Est opinio multorum, canonistarum præsertim, *arctiorem* in sensu juris reputandam esse religionem, quæ in exterioribus

Digitized by Google

observantiis corporis asperior et rigorosior est. Unde ubi jus permittit transitum ad *arctiorem*, id intelligendum volunt, non de sanctiori aut fructuosiori, quæ in foro externo vix unquam talis probari posset, at de magis austera.

3° Contrarium sustinet Suarez, post sanctum Thomam; nempe « attendendam esse excellentiam et perfectionem reli- « gionis, secundum veritatem, » et non tantum majorem vel minorem in exterioribus observantiis asperitatem (loco cit., n. 10).

4° An permissus a jure transitus ad perfectiorem seu arctiorem, intelligendus sit de transitu a minus perfecta sed securiori, ad perfectiorem sed minus securam, dubitat Suaresius (ibid., n. 14).

Non obstante dicta opinandi varietate circa dignoscendam religionum perfectionem seu arctitudinem, concordant generaliter doctores in admittenda Carthusiensium religione, tanquam omnium arctissima : « Quod Carthusiensium congregatio « (ait Cardinalis Petra, in const. 8 Eugenii IV, n. 3, tomo 4) « sit omnium arctissima, late firmavi, ed constitutionem 1 Gre- « gogorii IX, n. 20. »

5° In praxi non occurrunt difficultates; quia (ut sequenti paragrapho dicitur) de jure particulari omnium fere religionum, necessaria est ad legitimum transitum, vel proprii prælati, vel Apostolicæ sedis licentia.

Hactenus de transitu ad aliam religionem, attento *solo jure communi*. Nunc dicendum de jure particulari religionum quoad illam materiam.

§ II.

De jure particulari variorum ordinum circa transitum ad aliam religionem.

Propositio I^a^. — *Fere omnes religiones privilegium habent, ut nequeat fieri ab ipsis transitus ad arctiorem, cum sola petita et non obtenta licentia.* — De jure communi, ut præcedenti

Digitized by Google

paragrapho expositum est, fieri potest ad arctiorem religionem transitus, petita, licet non obtenta, licentia. Sed apud omnes fere religiones exstat privilegium huic juri communi contrarium. « Plures sunt religiones, ait Cardinalis Petra, a quibus « transitus ad arctiorem non permittitur, nisi obtenta licentia « a proprio prælato, vel etiam (et quidem frequentius) a sede « Apostolica. » (Tomo 4, in const. 1 Benedicti XII, n. 23.) Cirterciensibus, verbi gratia, constitutione *Regularem* Eugenii IV, prohibetur transitus ad quemcunque alium, præter Carthusiensium, ordinem, absque speciali abbatis licentia, rationabilem et urgentem causam, summo Pontifici allegandam, continente. Item, in *Extravaganti* 1 (inter communes) *de Regularibus*, generaliter omnibus mendicantibus prohibetur transitus ad quemcunque alium ordinem, exceptis Carthusiensibus, nisi cum speciali sedis Apostolicæ licentia, sub qua prohibitione adnotant doctores comprehendi mendicantes, non solum tunc temporis existentes, sed etiam postea institutos, prout Minores, et societas Jesu. Imo, ex variis indultis Pontificiis, « et inter ipsos mendicantes fere prohibitus est transi- « tus absque licentia sedis Apostolicæ... Unde hodie ferme « nullus est casus (sunt verba Cardinalis Petra, loco cit., « n. 25) in quo, ad terminos juris communis sufficiat licentia « petita, licet non obtenta...; cum fere nullus sit ordo, qui « indultum non habeat prohibitivum transitus, nisi cum licen- « tia obtenta a superiore, vel a sede Apostolica. »

Propositio IIª. — *Dicta privilegia intelligenda sunt absolute, et non tantum pro casu quo transitus fieret ex animi levitate et inconstantia; quamvis Innocentius III de hoc solo casu intelligenda decreverit similia privilegia ante ipsum concessa.* — In citata sub præsentis capitis initium Innocentii III lege, sic intelligenda declarantur privilegia ante ipsum concessa: « Licet quibusdam monachis et canonicis... a sede Apostolica « sit indultum, ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, « ad alium locum possit, ipsis invitis, arctioris etiam religionis « obtentu, transire...; ea ratione videtur hoc illis fuisse con-

Digitized by Google

« cessum, ne quis ex temeritate vel levitate..., ad aliam re-
« ligionem transvolaret... ; non quidem ut ei transeundi li-
« centia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit
« postulandam. » Hinc movetur quæstio, an eodem modo intelligenda etiam sint privilegia post Innocentium III concessa? Si enim eodem modo intelligenda forent, hodiedum vigere censendum esset jus commune, superiori paragrapho expositum, prout in illa Innocentii III lege determinatur.

Respondemus, secus intelligenda esse privilegia post Innocentium III concessa, quibus prohibetur transitus ad arctiorem *absque obtenta proprii prælati, aut sedis Apostolicæ licentia.* Dicimus nempe, vi illorum privilegiorum necessariam esse ad legitimum transitum dictam licentiam, etiamsi religiosus, non ex animi levitate et temeritate, sed rationabiliter et ex puro sanctioris vitæ zelo ad arctiorem transire velit. Probatur 1° ex eo quod alioquin privilegia hæc post Innocentium III concessa, inutilia forent et illusoria ; siquidem ad terminos decretalis *Licet*, seu juris communis reducerentur, nec quidquam ei adderent. Et ita tenendum existimant Cardinalis Petra (in const. 8 Eugenii IV, n. 6, tomo 4); « ne alias, inquit, dicere
« cogamur inutilia prorsus fuisse quamplurima privilegia
« regularibus hac in re a sede Apostolica concessa, post cita-
« tum caput *Licet.* » Probatur 2° auctoritate Sacræ Congregationis Concilii, cujus decisionem quamdam vide a Cardinali Petra adductam, loco citato, n. 7.

Propositio IIIª. — *Quamvis omnes fere religiones dictum privilegium habeant, dici absolute non potest, omnino sublatum fuisse jus commune capitis* Licet, *quo* (*servatis servandis*) *licitum est ad arctiorem transire, petita et non obtenta licentia.* — Id prudenter adnotat Cardinalis Petra, tomo 4, in constit. 1 Benedicti XII, n. 28) : « Cæteroquin, ait, pro transitu a laxiori
« ad strictiorem, propriæ cujusque ordinis constitutiones sunt
« attendendæ : quæ, licet quandoque licentiam Papæ aut proprii
« prælati exigant, *non idcirco generaliter asseri potest revoca-*
« *tam esse dispositionem juris in citato capite* LICET ; ut post

Digitized by Google

« Navarrum tradit Cardinalis de Luca discursu 38, n. 35, et « prius discursu 37, n. 3, *de Regularibus.* »

Eo magis nostris temporibus id attendendum, quod exstent hodie congregationes non paucæ, status religiosi essentiam cum votis simplicibus habentes, quibus nullum forsan ejusmodi privilegium concessum est; ut adeo transitus ab ipsis ad arctiorem, adhuc hodie ex lege Innocentii III (capite *Licet, de Regul.*) regulari debeat.

Hinc minus considerate forsan assertionem hanc absolute et sine ulla restrictione emisit Ferraris (verbo *Transitus,* n. 1): « Regulares professi non possunt ad aliam religionem etiam « strictiorem transire, sine licentia sedis Apostolicæ. Mona- « celli..., Donatus..., et communis aliorum : ex praxi et « stylo Curiæ. »

§ III.

De praxi Romanæ curiæ, quando ad sedem Apostolicam recurritur pro transitu ad aliam religionem.

« Quotiescunque autem hujusmodi licentiam a sede Apo- « stolica obtinere oporteat, hæc ut plurimum conceditur a « S. Congregatione super negotiis Episcoporum et regula- « rium; et quandoque etiam a S. Congregatione Concilii et a « S. Pœnitentiaria. Priusquam autem concedatur, constare « debet, quod religiosus transiturus invenerit benevolos re- « ceptores in alia religione; quod factum est ad evitandam « occasionem apostatandi sive evagandi, juxta præscriptum in « decretis de apostatis et ejectis. Et ulterius concurrere de- « bet consensus propriæ religionis; qui si irrationabiliter de- « negetur, suppleri solet, præsertim si agatur de transitu ad « strictiorem; ut notat Cardinalis de Luca, *de Regularibus*, discursu 35, n. 4. » (Cardinalis Petra, tomo 4, in const. 1 Benedicti XII, n. 30.)

Digitized by Google

§ IV.

De transitu a statu laicali ad clericalem, et vice versa, intra eamdem religionem.

1° Solus Papa concedere potest ut quis a statu laicorum seu conversorum ad clericorum statum intra eamdem religionem transeat; « cum ex decreto Clementis VIII, relato in ejus « constitutione 83, § 34, et confirmato in constitutione 26 Ur- « bani VIII, prohibeatur iis, qui ad conversorum habitum re- « cepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiamsi adhuc « sint intra annum probationis. » (Cardinalis Petra, tomo 4, in constit. 8 Eugenii IV, n. 16.)

2° Societas Jesu, ex propriis insuper constitutionibus, simili dispositioni subjacet.

3° « At si econtra de transitu a statu clericali ad illud « conversorum agatur, dummodo transiens in ordinibus sa- « cris non sit constitutus, ac justa causa concurrat, cum præ- « lati regularis licentia fieri posse tenent Pellizarius..., Le- « zana..., Murga...; eo præsertim quia id a jure non est pro- « hibitum, nec violantur substantialia votorum religiosorum, « cum hæc eadem sint in statu conversorum et clericorum: « quinimo status illorum, quamvis humilior, est tamen durior « et asperior...

4° « Et quidem prælatus hunc transitum non solum per- « mittere, sed etiam jubere potest, ob punitionem delicti, ut « tenet Sanchez (libro 6 Moral., c. 7, n. 80); ubi quod cum « hujusmodi transitus sit res gravis, fieri debeat a provinciali « aut generali, cum consensu conventus, vel alias prout cujus- « que ordinis statuta præscribunt.

5° « Cæterum qui a conversorum statu ad illud clericorum « transeunt, præcedentiam aliaque, quæ professionem prius « emissam consequuntur, non metiuntur a tempore primæ « professionis emissæ inter conversos, sed a professione « emissa in statu clericali, ut tenet Bordonius..., et respon-

Digitized by Google

« dit... S. Congregatio... : cum hi duo status, quamvis sint in « eadem religione, sint tamen inter se penitus separati, perinde « ac si essent diversi ordinis. » (Cardinalis Petra, tomo 4, in const. 8 Eugenii IV, n. 17 et seq.) Vide etiam apud Ferraris, verbo *Transitus*, n. 5 et sequentibus.

Digitized by Google

SECTIO V.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS.

Dicemus 1° de obligationibus ex voto paupertatis; 2° de obligationibus ex voto castitatis; 3° de obligationibus ex voto obedientiæ (remissive); 4° de obligatione servandi regulam; 5° de obligatione tendendi ad perfectionem; 6° de obligatione gestandi habitum; 7° de obligatione clausuræ quoad viros; 8° de obligatione clausuræ quoad moniales; 9° de nonnullis aliis monialium obligationibus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS REGULARIUM EX VOTO PAUPERTATIS.

Dicemus 1° de fundamentali obligatione religiosorum non habendi bonorum temporalium dominium, vel saltem liberum et independentem usum; 2° quænam bona sint pro temporalibus habenda, ita ut eorum dominium retinere, aut de iis independenter a superiore disponere nequeant regulares; 3° an et quatenus religiosis licitum sit habere peculium, pensionesque vitalitias seu livella; 4° quænam pœnæ latæ sint contra regularem qui deprehenderetur obiisse proprietarius; 5° an et quatenus religioso licitum sit donationes facere, testamentum condere, et dona sibi oblata acceptare vel recusare; 6° an sufficiat superiorum licentia tacita aut etiam præsumpta, ut religiosus licite aliquid accipiat, retineat, absumat, alteri donet, vel commodet; 7° quænam quantitas re-

Digitized by Google

quiratur ad peccatum mortale contra paupertatem; 8° quænam sit specialis obligatio ex voto paupertatis, in iis religionibus quæ in communi possidere nequeunt.

§ I.

De fundamentali obligatione regularium non habendi bonorum temporalium dominium, vel saltem liberum et independentem usum.

Obligationem illam vocamus fundamentalem seu primariam, quia cæteræ omnes ex voto paupertatis exurgentes, regularium obligationes, ista nituntur, et ex ipsa tanquam consectaria fluunt. Ejus autem notio sic exponi potest :

Propositio Iª. — *Votum paupertatis, quale fit a regularibus, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, prohibet saltem liberum et independentem bonorum temporalium usum.* — Sub prima tractatus parte varios diximus concipi et distingui posse paupertatis gradus : nempe 1° potest quis paupertatem ita sectari, ut non tantum de bonis suis temporalibus non disponat nisi dependenter ab alicujus superioris voluntate, sed etiam dominium ipsum ejusmodi bonorum a se abdicet. 2° Potest servare dominium bonorum suorum temporalium, et a se abdicare duntaxat liberum et independentem ipsorum usum; ita nempe ut se adstringat ad non disponendum ullo modo de bonis istis, nisi de licentia superioris. 3° Tandem concipitur etiam inferior paupertatis gradus, in eo consistens, ut quis servet dominium bonorum suorum, necnon eorumdem usum liberum et independentem a cujusvis voluntate; at simul hac sese lege constringat, ut non nisi modica quædam, in proprios usus convertat, cætera autem in pia opera expendat. Quo prænotato

Dicimus voveri a religiosis quibuslibet, si vere religiosi sint, *secundum* saltem ex dictis paupertatis gradibus; ita ut nempe sibi in perpetuum interdicant quemlibet liberum et independentem bonorum temporalium usum. Constat ex modo intel-

Digitized by Google

ligendi paupertatis votum juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam. Qui nempe triplex substantiale religionis votum emisit, censetur sese obligasse saltem ad non disponendum de bonis temporalibus independenter a superiorum voluntate. Ita votum paupertatis intelligitur apud omnes religiosorum familias. Unde, cum singuli religiosi paupertatem juxta hunc communem intelligendi modum voveant, sequitur ab ipsis violari hoc votum, quoties independenter a superiorum voluntate de aliquo temporali bono disponunt; id est, quoties absque legitima superiorum licentia, aliquid ex dictis bonis accipiunt, retinentve, aut dispensant. Quæ fundamentalis obligatio communis est religiosis omnibus, sive solemnia, sive simplicia duntaxat vota emiserint.

Propositio IIª. — *Qui solemnia religionis vota emisit, non tantum nequit de bonis temporalibus independenter a superiore disponere, sed neque ejusmodi bonorum dominium retinere aut acquirere.* — Prout enim sub prima tractatus parte tradidimus, incapacitatem dominii secum trahit voti paupertatis solemnitas. Econtra, si votum sit simplex, potest religiosus bona sua temporalia retinere, et alia sibi acquirere; nec ex voto suo fit incapax ejusmodi dominii, sed obligatur duntaxat ad non utendum bonis temporalibus, etiam suis, nisi dependenter a superioris sui voluntate.

Propositio IIIª. — *Dicta fundamentalis obligatio religiosos ligat quatenus singulos; non autem (de jure communi) ea ligatur ipsemet religiosus ordo.* — Possunt nempe religiosi ordines possidere in communi temporalia bona, et de iis disponere, attento communi jure. Nam id, neque contrarium est status religiosi essentiæ, nec ulla universali lege prohibetur. Dicimus tamen *de jure communi*, quia ex particulari jure nequeunt Capuccini et Minores de Observantia, etiam in communi, bona temporalia possidere.

Digitized by Google

§ II.

Quænam bona sint pro temporalibus habenda, ita ut eorum dominium retinere aut de iis independenter a superiore disponere nequeant regulares.

1° De pecuniis, agris et similibus, nulla est difficultas : ea enim proprie bona temporalia sunt. Unde certum est, haud licitum esse regularibus ea accipere, retinere aut alienare absque superiorum licentia. Item certum est, si vota solemnia fuerint, non posse a religiosis ejusmodi bonorum dominium retineri aut acquiri. Atvero dubium occurrere potest de bonis quibusdam, quæ potius spiritualibus, quam temporalibus accensenda videntur. Nempe,

2° Honor, fama, scientia, jus eligendi, præsentandi ac conferendi regulare beneficium, non sunt materia voti paupertatis (vide S. Liguorium, l. 4, c. 1, n. 14).

3° An idem dicendum sit de manuscriptis religiosorum, controvertitur. Ob varias quæ supervenerunt hac de re declarationes, tenet S. Liguorius ea non comprenhendi sub voti paupertatis obligatione : posse proinde religiosum, absque superiorum licentia, sua manuscripta alienare aliove modo de iis disponere (vide S. Liguorium, citato loco). At contrariam sententiam fuse defendit Ferraris (verbo *Votum*, art. 2, n. 142 et seq.).

4° « Idem quod de manuscriptis dicunt Salmanticenses de « reliquiis. » (S. Liguorius, ibid.)

5° Quoad picturas a religioso factas, distinguunt aliqui doctores hoc modo : si monasterium telas, colores et alia ejusmodi religioso præbuerit, picturæ ad monasterium pertinent : secus si hæc ab aliis quam a monasterio præstentur (vide S. Liguorium, loco cit.).

6° Si beneficium ecclesiasticum religioso conferatur, non obstante voto paupertatis, potest ille religiosus independenter a suo superiore hoc beneficium administrare, et de ejus

Digitized by Google

redditibus disponere. Non tamen licite potest eos expendere nisi ad propriam sustentationem et pios usus (vide S. Liguorium, l. 4, c. 1, n. 16). Cum nempe jus illud beneficium administrandi et de ejus proventibus disponendi, sit rei spirituali adnexum, non reputatur bonum temporale, nec est materia voti paupertatis.

§ III.

An et quatenus religiosis licitum sit habere peculium, pensionesque vitalitias seu livella.

Quæstio Iª. — *Quid per peculium in præsenti materia intelligatur?* — Peculium hic intelligitur quodlibet bonum temporale, ad particulares alicujus religiosi, non autem ad communes monasterii usus destinatum. Unde pecunia, res comestibiles, annui census, seu vitalitiæ pensiones, aliaque id genus, quæ destinantur et inservire debent ad privatam alicujus religiosi utilitatem, dicuntur et sunt hujus religiosi *peculium*. Conventus in quibus nullum exstat ejusmodi peculium, dicuntur *communem* vitam habere; quæ locutio *communis vitæ* tunc nihil aliud indicat, quam ejusmodi peculiorum exclusionem.

Quæstio IIª. — *An peculium, cum independenti usu ipsius, licitum sit aut esse possit regularibus?* — Respondendum negative. Nam ex dictis supra, paragrapho 1, paupertatis votum religiosis adimit *saltem liberum et independentem* bonorum temporalium *usum*. Idem nempe est vovere paupertatem religiosam, ac vovere nunquam uti bonis temporalibus tanquam propriis, seu absque superiorum facultate. Unde obligatio illa religiosi non disponendi de ullo bono temporali independenter a superiore suo, essentialiter et indivulse voto ipsius inhæret. Ergo religiosus qui aliquo peculio independenter a prælato suo uteretur, hoc ipso votum suum violaret. Estque id extra omnem controversiam apud doctores. Et confirmari etiam solet ex jure positivo multis textibus (quos vide apud Ferraris,

Digitized by Google

verbo *Votum*, art. 2, n. 45). Hinc quando disputant auctores an licitum sit religiosis peculium, non agitur de peculio cum independenti usu, de cujus illiceitate nulla movetur difficultas, sed de peculio cum dependentia a superioris voluntate quoad usum. Hæc autem ultima quæstio, quæ nunc expendenda venit, revera gravissima est, atque hodiedum valde practica, cum etiamnum exstent multi conventus, in quibus ejusmodi peculia tolerantur, seu qui *communem* (ut dicitur) vitam non habent.

Quæstio IIIª. — *An religiosis licitum sit peculium cum dependenti usu a superiorum voluntate?* — Pro quæstionis gravitate, illam expendemus primum relative ad jus naturale, tum relative ad jus ecclesiasticum post Tridentinam synodum.

I. *Peculium, cum usu dependenti, essentiæ voti paupertatis et status religiosi non repugnat; proindeque non est ex jure naturali illicitum.* — Est sententia hæc communiter recepta, quamvis aliqui olim contrarium tenuerint, prout videre est apud S. Liguorium (l. 4, c. 1, n. 15). Probari autem potest hoc modo : quando vovetur paupertas, non vovetur nullis bonis temporalibus uti; id enim non foret de meliori, imo pravum foret, cum ad vitæ sustentationem necessarius sit multiplex ejusmodi bonorum usus. Vovetur ergo duntaxat non uti bonis temporalibus tanquam propriis, seu independenter a superiorum voluntate. Ergo religiosus peculium habens et eo utens dependenter a superiore, non agit contra paupertatis votum, nec consequenter contra essentiam status religiosi.

Objicies 1°. — Paupertatis religiosæ voto repugnat retineri a religioso alicujus boni temporalis dominium seu proprietatem : sed habere peculium, est retinere alicujus boni temporalis dominium seu proprietatem; ergo habere peculium, voti paupertatis essentiæ repugnat. — Respondeo 1° : distinguo majorem : voto *solemni* paupertatis repugnat retentio dominii, concedo : voto *simplici*, nego. Certum est, verbi gratia, scholasticos societatis Jesu esse veros religiosos, et tamen bonorum

Digitized by Google

suorum dominium retinent. Equidem voti solemnitas incapacitatem dominii inducit; at necessaria non est voti solemnitas ad status religiosi essentiam, prout fuse sub prima tractatus parte probavimus. Respondeo 2°, nego minorem : etenim habere peculium nequaquam idem est ac retinere dominium seu proprietatem. Nam si religioso solemniter professo constituatur a consanguineis, aliisve personis, census vitalitius, vel erogetur ad privatos ipsius usus aliqua eleemosyna, non ipse religiosus horum acquiret dominium, sed monasterium : et nihilominus si ejusmodi census et eleemosyna ad particulares illius religiosi utilitates deputentur et impendantur, peculium habebit, et in ipsius conventu non aderit vita communis.

Objicies 2°. — Voto paupertatis repugnat haberi a religioso exclusivum alicujus boni temporalis usum : sed habens peculium, habet ejusmodi usum ; ergo peculium voto paupertatis repugnat. — Respondeo, distinguo majorem : repugnat haberi dictum exclusivum usum, si usus iste sit simul independens a superioris voluntate, concedo ; si religiosus dictum usum non habeat nisi de licentia superioris, nego. Si nempe religiosus peculio suo uti non possit nisi ex licentia prælati sui, usus ille non magis est contra paupertatis votum, quam si uteretur aliqua alia re monasterii cum simili superioris licentia. Porro agimus de peculio *cum dependenti usu*, cujus nempe religiosus solemniter professus nec dominium habet, nec etiam liberum usum. Tale peculium ex natura sua voti paupertatis essentiæ nequaquam repugnat.

Objicies 3°. — Religiosus peculium habens, curis et sollicitudinibus in ipso administrando aut etiam augendo facile sese implicat : id porro fini voti paupertatis adversatur; siquidem ideo fit paupertatis votum, ut devitentur ejusmodi circa bona temporalia curæ et sollicitudines, quæ ab assequenda perfectione multum præpediunt. — Respondeo, hoc quidem ratiocinio evinci, non expedire peculiorum usum ; et multo melius, esse (ordinarie loquendo et seclusis particularibus quæ contra-

Digitized by Google

rium suaderent circumstantiis) ut omnino a regularium conventibus praxis hæc abigatur, et vita communis in tota sua integritate servetur. At non inde sequitur violari per ejusmodi peculia paupertatis votum. Quod enim essentialiter requirit religiosa paupertas, quodque per votum paupertatis Deo promittitur, nempe nulla re uti tanquam propria et independenter a superiorum voluntate, cum istis peculiis absolute stare potest, ut probavimus.

II. *Peculium cum usu dependenti, non fuit prohibitum a jure ecclesiastico, ante Tridentinam synodum.* — Suaresii hac de re doctrinam summatim referemus. Exponit primo conclusionem hanc a nonnullis impugnari (*de Religione*, tomo 3, l. 8, c. 14, n. 2). Tum ita subjungit : « Nihilominus contraria sen« tentia communis est canonistarum. » In probationem allegat caput *Insinuante* (7, tituli 6, libri 4 Decretalium), et nonnullos alios textus. Et tandem sic concludit : « Denique nulla est « ratio sufficiens, quæ probet hoc esse illicitum : non ergo est « damnandum, maxime cum fuerit communi consuetudine « receptum. Antecedens patet, quia non invenitur jus commune « positivum quo prohibeatur ; nec etiam est per se contrarium « voto, ut probat ratio superius facta. » (Vide etiam S. Liguorium, l. 4, c. 1, n. 15.)

III. *An Tridentina synodus dicta peculia cum dependenti usu prohibuerit, controvertitur : probabilior affirmativa sententia.* — De controversia illa videri potest Suarez (*de Religione*, tom. 3, l. 8, c. 14), necnon S. Liguorius, citato loco. Decretum autem Tridentinum circa quod controversia vertitur sic habet : *Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat... bona immobilia vel mobilia cujuscunque quantitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere ; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu con-*

Digitized by Google

ventuum ad solos officiales eorumdem ad nutum superioris amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ et ordinis constitutiones puniatur (c. 2, sess. 25, *de Reg.*). Cum ibi dicatur *nemini liceat... etiam nomine conventus possidere vel tenere*, videtur excludi peculium etiam cum dependenti usu. Nam qui tale peculium habet, licet de eo non disponat nisi ex superioris licentia, est tamen de iis qui aliquid *nomine conventus* retinent. Sed responderi potest, prohiberi quidem ne religiosus peculium *apud se* habeat, et injungi ut ad superiorem deferatur, non autem ne habeat aliquid apud superiorem depositum. Vicissim huic interpretationi objici possunt verba *conventuique incorporentur*, quæ peculiorum sublationem et vitæ communis injunctionem sonare videntur. Hæc adnotamus ut videat lector Tridentino decreto haud præclusam fuisse controversiam omnem. Sanctus Liguorius de iis est qui probabilius existimant decreto Tridentino prohibita fuisse peculia. « Prima sententia, in« quit, probabilior videtur, spectata sanctione concilii. Ducor « primo ex illis verbis, *nemini liceat bona immobilia vel mobilia..., etiam nomine conventus possidere.* » (Libro 4, c. 1, n. 15.)

IV. *Si hodiedum vigeret decretum* Nullus *Clementis VIII, dicendum foret peculia esse prohibita.* — In hoc enim decreto, pro regularium reformatione edito, sic ille Pontifex statuerat: « Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custo« diendo fidelius observentur, præcipitur ut nullus ex fra« tribus, etiamsi superior sit, bona immobilia vel mobilia, « aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex « concionibus, sive ex lectionibus, aut pro missis tam in pro« pria ecclesia quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum « justo labore et causa et quocunque nomine acquisita, « etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitione

Digitized by Google

« legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam « nomine conventus possidere possit; sed ea omnia statim « superiori tradantur et conventui incorporentur, *atque cum « cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus con- « fundantur; quo communis inde victus et vestitus omnibus « suppeditari possit.* » Ultima verba, quæ sublineamus, quorumlibet peculiorum liceitatem aperte excludunt; fuitque illud decretum postea innovatum et confirmatum ab Urbano VIII (vide apud Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 45). Unde nisi horumce decretorum rigor postmodum fuisset temperatus, omnino dicendum foret obligatoriam esse vitam communem, et nulla prorsus peculia pro licitis haberi posse.

V. *Saltem ex consuetudine et sedis Apostolicæ praxi, hodie licita sunt peculia, in iis conventibus in quibus viget eorum usus.* — « Ratione consuetudinis (ait S. Liguorius), quæ hodie fere in « omnibus religionibus, saltem non reformatis, introducta est, « puto... rigorem concilii hodie temperatum esse, et licere « singulis religiosis ex consensu superioris peculium habere, ut « sibi provideant ad usus necessarios vel honestos, modo sint pa- « rati bona a se abdicare ad superioris nutum semper, ac illis « sufficienter subveniatur, nam alias non tenerentur peculium « dimittere. » (Lib. 4, c. 1, n. 15.) Veram esse illam sententiam evincunt sequentes auctoritates.

Cardinalis Bellarminus, rogatus ab Archiepiscopo Neapolitano, an moniales, non obstante contraria consuetudine, teneantur exactam vitam *communem* servare, respondit in hunc modum : *Si consuetudo inobservantiæ est legitime præscripta, videntur posse excusari illæ, quæ religionem sic relaxatam invenerunt; nam talis religio sic relaxata, in qua tantum servantur omnia substantialia, est vera et bona religio; ergo potest eligi; et qui in ea vivunt sunt in statu perfectionis* (relatum istud responsum reperies apud S. Liguorium, loco citato).

In brevi *Postulat* Benedicti XIII, anni 1724, præcipitur : *Ut omnia bona mobilia seu immobilia cujuscunque generis, quæ*

Digitized by Google

eos (1) *tempore suæ promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis duntaxat scriptis propriis..., superiori locali tradantur.* « Ergo (inquit S. Liguorius, loco citato) Pontifex, « licet expresse hic non approbet, saltem præsupponit tanquam « licitum peculium, sive mobilium sive immobilium, quod re- « ligiosi penes se habent. »

Clemens VIII in quodam brevi anni 1602, ad Cardinalem Gesualdum directo, declarandum injunxit, *quod liceat abbatissæ cujuslibet monasterii permittere monialibus, ut unaquæque earum, ex subventionibus quæ eisdem monialibus dantur, aliquid expendere possit, absque eo quod per manus officialium erogetur, et sine onere aliam de eis rationem reddendi: summa autem hæc erit scuti unius quolibet mense pro minutis causis...* Subjungebat autem idem Pontifex : *Ut in posterum neque ad habitum, neque ad professionem aliqua recipiatur, nisi sub integra reformatione vitæ communis.* Cum autem contra hanc ultimam dispositionem reclamatum fuisset, in alio decreto sic idem Clemens VIII declaravit : *Moniales vero, quæ... in posterum admittentur in iis monasteriis, in quibus subventiones retinentur, nullatenus invitæ cogantur ad vitam communem* (citat hos textus S. Liguorius, loco citato).

A plurimis Pontificibus, et iterum anno 1691 ab Innocentio XI, approbatæ fuerunt constitutiones ordinis S. Mariæ de Mercede. Porro in iis constitutionibus permittitur peculium. Sic enim (dist. 3, cap. *de Voto paupertatis*) disponitur : *Sancimus, ne quis fratrum professorum aliquid proprium habeat, neque pecunias, neque vasa argentea, etc. ; neque illa expendat absque sui prælati licentia... Attendant autem fratres nostri, quod singulis annis semel omnia quæ in usu retinent, commendatoribus suis exponant et realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, et specialem licentiam utendi eis accipiant a prælato.* Hunc locum citans S. Liguorius, sic adjungit : « Ergo cum licentia bene poterant retinere et expendere. » (Libro 4, c. 1, n. 15.)

(1) Nempe religiosos, qui promoventur ad Episcopatum.

Digitized by Google

Cum, Urbani VIII jussu, peracta fuit die 13 julii 1617 visitatio Apostolica monasterii Conventualium Romæ, a sanctis Apostolis nuncupati, circa peculia statutum est in hunc modum : « Pecuniæ vero, aliæque res quæcunque fratrum, intra « viginti quatuor horas tradantur superiori, in commune con- « ventus ærarium reponendæ, triplicique clavi custodiendæ, « quarum una penes guardianum pro tempore existentem, « duæ vero aliæ penes duos alios fratres singulo quoque anno « per conventum eligendos, conserventur ; ex quibus, submi- « nistrato exhibitori quantum religiosæ ejus necessitates (status « valetudinis laborumque ratione habita) expostulare videbun- « tur, reliquum penes ærarium remaneat, et arbitrio duarum « ex tribus partibus capituli seu congregationis provincialis « singulis annis faciendæ, erogetur. » (Apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 2, n. 69.) Ibi videmus tolerari peculia, licet sub certis conditionibus.

Multum optante Cesenatensi Episcopo, ut moniales sanctæ Claræ illius civitatis ad vitam communem adigerentur, S. Congregatio 12 martii 1693 rescripsit, *ad mentem*. « Et mens fuit, « quod circa vitam perfecte communem nihil esset innovan- « dum. » (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 2, n. 71.)

Hinc, admisso etiam prohiberi, per citatam Tridentinam legem, peculia quælibet, necnon pensiones vitalitias seu livella, et quamvis aperte ea prohibuerit decretum *Nullus* Clementis VIII, damnanda non est tanquam illicita contraria praxis, hodie multis in conventibus vigens. « Damnare non audeo, « ait Pellizarius, consuetudinem toleratam a Pontificibus, Or- « dinariis ac prælatis regularibus scientibus et consentientibus « ad evitanda majora mala ; idque etiam postquam Clemens VIII « dictum jus concilii innovavit in decretis pro reformatione « regularium ; et confirmavit Urbanus VIII in decreto de « apostatis et ejectis. » (*De Monialibus*, pag. 48, n. 6, editionis non prohibitæ.) Loquitur autem ibi citatus auctor de monialibus, quæ in victu, vestitu et aliis ad corporis sustentationem spectantibus, vitam communem non habent.

Digitized by Google

VI. *Licita esse peculia in iis conventibus, in quibus ob paupertatem vel superiorum incuriam necessaria regularibus non ministrantur, extra omnem controversiam est.* — « Omnes « conveniunt, inquit S. Liguorius, quod in iis conventibus in « quibus non observatur vita communis, ob paupertatem, vel « incuriam superiorum subministrandi subditis necessaria, pos- « sunt concedi peculia ad nutum prælatorum. Ratio, quia Tri- « dentinum tunc præcipit religiosis vitam communem, cum a « conventu *nihil quod sit necessarium denegetur.* » (Lib. 4, c. 1, n. 15.)

VII. *Si prælati regulares, et a fortiori sedes Apostolica, vitam communem reducere velint, et peculia proscribant, tenentur regulares huic reformationi sese submittere, modo simul ipsis necessaria suppeditentur.* — Nam ut peculium non sit voti paupertatis læsivum omnino requiritur ut habeatur *cum dependentia* a superioris voluntate, ut supra probavimus. Sed regulares qui peculia retinerent post decretum prælatorum vitam communem præcipiens, hoc ipso jam illa retinerent *absque dependentia* a superiorum voluntate : ergo votum paupertatis violarent (vide S. Liguorium, l. 4, c. 1, n. 15). Et hoc bene notetur ab hodiernis regularibus, vitam communem non habentibus, qui prælatis suis vitam illam communem reducere volentibus objiciunt, se non posse ad id obligari, utpote qui voverint juxta regulam moderatam prout est in præsenti, et cum usu peculiorum. Nam iste usus peculiorum quem vigentem invenerunt, quando religionem ingressi sunt, intelligendus est *cum dependentia a superiorum voluntate ;* alioquin nec fuisset, nec esse unquam potuisset licitus. Ergo regula etiam relaxata juxta quam voverunt, excludebat peculia absque superiorum consensu retenta. Ergo statim ac prælati peculiorum praxi consentire desinunt, peculia hæc, etiam juxta regulam relaxatam, evadunt ipso facto illicita.

VIII. *Ubi viget vita communis, graviter peccarent prælati peculiorum praxim absque necessitate introducentes.* — In quantum enim disciplinæ regularis detrimentum ejusmodi pe-

Digitized by Google

culia cedant, per se facile patet, et plus nimium experientia demonstravit. « Omnes prælati, inquit S. Liguorius, tanquam « certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis « de novo introducent, vix nomen paupertatis ibi supererit; et « ex hoc innumera mala communitati quoad observantiam « supervenient. » (Libro 4, c. 1, n. 15.) Prælati nempe peculia introducentes, magnum detrimentum suæ religioni inferunt; ergo peccati gravis reatum incurrunt. Non dicimus grave fore hoc peccatum ratione voti paupertatis, sed ratione ingentis damni sic ordini suo illati.

IX. *Regulares qui possent absque gravibus incommodis vitam communem in suis conventibus reducere, atque id non faciunt, vituperio digni sunt, et vel ex hoc ipso sese produnt in prosequenda vitæ religiosæ perfectione valde remissos.* — Quamvis enim absolute stare possit peculiorum usus cum substantialis voti paupertatis observantia, ipso tamen semel introducto magna ex parte corruere solere religiosæ vitæ integritatem et fervorem, in confesso est apud omnes. Religiosi ergo qui tanti damni occasionem removere nolunt, cum id possunt absque notabili incommodo, profecto propriæ perfectionis et sui ordinis honoris parum æmulos sese ostendunt. Quod si objicias, a Bellarmino *licitam et bonam* dici religionem, in qua viget peculiorum usus, respondeo : esse quidem in se bonam et licitam, et relative ad sæcularem statum multo meliorem, cum vel sic religiosi status substantialia contineat; unde nec mirum est eam ab Ecclesia tolerari : imo et ex ejusmodi religionibus prodire videmus virtutibus et sanctimonia valde conspicuos viros. Relative autem ad vitam communem, peculia hæc non sunt quid bonum, sed magnum detrimentum. Jam vero religiosi qui a sua religione magnum damnum removere nolunt, cum id, ex hypothesi, valeant absque notabili incommodo, a convenienti status sui fervore deficiunt : et si qui in iis religionibus ad sanctitatem conscendant, non sunt de iis qui reduci vitam communem noluerunt, sed de iis qui eam reducere non potuerunt. « Utinam ergo moniales aliique religiosi intel-

Digitized by Google

« ligerent, quam bonum et quam jucundum sit habitare in « unum, vivere de communi mensa, indui ex eodem vestiario, « omnem temporalium rerum sollicitudinem abjecisse!.. Uti- « nam sæpius excogitarent, quantum sit bonum esse omnino « liberum a molestia comparandi necessaria ad vitæ præsentis « sustentationem, seque totum committere divinæ providen- « tiæ! » (Pellizarius, *de Monialibus*, pag. 49, editionis non prohibitæ.)

Quæstio IVª. — *In conventibus ubi legitime habentur peculia et livella, quid licitum sit vel prohibitum, circa ipsorum usum?* — 1° Tuta videtur praxis, quam describit Ferraris (verbo *Moniales*, art. 2, n. 71) in hunc modum : « Ut moniales in « monasteriis ubi non adest vita communis, possint licite exi- « gere, retinere et expendere livella, debent quinque condi- « tiones seu circumstantiæ concurrere : *prima* scilicet, quod « habeant dependenter a voluntate superioris : *secunda*, ut « sint paratæ peculium consignare ad nutum ejusdem supe- « rioris : *tertia*, ut pecunias convertant in licitos et pios usus : « *quarta*, quod non sit peculium superfluum : *quinta*, quod sit « penes capsam depositi, seu ærarium commune. Donatus...; « Monacelli (parte 1, tit. 11, formula 20, n. 4 et 6), ubi habet « quod hæc Donati theoria potest tute practicari et tolerari; « prout tolerari posse declaravit S. Congregatio, in una *Ce-* « *senatensi*, pro monasterio S. Claræ illius civitatis, rescri- « bendo sub die 12 martii 1693..., *ad mentem...;* et mens « fuit quod circa vitam perfecte communem nihil esset inno- « vandum. »

2° Ad liceitatem omnino necesse est ut religiosus peculium habens, de eo non disponat pro libitu tanquam de re propria, sed solummodo ex superiorum licentia. Sequitur ex dictis supra.

4° Non videtur religiosus pecunias ad peculium suum pertinentes apud se asservare posse, etiam de superioris consensu; cum jubeat Tridentina synodus ut *superiori tradantur*. Proinde tunc tantum ei erogari debent quando eas in proprios

Digitized by Google

usus expensurus est. Nihilominus sicubi consuetudo invaluerit ut de superioris licentia religiosus peculium suum apud se retineat, condemnare non auderem ; quia, semel admisso prævaluisse contra decretum Clementis VIII contrariam consuetudinem, huic consuetudini prout viget standum est, quandiu voti paupertatis essentiæ non adversatur ; absolute autem paupertatis voto non repugnat, asservari apud religiosum ipsius peculium, de superioris licentia. At tunc saltem necesse erit, ut religiosus peculium suum non ita occultet aut clavibus obserat, ut de eo nequeat superior quoties voluerit libere disponere : alias enim proprietarium ageret, siquidem peculium *absque dependentia a superioris voluntate* retineret, quod voto essentialiter repugnat, et involvit proprietatis actum.

4° Cum sola superiorum licentia constitui possunt a consanguineis aliisve personis, ad particulares alicujus religiosi vel monialis usus, pensiones vitalitiæ, census seu livella *moderata* (vide Pellizarium, *de Monialibus*, pag. 48, n. 3, editionis non prohibitæ). Et tunc jus ad ejusmodi pensiones monasterio acquiritur ; quia quidquid acquirit monachus acquirit monasterium. Et insuper iis uti non poterit religiosus aut monialis, nisi cum dependentia omnimoda a superioris voluntate, ut dictum est.

Quod si agatur de constituendis censibus pinguibus, haud sufficere videtur licentia superiorum. Cum enim vi Tridentini concilii (sess. 25, c. 2, *de Reg.*) superioribus prohibitum sit, ne suis subditis concedant mobilia superflua, nec permittere poterunt pensiones superfluas ad particulares alicujus subditi usus expendendas. Unde tunc a sede Apostolica licentia obtinenda est. Et non solet concedi nisi sub certis conditionibus. « Sedes Apostolica, inquit Ferraris (verbo *Moniales*, art. 2, « 80) quotiescunque per Sacram Congregationem Episcopo- « rum aut Concilii, facultatem habendi livella seu vitalitia « regularibus aut monialibus concedit, solet adjicere sequen- « tes conditiones : *Dummodo annuus redditus a procuratore*

Digitized by Google

« *monasterii exigatur, et recta via deferatur in commune de-*
« *positum: et tunc de manu depositarii, et de licentia superio-*
« *rum, ipse orator recipiat quantum et quatenus opus fuerit,*
« *et in suas religiosas necessitates applicet; applicatorumque,*
« *quoties a superioribus fuerit requisitus, rationem reddat; et*
« *residuum in communes monasterii necessitates erogetur.* Sic
« refert Cardinalis Petra, tomo 4, ad constitutionem 5 Bene-
« dicti XIII, n. 38. »

5° Livella non possunt a monialibus et regularibus cedi « eorum consanguineis, sine licentia S. Congregationis. » (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 2, n. 72.) Sequitur ex eo quod jus ad ejusmodi pensiones bonis immobilibus monasterii accenseatur. Nequeunt autem regulares bona immobilia alienare absque sedis Apostolicæ facultate, prout alibi probavimus.

6° At vero potest religiosus cum superioris sui licentia consanguineis suis condonare, seu alias eis dare livelli sui *fructus*. Imo tenent doctores non pauci ad id sufficere generalem licentiam, qua superior religioso permittit ut hosce fructus impendat in suos religiosos usus (vide apud Ferraris, loco cit., n. 73 et 74). Id tamen intelligendum de fructibus qui non ascendant ad magnam summam: alias enim obstarent decreta Clementis VIII et Urbani VIII de largitione munerum. Insuper quoad condonationem fructuum pro *futuris* annis, necessariam esse licentiam summi Pontificis, vide loco citato, in *additionibus ex aliena manu*, n. 12.

7° Nequit religiosus vel monialis ex peculii vel livelli sui pecuniis fundare censum, ut ex ejus fructibus missæ pro ipsius anima post mortem celebrentur (Ferraris, ibid., n. 77).

8° Legatum relictum alicui regulari, sub conditione quod ad ipsum durante vita pertinebit, independenter a superioris licentia, monasterio acquiritur; et dicta conditio pro non adjecta habetur (ibid., n. 83).

9° Quando regulares transeunt ad aliud monasterium vel ad aliam religionem, ipsorum pensiones vitalitiæ seu livella cum eis ad novum monasterium vel novam religionem trans-

Digitized by Google

eunt. Vide cardinalem de Luca (*de Regularibus*, discursu 57, n. 19); necnon cardinalem Petra (tomo 4, ad const. 5 Benedicti XII, sect. 2, n. 60), qui refert ita decisum fuisse a congregatione quadam particulari Cardinalium.

§ IV.

Quænam pœnæ latæ sint in regularem qui proprietarius obiisse deprehenderetur.

« Regulares utriusque sexus deprehensi in morte habere « aliquam proprietatem, debent cum ipsa subterrari extra « monasterium in sterquilinio, in signum suæ damnationis « æternæ...

« Pro regulari mortuo proprietario non sunt offerenda sa- « crificia, nec fieri debent orationes, nec ei danda est sepul- « tura cum aliis fratribus in ecclesia, seu cœmeterio... Si ibi « sepultus fuerit, debet inde exhumari, si sine scandalo id fieri « possit.

« Advertendum tamen est, quod si quis regularis subi- « tanea morte, vel aliter defunctus reperiatur cum crumena « pecuniæ, non est statim sepultura ecclesiastica privandus « et in sterquilinio tumulandus, nisi certo constet certitudine « morali, quod interrogatus a superiore an haberet aliquod « peculium, responderit non habere. Dicta enim pœna tumu- « lationis in sterquilinio non est danda indifferenter omnibus « regularibus cum pecunia decedentibus; sed solum illis qui, « admonitione præmissa, deprehensi et in morte inventi fuerint « cum peculio, *quo noluerint se expropriare.* » (Ita Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 151; qui auctor rem variis auctoritatibus probat.)

Digitized by Google

§ V.

An et quatenus religioso licitum sit donationes facere, testamentum condere, et dona sibi oblata acceptare, vel recusare.

Quæstio Iª. — *An et quatenus religiosus aliquid dare possit?* — 1° Regula generalis est, peccare religiosum contra votum paupertatis, si quid ex rebus ipsi in usum concessis, in alium usum absque licentia expendat, aut culpabiliter amittat vel destruat (vide S. Liguorium, libro 4, c. 1, n. 19). Hæc tamen generalis regula, nonnullas patitur exceptiones : nempe,

2° *Probabile* reputant doctores, posse religiosum absque licentia donare ea, quæ parcius vivendo sibi subtrahit, de rebus ad usum suum concessis. Et tanquam *certum* id asseri potest, si ad religiosi sustentationem certa quantitas assignetur, ita ut nec monasterium teneatur aliud ei præstare, nec ipse rationem reddere (vide apud S. Liguorium, loco cit., n. 23).

3° Religiosis qui, cum debita licentia, extra conventum vivunt, licitum est eleemosynas moderatas facere, ex eis rebus quæ a monasterio, vel aliunde, ipsis ad victum subministrantur (vide ibidem).

4° Permittitur eis succurrere pauperi, magna paupertate laboranti, ex bonis monasterii, quando aditus ad superiorem non patet (S. Liguorius, loco cit.).

5° Item eis permittitur leves donationes facere amicis et consanguineis, in signum gratitudinis vel debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum aliorum amorem erga religionem (ibid.). Id tamen intelligendum intra limites statutos in decretis Clementis VIII et Urbani VIII circa *largitionem munerum*, de quibus decretis infra agitur.

6° « Religiosus sine licentia potest facere donationes remu-« neratorias ex bonis sibi concessis ad usum, quia tales dona-« tiones sunt quasi debiti solutiones... Imo potest plus donare

Digitized by Google

« quam accepit, usque ad excessum quartæ partis; quia pos-
« tulat gratitudo, ut semper plus reddatur quam sit acceptum. »
(S. Liguorius, l. 4, c. 1, n. 21.)

Nota. — Diximus, regulariter loquendo non esse licitum religioso quidquam dare *absque licentia.* Quænam autem licentia requiratur et sufficiat, expenditur infra.

Quæstio IIª. — *An et quatenus regularibus prohibitum sit munera elargiri?* — Jus hac de re desumendum præcipue est ex constitutione *Religiosæ* Clementis VIII, necnon ex decreto *Nuper*, præfatæ constitutionis declarativo, et Urbani VIII jussu edito. Utrumque documentum in extenso reperies apud Ferraris (verbo *Regulares*, art. 1, n. 67). Quid juris sequatur ex iis dispositionibus Clementis VIII, per Urbanum VIII moderatis, summatim nunc exponendum venit.

1° Generatim prohibetur ne ullus regularis ullum munus ulli personæ largiatur, aut mittat, sive per se, sive per alios; et prohibitio comprehendit, tum regulares quoslibet quatenus singulares, tum ipsa capitula et conventus; atque item comprehendit munera etiam de bonis ex livello seu pensione provenientibus, et de quibus libera dispositio religioso relinqueretur.

2° Qui contra illam prohibitionem munera recipiunt a regularibus, tenentur ad restitutionem.

3° A dicta generali prohibitione excipiuntur *leviora esculenta et poculenta :* item *munuscula ad devotionem vel religionem pertinentia.*

4° In decreto Urbani VIII declaratur, *munera a religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis, erga ipsam religionem vel conventum; aliisve causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus; modeste tamen et discrete, et dummodo id non fiat nisi de superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus de jure, vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cujusque religionis respective, in hujusmodi casibus requiratur.*

Digitized by Google

5° Item in decreto Urbani VIII declaratur, consensum conventus a Clemente VIII requisitum pro *levioribus esculentis et poculentis*, necnon *munusculis ad devotionem pertinentibus*, non requiri, nisi alias de jure requiratur, vel concurrat ambitionis suspicio; et insuper quoad hæc non requiri licentiam superioris in scriptis, sed sufficere verbalem.

6° Ex eodem decreto Urbani, in recipiendis benefactoribus, protectoribus vel Ordinariis, non sunt illicitæ compotationes et convivia, nisi quatenus status religiosi decentiæ adversarentur.

7° Restitutio munerum quando facienda est, debet fieri iis conventibus ad quos pertinent munera data seu missa, si commode fieri potest : alias conventui viciniori ejusdem religionis.

8° Qui receperunt munera contra præmissas prohibitiones, in neutro foro absolvi possunt ante factam restitutionem.

9° Regulares autem qui easdem prohibitiones transgrediuntur, ipso facto pœnam incurrunt privationis dignitatum et officiorum, inhabilitatis ad ipsa, et privationem vocis activæ et passivæ.

10° Per dictas sanctiones non prohibetur, sed e contra valde commendatur hospitalitas, præsertim erga pauperes et peregrinos.

11° Regulares non possunt uti livellis seu pensionibus suis vitalitiis, nisi servata forma præfatorum decretorum Clementis VIII et Urbani VIII, prout a S. Congregatione decisum refert Ferraris (verbo *Regulares*, art. 1, n. 70).

Quæstio IIIª. — *An et quatenus possit religiosus aliquid acceptare vel non acceptare?* — 1° Certum est eum non posse renuntiare legatis quæ ipsi obvenerunt; neque mercedibus quæ ipsi pro laboribus ex justitia debentur; quia horum jus monasterio immediate acquiritur; unde iis renuntiando, de bonis monasterii disponeret, ac proinde paupertatis votum violaret (vide S. Liguorium, libro 4, c. 1, n. 20).

2° Potest tamen religiosus absque voti paupertatis læsione, non acceptare munera. Nam votum paupertatis religiosum

Digitized by Google

quidem obligat ad non alienandum acquisita monasterio; non autem ad acquirendum monasterio. Diximus *absque voti paupertatis læsione;* nam si conventus ipsius indigeat, et ipse pecuniam aliudve munus sibi oblatum pro suo conventu, acceptare renuat, procurando, verbi gratia, ut id amicis suis aut consanguineis tribuatur, peccabit contra charitatem erga conventum suum; non tamen contra justitiam (vide S. Liguorium, loco citato, n. 2).

3° Non potest religiosus quidquam acceptare aut sibi absumere absque superiorum licentia. Qualis autem licentia requiratur et sufficiat, et an sufficiat præsumpta, sive ad dandum, sive ad accipiendum, infra expenditur.

Quæstio IVª. — *An et quatenus possit religiosus solemniter professus aliquid per testamentum dare?* — 1° « Regulares pro« fessi, tam superiores quam subditi, nequeunt condere te« stamentum. » (Ferraris, verbo *Regulares*, art. 1, n. 62.) Textus juris vide ibidem. Ratio est, quia religiosus per solemne votum paupertatis factus est cujuslibet dominii incapax; unde repugnat ipsum quidquam habere, de quo per testamentum disponere valeat. Præterea testari est actus dominii seu proprietarii : porro quilibet ejusmodi actus religiosis interdicitur.

2° « Neque regulares testari possunt ad pias causas. » (Ferraris, ibid., n. 63.)

3° « Imo neque de licentia Prælati seu superioris. » (Ibid., n. 64.)

4° « Neque etiamsi ante professionem sibi aliquam summam « suorum bonorum reservassent, cum facultate testandi. » (Ibid., n. 65.)

5° « Quinimo regularibus professis neque licet testamen« tum a se conditum ante professionem, moderare per viam « declarationis. S. Congregatio.., Monacelli... » (Ibid., n. 66.)

6° « Possunt autem regulares professi testamentum a se « factum ante professionem interpretari et declarare, si de-

Digitized by Google

« claratione aut interpretatione egeat. » (Ferraris, verbo *Testamentum*, art. 3, n. 37.)

7° « Si novitius ante professionem testari omittat, succedit « in ejus bona, actiones et jura monasterium, si sit capax bono- « rum : si autem monasterium sit incapax, succedunt consan- « guinei ab intestato. » (Idem, ibid., n. 41.)

8° Si religiosus a superiore licentiam petat aliquid donandi post mortem, et is promittat exequi, tenetur prælatus stare promissis (S. Liguorius, libro 4, c. 1, n. 22).

9° Tradita doctrina, de incapacitate religiosorum ad testandum valide et licite, duas patitur exceptiones, quæ non parvam difficultatem faciunt.

Primo enim certum est, patrem familias, filios habentem, qui ante professionem suam de bonis suis non disposuit, posse ea inter filios distribuere (vide Suaresium, *de Religione*, t. 3, l. 16, n. 2). Porro difficultas est in explicando, quomodo religiosus ille post solemne votum, possit valide actum hunc exerere. Varias hujusce difficultatis solutiones vide apud Suaresium, loco citato, n. 4.

Secundo, tradunt etiam communiter doctores cum Suaresio (loco citato, n. 9), posse testamentum licite et valide fieri a religioso solemniter professo, ex licentia summi Pontificis. Id pariter quomodo intelligendum sit, videri potest apud Suaresium, citato loco.

Quæstio V^a^. — *An et quatenus religiosi, qui simplicia duntaxat vota emisere, valide possint testamentum condere, aliove modo de bonis suis disponere?* — Loquimur de religiosis, qui omnia ad status religiosi essentiam requisita habent, quamvis simplicia solummodo vota emiserint, et consequenter bonorum suorum dominium conservare valeant. Porro certum omnino est ejusmodi religiosos non posse *licite* absque superioris licentia testamentum condere, aut alio quovis modo de bonis suis disponere. At non parva difficultas est, num id possint saltem *valide*.

Hanc difficultatem proponit Suarez quoad Scholasticos so-

Digitized by Google

cietatis Jesu, in hunc modum : « Hic vero interrogabit ali-
« quis ulterius, an licet alienatio facta absque directione
« superioris illicita sit et sacrilega, *valida* nihilominus evadat.
« Cum enim ejusmodi religiosi, de quibus loquimur, domini
« sint et propria voluntate sua bona tribuant, ut supponimus,
« spectato jure naturæ valida est talis donatio. Nullum autem
« est jus positivum, quod illam irritet : nam jura quæ di-
« cunt donationes vel alienationes a religioso factas non esse
« validas, loquuntur juxta antiquum et commune jus, de re-
« ligiosis qui capaces non sunt dominii. Hic autem loquimur
« de religiosis habentibus aliqua bona de quibus possint dis-
« ponere... Nullum autem invenitur jus speciale societatis,
« quo talis alienatio irritetur. Ergo retinet valorem quem habet
« jure naturæ.

« In contrarium autem est, quia religiosus non est sui juris,
« neque habet velle neque nolle. Hi autem sunt veri religiosi;
« et quoad hanc partem tam perfecte subjecti, et alieni juris,
« per votum obedientiæ, ac quilibet alii religiosi. Ergo licet
« dominium habeant, non habent voluntatem sufficientem ad
« transferendum illud. Propter quam rationem, partem hanc
« amplexus est Ludovicus Molina... Hinc etiam colligit testa-
« mentum factum ab hujusmodi religiosis sine licentia sui
« superioris nullum esse. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 10,
l. 4, c. 6, n. 11.)

Sic expositis pro et contra rationibus, sententiam suam subjungit laudatus auctor : « Nihilominus (inquit) ego existimo
« hujusmodi alienationes vel dispositiones ab his religiosis
« factas de propriis bonis sine licentia superioris, non esse
« nullas ipso facto, sed validas : infirmas tamen, et irritabiles
« per voluntatem superioris. » (Ibid., n. 12.)

Quod sint *validæ*, concludit Suarez ex rationibus, pro sententia valorem affirmante modo transcriptis. Quod autem sint per superiorem *irritabiles*, evinci putat rationibus sententiæ oppositæ. Et in confirmationem adducit exemplum de voto a

Digitized by Google

religiosis emisso; quod quidem per se non est irritum, sed tamen voluntate superioris irritari potest.

Si vera sit hæc Suaresii doctrina, extendenda est ad religiosos et moniales omnes earum congregationum, in quibus reperitur cum votis simplicibus status religiosi essentia. Quoad hoc ejusdem conditionis sunt ac scolastici societatis Jesu; et cæteroquin rationes omnes quibus nititur Suarez in dictarum etiam congregationum religiosis applicationem habent.

§ VI.

An sufficiat superiorum licentia tacita aut etiam præsumpta, ut religiosus licite aliquid accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet vel commodet.

Supponimus rem de iis esse, quæ certo licita erit, modo accedat sufficiens superioris licentia. De licentia autem *expressa* nulla est difficultas, quia hæc certe sufficiens erit. Sed fieri potest ut religiosus, etsi non habens expressam prælati sui licentiam, habeat tamen tacitam vel præsumptam. *Tacita* dicitur, quando prælatus sciens a religioso aliquid accipi, retineri, vel dari, non prohibet, quamvis facile prohibere possit: tum enim superior tacite consentire censetur. *Præsumpta* vero, quando præsumitur ex circumstantiis et notis prælati dispositionibus, ipsum vel hic et nunc consentire, vel consensurum si rogaretur. Porro de utraque hac posteriore licentia quæstio movetur, an sufficiat.

I. Sufficit licentia *tacita*, id est, silentium superioris scientis et non prohibentis, cum facile prohibere posset. Ita doctores communiter (vide S. Liguorium, libro 4, c. 1, n. 17). Cavendum tamen est, ut verificetur conditio hæc, *quod superior facile prohibere possit*. Nam si dissimulet ne majora eveniant mala, conventus (verbi gratia) perturbationes, et murmurationes, immerito consensus ex silentio concludetur.

Digitized by Google

II. Sufficit etiam licentia *præsumpta de præsenti;* quando scilicet merito præsumitur superiorem *hic et nunc*, virtualiter saltem, consentire. Et hoc etiam admittunt doctores communiter (vide S. Liguorium, loco citato, n. 18).

III. An autem sufficiat licentia præsumpta *de futuro*, qua scilicet præsumitur superior *concessurus si rogaretur*, controvertitur, sed dicendum cum S. Liguorio, et istam ad liceitatem sufficere (vide ejus rationes, loco citato).

§ VII.

Quænam quantitas requiratur ad peccatum mortale contra paupertatis votum.

« Ex Navarro, Azor, Palaus, Sanchez assignant pro mate-
« ria gravi quatuor argenteos; plus vero conventibus pingui-
« bus; et adhuc plus, si res non sit ex pecuniis, sed ex vesti-
« bus, libris et similibus. Cardinalis de Lugo (*de Justitia*,
« d. 3, n. 173) pro conventibus mediocriter opulentis assignat
« septem vel octo argenteos, si accipiantur a religioso ex de-
« stinatis ad ejus usum : et plus, si res surripiatur ad usum
« proprium et remaneat in communitate. Si vero res surri-
« piatur ex rebus communibus monasterii et detur extraneis,
« putat sex argenteos esse materiam gravem. Plus tamen
« requirunt Ledesma et Cenedo... ; nam censent non esse
« mortale accipere 8 vel 9 argenteos, ex rebus quæ usu non
« consumuntur, modo id non plusquam semel aut bis fiat in
« anno. Alii, ut Sotus et Rodriguez..., dicunt requiri ad mate-
« riam gravem duos aureos. Alii demum quoad gravitatem
« materiæ putant idem dicendum esse de furtis religiosorum,
« quod dicitur de furtis filiorum. » (S. Liguorius, libro 4, c. 1, n. 24.) Hanc ultimam opinionem habet S. Liguorius tanquam probabilius falsam. Consentiunt autem doctores multo plus requiri ad materiam gravem quando religiosus donat alteri religioso, quam si det extraneo.

Digitized by Google

« quæ non recusant in communi proprietatem horum mobi-
« lium, ut de domibus societatis (Jesu) professæ suo loco
« dicemus... Religio autem Minorum hunc singularem modum
« paupertatis se profiteri dicit (1). » (*De Religione*, tom. 3, l. 8, c. 17, n. 6.)

Quæstio IVᵃ. — *An incapacitas dictarum religionum immobilia possidendi excludat etiam fundationes et annuos redditus pro expensis divini cultus, verbi gratia, pro luminari, ecclesiæ reparatione, paramentis et similibus?* — Respondendum negative (vide Suaresium, *de Relig.*, tom. 3, l. 8, c. 17, n. 27). Ratio est quia tunc proprietas harum fundationum et redditum non acquiritur nomine regularium, sed nomine ecclesiæ ipsorum; et quamvis religiosi actionem habeant ad ea exigenda, non tamen illam habent tanquam domini, sed tanquam ecclesiæ suæ œconomi. Sed inde sequitur non posse redditus illos ad ipsorum sustentationem converti.

Quæstio Vᵃ. — *Ex eo quod Minores de Observantia et Capuccini sint incapaces legatorum seu censuum annuorum, an sequatur irritum esse legatum annuum, ipsis pro sustentatione relictum, et an possit hæres in conscientia illud non solvere?* 1° Certum est, et pluries fuit decisum, dictos regulares non esse incapaces hujusmodi legata recipiendi *per modum eleemosynæ*. Id fuse ingenti documentorum copia probat Ferraris (verbo *Legatum*, n. 95 et seq.). 2° Dicti regulares, neque per se, neque per suos syndicos aut alios quoslibet possunt eas annuas præstationes seu legata exigere, aut coram ullo judice pro iis impetrandis agere; et si secus agant excommunicationem ipso facto incurrunt. 3° Legatum non est irritum, nec potest hæres in conscientia non solvere. 4° Si nolit dictis regularibus sponte, per modum eleemosynæ, illas præstationes erogare, ad fabricam S. Petri (ob facultates ipsi a Romanis Pontificibus tributas) devolvuntur; quæ per se vel ministros

(1) Nempe profitentur Minores et Capuccini, se non habere proprietatem, etiam in communi, bonorum mobilium, quibus utuntur, sed duntaxat merum usum.

Digitized by Google

suos solutionem judicialiter exigere potest, nisi summus Pontifex aliter de eis disposuerit. 5° Quando aliquod ejusmodi legatum annuum dictis fratribus relinquitur, debent protestationem emittere, qua hæredem moneant, se jus nullum habere ad illud exigendum; accepturos tamen titulo eleemosynæ, si hoc modo erogare ipsi placuerit. 6° Si forte legatum relictum sit cum aliquo missarum aut suffragiorum onere, in protestatione addi debet, non acceptari a fratribus ullam ex justitia obligationem : se quidem velle quoad eas missas seu suffragia piam testatoris intentionem explere, sed non quatenus ullo justitiæ titulo ad id obligati (de his vide Lucium Ferraris, tum verbo *Legatum*, n. 95 ; tum verbo *Votum*, art. 2, n. 71 et seq. ; ubi etiam reperies dictæ protestationis formulam; necnon variis decisionibus solutas multas hac de re difficultates).

Quæstio VI^a^. — *Quo sensu Minoribus et Capuccinis prohibitum sit pecuniam habere, atque etiam manu tangere?* — Sic habetur in constitutione *Sollicitudo*, § 4 : « Aliarum enim « rerum necessariarum fratres Minores de corpore Obser- « vantiæ hujusmodi habere usum licet, non dominium : de- « nariorum autem nec dominium, nec usum : et proinde « quævis contrectatio pecuniæ seu denariorum, quæ non sit « pure naturalis, seu quæ sit quovismodo politica, cujuscunque « domini sint denarii seu pecunia, fratribus Minoribus de Ob- « servantia est omnino prohibita. »

Hinc nequeunt dicti religiosi ullius monetæ eleemosynam recipere ; sed si quis velit pecuniam eis in eleemosynam erogare, debent remitti ad ipsorum syndicum, qui eam in ipsorum usus impendendam recipiet. Cæteras autem eleemosynas per seipsos dicti regulares recipere possunt.

Intelligitur autem contrectatio pecuniæ *politica et civilis*, quæ fit ad pecuniam in usus expendendam seu permutandam. Non autem quæ fit curiositatis gratia, ad discernendam effigiem, v. g. ; aut quæ fit ad deferendum creditori restitutam a pœnitente summam aliquam. Cæterum dictis regularibus

Digitized by Google

neque in suis ecclesiis permittitur pecunias in eleemosynam petere aut recipere; imo nec truncos aut capsas habere in ecclesia aut sacristia, in quibus pecuniæ deponantur, etiamsi non regulares, sed syndicus clavem haberet (vide apud Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 131 et seq.).

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM EX VOTO CASTITATIS.

« Castitas religiosa est votum, quo religiosus in aliqua reli-
« gione a sancta Sede approbata sibi interdicit omnem delecta-
« tionem voluntariam veneream, tam internam quam externam.
« Est in re communis.

« Unde per votum castitatis obligantur regulares se absti-
« nere ab omni actu venereo tam interno quam externo, qua-
« liscunque ille sit; ut a turpibus cogitationibus, delectationi-
« bus morosis, consensu; ac etiam ab actibus externis, ut ab
« aspectu, locutione, tactu et similibus cum feminis (commu-
« nis). Et ratio est, quia votum castitatis est nova obligatio
« quam sibi regulares imponunt supra obligationem juris natu-
« ralis et divini : jus autem naturale et divinum prohibet supra-
« dicta omnia extra conjugium.

« Hinc castitas quæ ante votum ad solam virtutem tempe-
« rantiæ pertinebat, post votum emissum pertinet etiam ad vir-
« tutem religionis; et sic violatio castitatis in regularibus du-
« plicem habet malitiam specificam, in confessione necessario
« declarandam; nempe malitiam luxuriæ contra castitatem, et
« sacrilegii contra religionem. Communis. » (Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 157 et seq.)

Votum *solemne* castitatis irritat sponsalia, necnon matrimonium postea contractum, atque etiam matrimonium jam contractum sed non consummatum. Et notetur discrimen cum voto castitatis in susceptione sacrorum ordinum : nam

Digitized by Google

hoc posterius irritat quidem sponsalia et matrimonium postea contractum; at non irritat matrimonium antea contractum, licet non consummatum.

Votum *simplex* castitatis, de jure communi, non irritat matrimonium sive antea sive postea contractum. Dicimus *de jure communi*, quia potest summus Pontifex decernere ut votum simplex castitatis matrimonium dirimat perinde ac si foret solemne. Et ita revera statutum est quoad vota simplicia scholasticorum societatis Jesu.

Qui *simplex* votum castitatis emisit, etsi valide, non tamen licite matrimonium contrahere potest. Unde si contrahat, peccat mortaliter, et licet debitum reddere debeat, non tamen potest petere, nisi dispensationem a suo voto aut commutationem obtinuerit.

« Per votum *simplex* perpetuæ castitatis, non dissolvuntur « sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. » (Ferraris, loco cit., n. 163.)

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS REGULARIUM EX VOTO OBEDIENTIÆ (REMISSIVE).

Cum obediendi obligatio potestati præcipiendi correlativa sit, conjunctim de utraque disserere solent doctores. Quod et nos facimus. Etenim supra (sectione 1, capite 3) dum potestatem dominativam intra religiosos ordines existentem describimus, simul expendimus, qualiter et quibus in materiis ex vi voti obedientiæ teneantur regulares præcipientibus superioribus suis obedire. De obligatione autem regulam servandi infra disserimus. Unde pauca hic adnotanda remanent. Cum nempe in dictis locis loquamur solummodo de obedientia, quam *necessariam* vocant, id est, quæ sine peccato omitti nequit, visum est hic nonnulla cursim adnotare de obedientia quæ *perfecta* dicitur.

Digitized by Google

I. *Quanta sit religiosæ obedientiæ excellentia.* — « Inter tria « substantialia regularium vota, obedientia primatum tenet. » (Ferraris, verbo *Votum*, art. 2, n. 9.) Unde Joannes XXII (extrav. *Quorumdam* 1, *de Verborum signif.*) : *Magna quidem paupertas ; sed major integritas : horum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo.*

II. *De solita distinctione obedientiæ in necessariam et perfectam.* — « Divus Thomas (2, 2, q. 104, art. 5, ad 3) triplicem « religiosorum obedientiam distinguit : necessariam, perfe- « ctam, indiscretam. Hæc tertia est quæ ad illicita extenditur. « Perfecta, quæ ad omnia licita, etiamsi non cadant sub « obligationem. Necessaria vero, quæ ad votum pertinet. » (Suarez, *de Religione*, tomo 3, l. 10, c. 8, n. 5.)

III. *Quid ex parte voluntatis requiratur ad obedientiam necessariam ; et quid ad obedientiam perfectam ?* — 1° Ad obedientiam necessariam, seu ad voti impletionem, requiritur et sufficit ut religiosus rem sibi injunctam velit exequi et exequatur. Non enim aliud vovit quam legitima superioris præcepta exequi. 2° Ad perfectionem vero obedientiæ non sufficit quilibet exequendi modus ; sed requiritur in exequendo alacritas, et affectus voluntatis, tum in rem quatenus injunctam, tum in superiorem quatenus eam præcipientem. Etenim potest religiosus voluntatis suæ repugnantiam sufficienter vincere ut rem injunctam exequatur, et simul hanc imperfectam et periculosam voluntatis dispositionem non omnino abjicere. Talis porro voluntatis repugnantia obedientiæ perfectioni adversatur. Nec dicatur in arbitrio religiosi non esse ut hanc repugnantiam non sentiat et experiatur. Non enim loquimur de hac repugnantia quatenus sentitur, sed quatenus libere ei ex parte consentitur. Cæterum repugnantia cui viriliter religiosus obnititur, obedientiæ meritum auget.

IV. *Quo sensu bonum sit, et ad obedientiæ perfectionem necessarium, ut religiosus in superiore suo Deum consideret, eique*

Digitized by Google

ut Deo obediat. — Frequenter a sanctis Patribus, necnon in religiosarum familiarum regulis et constitutionibus commendatur, ut religiosi superiorem loco Domini nostri Jesu Christi agnoscant, ejusque voci, perinde ac si a Christo ipso emitteretur, obsequantur. Id quo sensu dictum sit, ac intelligi debeat, fuse expendit Suarez (*de Religione*, tomo 4, tractatu 10, l. 4, c. 15). Sic autem breviter exponi potest :

1° Dicta commendatio intelligenda non est in eo sensu, quod religiosus existimare debeat, superiorem suum revera Deum esse. Id non minus stolidum quam impium et falsum foret.

2° Neque intelligenda est in eo sensu, quod religiosus sibi persuadere debeat et pro certo tenere, superiorem suum esse infallibilem, nec posse aliquid malum aut nocivum ab illo præcipi. Nam id religioso commendare, esset ipsum hortari ut aliquid falsum admitteret. Imo nec potest religiosus id sibi persuadere, cum sciat certum esse contrarium.

3° Quando religiosis commendatur ut Deum in superiore agnoscant, eique tanquam Deo obediant, ipsis commendatur solummodo, ut attendant motivum obediendi superiori suo, esse ipsammet voluntatem divinam : ipsis nempe commendatur ut propter hanc divinam voluntatem superiori suo obediant.

4° Juxta hunc posteriorem sensum, agnoscere Deum in superiore, nihil erroneum involvit ; cum verissimum sit velle Deum a religioso præstari quod ipsius superior ei legitime præcipit.

5° Agnoscere autem dictam divinam voluntatem, et propter illam prælato obedire, ad obedientiæ perfectionem omnino necessarium est. Si enim religiosus obediat, ut superiori placeat, aut etiam ut pœnam alias ab ipso infligendam devitet, vel ob alias ejusmodi humanas rationes, valde imperfecta erit obedientia, ut patet. Dicimus *ad obedientiæ perfectionem :* nam ad obligationem voti quod attinet, ei satisfacit religiosus rem injunctam exequendo, etiamsi ex humano tantum motivo agat. Mirum ergo non est adeo vehementer religiosis commendari,

Digitized by Google

ut divinam voluntatem in superioris præcepto agnoscant, attendant, et pro motivo agendi habeant. Profecto religiosi qui hoc modo obedire non conantur nec assuescunt, ad obediendiæ perfectionem non tendunt.

V. *Quo sensu obedientia cæca bona sit, et ad obedientiæ perfectionem requiratur.* — Frequens etiam est sanctis Patribus cæcam obedientiam religiosis commendare. Sicut nempe cæcus, non suis, sed alienis oculis dirigitur, et duci se sinit, ita religiosis suadent, ut proprii intellectus et judicii dictamen abnegantes, superioris judicium semper sequantur. De quo hæc adnotanda veniunt :

1° Obedientia cæca a Patribus et Sanctis tantopere commendata, non ita intelligenda est, ut religiosus debeat sese privare omni actu intellectus et judicii, circa liceitatem, aut etiam opportunitatem rei præceptæ. Nam fieri potest ut a superiore injungatur res illicita ; atque ut id clare religiosus percipiat. Porro in hoc casu, proprii judicii dictamen rejicere et rem illicitam patrare, non perfectio, sed peccatum foret. Item contingere potest ut subditus certo percipiat rem injunctam, etsi non illicitam, monasterio tamen minus utilem esse : porro quando quis aliquid percipit, in ipsius arbitrio non est non percipere. Proinde tunc ad perfectionem obedientiæ requirere ut non percipiat, esset requirere impossibile.

5° Obedientia cæca a Sanctis commendata intelligenda non est in eo sensu, quod debeat subditus superiorem suum infallibilem credere, atque omnia ipsius judicia tanquam certo vera admittere : cum enim contingere possit ut superior jubeat illicita, et erret in judicando, talis obedientia involveret errorem, imo et consensum ad illicita.

3° In praxi casus rarus est, ut subditus *cum certitudine percipiat* rem a superiore injunctam esse illicitam. Item raro contingit ut *certo percipiat* subditus errare superiorem suum, dum hanc vel illam administrativam dispositionem utilem existimat; quia ut hanc certitudinem haberet subditus, deberent ei rationes omnes quibus moveri potest supe-

Digitized by Google

rior innotescere : quam notitiam raro in praxi habet subditus.

4° Obedientia cæca a Sanctis commendata in eo consistit, ut subditus, quoties agitur de re licita, et *non percipit cum evidentia* eam irrationabiliter injungi, abstineat a judicio sive externo sive interno, quo pronuntiaret irrationabilem esse superioris injunctionem : præterea ut abstineat ab inquirendis causis et rationibus præcepti. Quod tunc subditus non pronuntiet sive externe sive interne superiorem irrationabiliter præcipere, est quid ei omnino possibile, siquidem, ex hypothesi, non ei evidens est ista irrationabilitas : imo si eam pronuntiet, temerarium ipsius judicium erit. Item ei possibile est abstinere a curiosa indagatione rationum, quibus moveri potuit superior, ut patet. Aliunde autem is modus agendi de se obedientiam reddit magis expeditam, et tentationes non obediendi magis arcet : ergo ad obedientiæ perfectionem pertinere censenda est obedientia cæca, sic intellecta. Et sic patet quomodo obedientia hæc, non tantum sit licita, sed etiam summe prudens, et oculatissima, quamvis cæca dicatur.

5° Ex dictis patet quomodo ad obedientiæ perfectionem pertineat *judicium suum superioris judicio conformare.* Ubi nempe non agitur de rebus illicitis, et extra casum *evidentis* irrationabilitatis, hoc ipso quod inferior abstineat a pronuntianda etiam interne illa irrationabilitate, nullum habet judicium superioris sui judicio contrarium.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONE RELIGIOSORUM SERVANDI REGULAM.

Dicemus 1° quid nomine regulæ veniat intelligendum; 2° an et quatenus regula obliget *per se*, id est, abstrahendo ab adjunctis, quæ violationem regulæ peccaminosam reddere possunt; 3° an et quatenus regula obliget ratione adjunctorum.

Digitized by Google

§ I.

Quid nomine regulæ intelligendum sit.

1° Ut religiosi ad recte et perfecte agendum et vivendum dirigantur, scribi solent atque ipsis observandæ proponi nonnullæ ordinationes, quæ *regularum* nomine designari solent. Invaluit etiam usus, ut tota ejusmodi ordinationum, alicui ordini religioso propriarum, collectio, hujus ordinis *regula* dicatur.

2° Contigit autem ut plures religiosæ familiæ, traditam olim ab aliquo sancto fundatore regulam amplexantes, alia ei statuta, pro speciali suo fine, sub *constitutionum* vocabulo addiderint. Porro in hisce ordinibus, vox *regula* in strictiori quodam sensu accipitur; siquidem designat solummodo priscas leges ab antiquo illo fundatore conditas; non autem cæteras, sub nomine constitutionum adjectas. Atque in hoc strictiori sensu quatuor duntaxat enumerari solent regulæ : nempe sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci. Sub unaquaque ex istis regulis militant quamplures religiosæ familiæ; quæ, dum eamdem regulam profitentur, variis inter se constitutionibus differunt. Nimirum sancti Benedicti regulæ accensentur fere omnes monachales ordines; quales sunt, verbi gratia, Benedictini (qui in jure monachi nigri appellantur), Cistercienses, Camaldulenses, et plures militares ordines; non tamen Carthusiani, qui proprias constitutiones habent pro regula. Sub divi Basilii regula militant fere omnes Orientis monachi. Augustini autem regulam pro sua habent omnes canonici regulares, Eremitæ, Augustiniani, Dominicani, et plures alii. Ad sancti Francisci regulam quod attinet, pluribus etiam religiosis familiis communis facta est. Harum præcipuæ sunt, Minores de Observantia, Conventuales, et Capuccini; quæ sub distinctis superioribus generalibus proprias etiam habent constitutiones.

Digitized by Google

3° Sunt et ordines qui licet conditam ab aliquo antiquo fundatore regulam non sibi imposuerint, sua tamen statuta in *regulas* et *constitutiones* distinguunt; qualis est, verbi gratia, societas Jesu. Sed distinctio hæc potius conventionalis est, quam in re fundata. Potuissent enim omnia statuta hæc, vel sub solo constitutionum, vel sub solo regularum nomine comprehendi.

4° Relative ad præsentem quæstionem, de obligatione ex regula exurgente, ad hanc regularum et constitutionum distinctionem non attenditur, sed vox *regula* de omnibus simul regulis et constitutionibus uniuscujusque ordinis intelligitur. Quia nempe quæstio, an et quatenus regulæ obligent, eadem est quoad constitutiones (vide circa notiones illas Suaresium *de Religione*, tomo 4, libro 1, cap. 1).

§ II.

An et quatenus regula obliget per se, seu abstrahendo ab adjunctis.

Non loquimur hic de variis legibus quas summi Pontifices quoad religiosos sanxerunt, et quæ habentur tum in corpore juris, tum extra in constitutionibus et decretis Pontificiis. Haud dubium quin regulæ seu leges illæ religiosos ligent. Sed agimus in præsenti de illa collectione ordinationum, quæ sive a fundatore, sive a capitulo generali statutæ sunt, et sub *regulæ* vocabulo designari solent. Quo prænotato, sit

Propositio I^a^. — *Regulæ non sunt mera consilia; sed habent aliquatenus rationem legis; ac proinde aliquatenus obligant.* — « Regula religiosa, inquit Suarez (*de Relig.*, tom. 4, tractatu 8, « l. 1, c. 2, n. 2), non est merum consilium; quia præter « illam sunt multa alia quæ ex consilio possunt religiosi... ; « et nihilominus religiosus omittens alia consilia supra suam « regulam, non censetur deesse suo muneri et statui : si « autem suam regulam prætermittat, deficere censetur a

Digitized by Google

« sua obligatione. Ergo talis regula respectu illius plus est « quam consilium. Ergo necessitatem aliquam imponit. »

Propositio IIª. — *Dari potest regula quæ obliget sub mortali, et regula quæ obliget sub veniali, et regula quæ obliget solummodo ad pœnam (remissive).* — Vide id probatum a Suaresio (*de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 2, n. 3 et seq.).

Propositio IIIª. — *Regula non obligat vi voti obedientiæ, nisi forte id in ea clare exprimatur.* — « Advertendum votum « obedientiæ non obligare immediate ad servandam regulam, « nisi regula ipsa verbis satis expressis exigat voti obligatio- « nem. Et ideo non recte censent qui putant regulam reli- « giosam ex genere suo obligare ad mortale : quod senserunt « Henricus et alii, ex illo fundamento quod voti obligatio ex « genere suo obligat sub mortali, et obligatio regulæ est « obligatio voti. Falsum est autem hoc fundamentum, quia « votum non obligat ad servandum regulam, sed ad obedien- « dum secundum regulam. Et ideo propria obligatio regulæ « ut sic, non ex voto obedientiæ, sed ex propria ratione legis, « et ex principiis ejus, est colligenda. » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, l. 1, c. 2, n. 7.)

Propositio IVª. — *Quando in regula expresse dicitur eam obligare quantum potest, ejus violatio erit peccatum mortale si materia sit gravis : veniale, si materia sit levis.* « Quatuor... « modis potest se habere... aliqua regula vel institutum « religionis : *primo*, ut in eo distincte explicetur, mentem « religionis esse obligare in vi præcepti quantum potest, « juxta uniuscujusque materiæ capacitatem : *secundo*, ut « explicet eodem modo obligare ad veniale tantum, et nun- « quam ad mortale ex vi regulæ... : *tertio*, ut eodem expresso « modo explicetur in regula, non obligare in conscientia ad « aliquam culpam etiam venialem, sed solum reddere trans- « gressoreni reum pœnæ : *quarto*, ut nihil horum in regula « declaretur; sed absolute feratur, ordinando, statuendo aut « præcipiendo quæ agenda sunt. » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 2 n. 8.)

Digitized by Google

Jam vero in primo casu, quando nempe expresse dicitur regulam obligare quantum potest, certum est ei non deesse vim præcepti, a legitima auctoritate lati, cum intentione obligandi quantum potest. Porro præceptum sic latum obligat sub gravi vel sub levi, prout materia gravis vel levis est.

Propositio V^a^. — *Regula obligat sub veniali tantum, si hoc in ea expresse declaretur.* — Tunc enim legem seu præceptum ferens intentionem non habet majorem inducendi obligationem. Obligatio autem ex vi legis seu præcepti exurgens, major esse nequit, quam vult auctoritas præcipiens seu legem ferens. Id tamen non impedit quin regulæ alicujus violatio possit esse peccatum grave; quando, verbi gratia, hujus regulæ materia, est simul materia voti; aut ex aliis adjunctis, ut infra dicetur. Id tunc erit peccatum grave, non quatenus violatio regulæ, sed quatenus violatio alicujus præcepti, ab ipsa regula diversi.

Dum autem dicitur regulam tunc obligare sub veniali, id intelligendum est de iis regulæ dispositionibus, quæ *per modum præcepti* statuuntur; non autem de iis quæ *per modum consilii* regulæ quandoque inseruntur (vide Suaresium, *de Religione*, t. 4, tractatu 8, l. 1, c. 2, n. 11).

Propositio VI^a^. — *Regula, per se, ne sub veniali quidem obligat, si hoc in ipsa declaretur.* — Patet ex dictis. Nec objiciatur tunc regulam nihil aliud esse quam merum consilium, quod supra falsum diximus : nam in hoc casu potest superior infractionem punire ; et injunctam pœnam explere tenetur violator, etiam in conscientia. Unde etiam tunc rationem legis aliquatenus retinet regula (vide Suaresium, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 1, c. 2, n. 13).

Dicimus *per se*, quia *ex adjunctis* peccaminosa esse potest violatio regulæ, quamvis nullatenus in conscientia obliget. Sed tunc peccatum orietur, non ex ipsa violatione regulæ, sed ex violatione alicujus præcepti, a regula distincti, prout mox exponetur.

Propositio VII^a^. — *Quando silet regula circa obligationem*

Digitized by Google

ex ipsa exurgentem, num obliget sub gravi (*accedente materiæ gravitate*), *num sub levi tantum, num denique nullatenus sub culpa liget, controvertitur : anteponenda opinio quæ tenet, regulam tunc sub gravi non obligare; et an obliget sub levi, dignoscendum esse ex circumstantiis, ex recepta præsertim apud unamquamque religionem interpretatione.* — Vide hæc discussa apud Suaresium (*de Religione,* tomo 4, tractatu 8, l. 1, c. 3).

Ex dictis patet quomodo stare simul possint hæc duo : aliquam regulam non obligare sub ullo peccato, et tamen non esse merum consilium. Tunc enim qui regulam violat, puniri potest a superiore, et in subeunda pœna tenetur in conscientia sese subjicere. E contra quando religiosus omittit aliquod consilium quod non est de regula, ob eam omissionem puniri nequit, nec teneretur pœnæ, ob id a superiore injunctæ, sese subjicere, quia superior potestatem suam excederet.

§ III.

An et quatenus regula obliget ex adjunctis.

Adjuncta quæ peccaminosam reddere possunt violationem regulæ, etiam sub veniali non obligantis, sunt sequentia : 1° si violatio fiat ex contemptu : 2° si annexum habeat periculum proximum labendi in peccatum mortale : 3° si damnum inferat religiosæ disciplinæ : 4° si secum trahat violationem voti : 5° si religiosum exponat expulsioni : 6° si secum trahat violationem præcepti tendendi ad perfectionem. An et quatenus ratione horum adjunctorum peccatum sit regulam violare, sequentibus quæstionibus expenditur.

Quæstio Iª. — *An et quatenus violatio regulæ evadat peccaminosa, ratione contemptus?* — Quamvis regula non obliget sub gravi, imo quamvis neque sub levi obliget, graviter peccaminosam esse posse ejus violationem, si fiat *ex contemptu*, tradunt

Digitized by Google

doctores communiter. Quisnam autem sit ille contemptus graviter peccaminosus, potest sic breviter determinari.

1° Si religiosus nolit regulam exequi, aut superiori suo præcipienti obedire, ex contemptu ipsius superioris, id est, ut ostendat superiorem a se despici et pro nihilo haberi, graviter peccat ob pravam illam intentionem; « quæ sine dubio « (inquit Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 4, « n. 22) est peccatum mortale ex genere suo. » Et ita tenent doctores unanimiter.

2° Si religiosus regulam servare nolit ex odio aut ira contra suam religionem vel personas ejus, gravis peccati reus censendus est. Nimirum « tunc transgressio minimæ regulæ hac « intentione facta esset peccatum mortale. » (Suarez, loco cit.)

3° Quamvis regula non obliget sub ullo peccato, si religiosus intentionem habeat non tantum illam negligendi, sed etiam resistendi prælato suo, pœnas imponenti, et quantumvis præcipienti, procul dubio is modus prælatum contemnendi graviter peccaminosus est. « Tum quia habet dispositionem directe « contrariam voto obedientiæ, tum etiam quia resistit regulæ, « non tantum ut mera lex pœnalis est, sed etiam ut resolvitur « in obligationem conscientiæ, ex suo genere gravem, scilicet « non resistendi prælato jure suo utenti, et observationem re- « gulæ procuranti. » (Suarez, loco cit., n. 13.)

4° Ex eo quod religiosus frequenter regulam violet, imo et intentionem habeat eam frequenter violandi, non sequitur eum peccare *ex contemptu*. Nam potest ita agere et esse dispositus, ex concupiscentia frenum regulæ aversante, seu ex quadam magna desidia et negligentia; et simul fieri potest ut talis religiosus maximi faciat, tum ipsas regulas, tum superiores suos et religionem in qua professus est. Proinde fieri potest ut hæc agendi ratio nequaquam sit conjuncta cum contemptu. An autem peccaminosa sit ob alia adjuncta, patebit ex infra dicendis.

5° Si religiosus proponat *nunquam* regulam servare, vix fieri

Digitized by Google

potest ut non peccet ex contemptu. « Si tamen quis (ait Suarez) non solum intendat non esse sollicitus in observatione « regulæ, sed etiam *nunquam illam servare, quamvis facile « possit*, dispositio hæc vel est peccatum mortale, vel certe « magna dispositio ad illud, et vix sine formali contemptu « haberi potest. » (*De Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 1, c. 4, n. 23.)

Quæstio IIª. — *An et quatenus violatio regulæ evadat peccaminosa, ratione periculi proximi labendi in peccatum mortale?* — 1° Etiamsi aliqua regulæ præscriptio non obliget sub gravi, imo nec sub levi, si religiosus experimento sciat sibi instare ex ejus violatione proximum peccati mortalis periculum, procul dubio peccabit mortaliter, si eam transgrediatur. Sequitur ex principio certissimo et ab omnibus admisso, graviter eum delinquere, qui sciens sese proximæ graviter peccandi occasioni exponit.

2° Si regulæ obligent sub veniali, et religiosus intentionem habeat eas ordinarie prætergrediendi, peccat graviter ob proximum periculum labendi in lethalia. Quod sic exponit Suarez : « Si supponatur regula obligans sub veniali, intentio « frangendi illam, est virtualis intentio se disponendi ad gra« viorem lapsum, non tantum remote, sed etiam proxime : quia « licet unum vel aliud veniale sit tantum dispositio remota, « tamen frequentia illorum, et præsertim cum deliberatione « negligendi illa, facile esse potest proxima dispositio ad mor« tale. Sed circa hanc partem advertere oportet raro aut nun« quam peccari mortaliter ob hujusmodi periculum, nisi in « particulari materia et specie peccati mortalis illud periculum « versetur, et aliqua certa ratione et experimento constet ex « remisso modo vivendi in observatione talis regulæ sequi illud « periculum. » (Suarez, loco cit., n. 18.)

Quæstio IIIª. — *An et quatenus peccaminosa sit regulæ violatio, ex eo quod religioni damnum inferat?* — Etiamsi regula non obliget sub peccato, certum est ex notabili et frequenti ejus violatione posse grave damnum religionis emergere. Item

Digitized by Google

certum est teneri religiosum ita vivere, ut damnum religioni non inferat. Quod sic exprimit Sanchez (*In decalogum*, l. 6, c. 4, n. 17) : « Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere, « ut non sit graviter suæ religioni perniciosus, inducendo alios « suo pravo exemplo ad nimis relaxandam regulam ; ut esset, si « nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modeste in- « cedere, et ingrederetur omnium religiosorum cubicula, et « similia religionis statuta transgrederetur. » Porro ex hoc principio, quod omnino admittendum videtur, solvi potest proposita quæstio in hunc modum :

1° Si religiosus ita frequenter et ex consuetudine regulas transgrediatur, ut religioni grave damnum inferat, peccat mortaliter. Et hoc verum est etiamsi regula sub peccato per se non obliget. Quandonam autem graviter religioni noxia sit ejusmodi religiosorum agendi ratio, pendet ex circumstantiis, nec nisi ex viri prudentis judicio determinari potest.

2° Si præfatæ transgressiones leve damnum religioni inferant, erunt ex titulo hujus damni leviter culpabiles.

3° Tandem si nullum afferant damnum, nullatenus erunt, ex hoc saltem capite, culpabiles. Sunt autem regulæ quæ violari possunt quin ullum in religionem damnum redundet. Sit in exemplum regula, quæ societatis Jesu religiosis prohibet, ne ultra duas horas intermisse lectioni aut scriptioni incumbant. Potest religiosus præscriptionem hanc transgredi, quin id cæteri resciant, et sic inde nulla sequetur disciplinæ relaxatio. Cumque aliunde in dicta societate regulæ sub peccato per se non obligent, prorsus innoxia esse poterit hujus præscriptionis violatio, imo et intentio illam frequenter violandi.

Quæstio IVª. — *An et quatenus peccaminosa sit violatio regulæ, ex eo quod secum trahat voti alicujus violationem?* — Potest materia alicujus regulæ esse simul materia voti ; talis, verbi gratia, foret regula qua prohiberentur religiosi quidquam de rebus monasterii extraneis donare, absque superioris licentia ; quia ejusmodi donatio simul est ratione voti paupertatis prohibita. Tunc vero violare regulam idem est ac violare

Digitized by Google

votum, ut patet. Atque per illam violationem graviter vel leviter delinquitur, prout gravis est vel levis violatio voti.

Quæstio Vª. — *An et quatenus violatio regulæ peccaminosa sit ex eo quod justa causa esse possit expellendi religiosi?* — Tenetur religiosus, ratione votorum, ita se gerere, ut sit tolerabilis, et non mereatur expelli (vide S. Liguorium, l. 4, n. 6). Aliunde autem merito expellitur religiosus, qui ita frequenter et ex consuetudine regulas transgreditur, ut inde notabile damnum religiosæ disciplinæ inferat, nec opportunis correctionibus emendari potuit. Atque id verum remanet, etiamsi regula per se solam sub peccato non obliget. Inde autem colligendum venit, posse religiosum graviter peccare regulam infringendo, ex eo capite quod sub gravi teneatur procurare ne merito expellatur. Peccat nempe graviter si usque eo progrediatur, ut vel expellendus sit, vel notabile damnum religio subire debeat.

Quæstio VIª. — *An et quatenus violatio regulæ peccaminosa sit, ex eo quod annexam habeat violationem præcepti tendendi ad perfectionem?* — Quæstionis hujus solutionem ad caput sequens remittimus, ubi expendimus an et quomodo teneatur religiosus ad perfectionem tendere.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE RELIGIOSORUM TENDENDI AD PERFECTIONEM.

Propositio Iª. — *Tenetur religiosus aliquo modo tendere ad perfectionem.* — « Dico religiosum absolute teneri ad pro-« grediendum *aliquo modo* in via perfectionis. Probatur; « quia ex vi suæ professionis tenetur velle servare statum, « qui secundum se est in consilio tantum, et non in præ-« cepto : sed hoc ipsum est intrinsece velle tendere ad « perfectionem : Ergo. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, tractatu 8, l. 1, c. 4, n. 10.) Dicimus *aliquo modo;* « quia ut « tendatur ad perfectionem non est necesse uti omnibus

Digitized by Google

« mediis utilioribus ad charitatem obtinendam, sed satis est « uti aliquibus, de se non præceptis : nam uti omnibus vix « est moraliter possibile, vel saltem rarissimum. » (Suarez, ibid.)

Propositio IIª. — *Peccaret mortaliter religiosus qui deliberate statueret nullo modo tendere ad perfectionem.* — Ita S. Liguorius (lib. 4, n. 10), et sequitur aperte ex præcedenti propositione.

Propositio IIIª. — *Religiosus servando vota sua, et cætera omnia quæ ipsi sub peccato injunguntur, vere tendit ad perfectionem.* — Nam ille tendit ad perfectionem, qui præter communia cæteris christianis præcepta, supererogationis et consilii aliquid exequitur, prout sub prima tractatus parte probavimus. Atqui religiosus servans vota sua, et explens cætera quæ in sua religione sub peccato injunguntur, evangelica consilia vere exequitur : nam « quamvis religiosus per « votum efficiat sibi præceptum quod alias erat consilium, « nihilominus servando votum illud, implet etiam consilium « et tendit per viam perfectionis : alias servare castitatem « et paupertatem religioso voto confirmatam, non esset « tendere ad perfectionem, quod plane absurdum est. Igitur « ad implendam obligationem in assertione positam (*nempe « tendendi ad perfectionem*) satis esse videtur quod religiosus « intendat servare sua vota integre, prout in tali regula « fiunt, et cætera omnia specialia præcepta suæ religionis, « præter communia : quia, si hoc faciat, vere tendit ad per- « fectionem ; ergo si hoc præcise intendat, etiam intendit « *tendere* ad perfectionem, etiamsi non intendat *currere.* » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 4, n. 11.) Hinc derelinquenda videtur nonnullorum sententia, qui putarunt, teneri religiosum ad explenda consilia aliqua, quæ relative ad ipsum non facta sint præcepta ; et eum alioquin ad perfectionem non tendere. Doctrina hæc nullo solido fundamento nititur, et viam sternit scrupulis et anxietatibus.

Propositio IVª. — *Si regulæ non obligent sub peccato, religiosus eas non servans, aut etiam proponens eas non servare, ex hoc*

Digitized by Google

solo reus non fit violatæ obligationis tendendi ad perfectionem; quamvis ex aliis capitibus peccaminosa esse possit hæc agendi ratio. — Dicimus nempe tunc religiosum non peccare ex hac præcise ratione quod violet præceptum tendendi ad perfectionem. Nam cum ejusmodi agendi ratione stare potest observantia votorum, et specialium religionis suæ præceptorum. Sed, ex præcedenti propositione, religiosus vota sua, et specialia religionis suæ præcepta servans, vere tendit ad perfectionem; ergo violare regulas, per se sub peccato non obligantes, et earum violationem intendere, non est, per se solum, violatio præcepti tendendi ad perfectionem.

Atvero talis violatio regularum peccaminosa esse poterit ex aliis adjunctis, superiore capite recensitis. Ac proinde hanc violationem intendere, quatenus dictis adjunctis graviter peccaminosis annexam, esset intendere peccatum grave, et hoc ipso violaretur præceptum ad perfectionem tendendi. Sed tunc violatio hæc, non ex ipsa regularum transgressione proveniret, sed ex pravis illis adjunctis.

Propositio V^a^. — *Si regulæ obligent sub peccato veniali, propositum eas frequenter violandi, probabilius non est per se gravis transgressio præcepti tendendi ad perfectionem.* — Quæstionem illam expendit sanctus Liguorius in hunc modum : « An « peccet graviter religiosus qui intendit servare tantum mandata « obligantia sub gravi, alia vero statuat omnia transgredi, « vel de iis non curare? *Prima* sententia probabiliter affirmat; « quia ipsum propositum non curandi de regulis, etsi præci- « pientibus tantum sub levi, est virtualis de iis contemptus. « Ita Croix..., Elbel..., Sylvester... *Secunda* tamen sententia « communior et probabilior, negat talem peccare graviter. « Ita Sanchez..., Salmanticenses..., Suarez...; et idem ex- « presse docet S. Thomas... Ratio, quia eo ipso quod reli- « giosus velit servare præcepta quæ respectu ipsius obligant « sub gravi, cum ista, de se et respectu aliorum sint mera « consilia, volens ea servare, jam tendit ad perfectionem. « Hoc tamen intellige, quod sic ille excusabitur a mortali,

Digitized by Google

« ratione hujus præcisæ obligationis quam habet tendendi ad « perfectionem : nam difficillime excusabitur ex aliis capitibus, « nempe ratione periculi transgrediendi vota, vel grave « damnum religioni inferendi quoad regularem disciplinam, « etc. » (Libro 4, n. 11 et 12.)

Nota. — A fortiori, qui absque proposito regulas sub veniali obligantes frequenter violandi, eas tamen frequenter violat, non censendus est graviter delinquere contra præceptum tendendi ad perfectionem.

Propositio VI^a^. — *Raro in praxi peccati gravis rei censendi sunt religiosi ob regularum violationem.* — Etenim in plerisque religionibus non obligant per se sub gravi constitutiones et regulæ ; sed vel sub levi, vel nullatenus. Quo præsupposito, gravis censenda non est regularum transgressio, ob violatum præceptum tendendi ad perfectionem, prout constat ex dictis. Equidem graviter peccaminosa erit transgressio hæc, si violetur simul votum in materia gravi : sed id raro in conventibus contingit; et si quando forte (quod avertat Deus) accidat, facile a religiosi superiore et confessario dignoscetur gravitas, utpote quæ ex violatione voti, non ex violatione regulæ æstimanda est. Aliunde raro contingit ut regulæ violatio religiosum exponat periculo proximo labendi in mortale aliquod peccatum ; quia nempe rarum est ut religiosus adeo sit salutis suæ immemor, ut videns proximam graviter peccandi occasionem ab ea non refugiat : et cæteroquin neque tunc aderit in praxi quoad confessarium difficultas : quia vel religiosus accusat se scientem et volentem in occasionem illam proximam ivisse, vel non : si prius, equidem peccati gravis reus censendus erit ; non tamen præcise ex violata regula, sed ob periculum proximum quod conscius incurrit. Item raro contingit ita violari regulam, ut grave damnum religiosæ disciplinæ inferatur : quia damnum illud non evenire solet si prælatus opportunis pœnitentiis transgressiones coerceat ; et facilius in hoc graviter peccabunt superiores non corrigendo, quam singuli religiosi regulam facile transgrediendo : unde non facile in praxi

Digitized by Google

admittendum est illud grave damnum ex regularum violatione illatum. Item raro graviter peccaminosa evadit regularum violatio eo quod adnexum habeat contemptum : nam ut grave peccatum sit ille contemptus, necesse est ut religiosus regulam violet, vel cum animo sese non subjiciendi superioris correctionibus, vel in hunc finem ut ostendat se despicere et pro nihilo habere superiorem suum, religionemve suam, aut ipsasmet sui ordinis constitutiones : quæ prava intentio raro in praxi reperietur ; quia in praxi violari solet regula solummodo ex incuria et negligentia, et ut vitetur regulæ onus. Tandem vix unquam graviter peccaminosa erit regulæ violatio, ex eo capite quod religiosus per ejusmodi transgressiones sese intolerabilem reddat, ita ut expelli debeat : nam, vel adhibentur opportunæ monitiones et correctiones, atque iis pertinaciter resistit religiosus ; vel non : si prius, graviter quidem peccat religiosus, sed resistendo præcipienti et corrigenti prælato, non præcise regulam violando : si posterius, nondum pro incorrigibili censendus est, nec proinde ejici debet.

Hæc adnotata voluimus, ne religiosorum confessarii scrupulis angantur, et facile existiment in peccato mortali versari religiosos illos, qui in servanda regula valde negligentes sunt.

Propositio VII^a^. — *Scholastici societatis Jesu, qui votis simplicibus duntaxat ligantur, et a societate dimitti possunt, non tantum si reperientur incorrigibiles, sed etiam ob minores alios defectus, graviter peccant, si de industria et in hunc finem regulas violent ut dimittantur.* — Cum enim sint in statu religioso, ac proinde sub gravi teneantur ad perfectionem per votorum suorum observationem tendere, ac consequenter statum religiosum velle retinere, peccatum grave in ipsis est velle hunc statum abjicere, et in hunc finem agere. Ita sanctus Liguorius (libro 4, n. 7), cum aliis doctoribus ibidem citatis. Tunc vero peccatum mortale, non ex ipsa regularum violatione oritur, sed ex prava et graviter peccaminosa, quæ transgressionem comitatur, intentione.

Digitized by Google

Propositio VIIIa. — *In prædicto casu, dimissio scholasticum non liberat a votis.* — Eo quod nempe fuerit per dolum, dimissioni causam dantem, impetrata. Ita Lessius, Layman et alii (vide sanctum Liguorium, loco citato).

Propositio IXa. — *Quod de scholasticis societatis Jesu dictum est, extendendum est ad religiosos earum congregationum, quæ licet status religiosi essentiam habeant, sola tamen simplicia vota habent.* — Urgent enim et quoad istos eædem prorsus rationes.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONE GESTANDI RELIGIOSUM HABITUM.

Prænotandum. — 1° Dimissio religiosi habitus distingui potest in materialem et formalem. *Materialem* vocamus eam quæ fit, verbi gratia, ad dormiendum, ad balneum sumendum et similia : *formalem* vero eam quæ fit a religioso, diversum habitum assumendo, et eo fine ut tanquam religiosus non agnoscatur. 2° Etsi plerumque in religiosis ordinibus præscribatur certa quædam habitus forma, dantur tamen instituta nonnulla (verbi gratia, institutum societatis Jesu), quæ nullam injungunt. De hisce posterioribus ordinibus quæstio esse nequit, num ad gestandum religiosum habitum teneantur, siquidem nullum proprium ejusmodi habitum habent. Restringitur ergo præsens disceptatio ad eos ordines, in quibus certus habitus, in signum religiosæ professionis, deferendus præscribitur. Quo prænotato, sit

Propositio Ia. — *Formalis habitus dimissio, si fiat temere, peccatum grave, regulariter loquendo, censenda est.* — « Sufficienter probatur ex capite 2, *Ne clerici vel monachi, in sexto,* « ubi fertur excommunicatio ipso jure in quemlibet religio« sum professum temere dimittentem religionis suæ habitum : « excommunicatio autem major supponit peccatum mortale. » (Suarez, *de Religione*, tomo 4, l. 1, c. 5, n. 4). Idem confirmat communis doctorum sententia, quam sic testatur (loco

Digitized by Google

citato) Suaresius : « Dico... teneri religiosum sub mortali « peccato... non mutare proprium religionis habitum. Hanc « assertionem ut certam supponunt omnes doctores. »

Diximus *regulariter loquendo*. Etenim an et quatenus, ob parvitatem materiæ, sive ex parte temporis, sive ex parte intentionis, sive ex parte ipsius mutationis non completæ, contingere possit ut peccatum sit duntaxat veniale, cum aliqua opinandi varietate disputant doctores. Nimirum, 1° si religiosus temere mutet habitum, formaliter quidem, id est, ut tanquam religiosus non dignoscatur, sed *ad brevissimum tempus*, æstimarunt nonnulli id veniale peccatum non excedere. At Suaresius sententiam rejicit : « Si revera, inquit, fiat mutatio « dolosa ad utendum serio habitu sæculari, et ut talis persona « sæcularis reputetur, videtur esse materia gravis, etiamsi pro « brevissimo tempore fiat. » (*De Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 5, n. 9.)

2° Si temerarai dimissio fiat, non serio, sed ad jocandum, et repræsentandum, vel quid simile, erit venialis culpa tantummodo (vide Suaresium, ibid.).

3° Si mutatio ex parte fiat, sed ita ut religiosus adhuc tanquam talis agnosci valeat, erit pariter veniale peccatum (nisi forte in aliquo instituto hoc ipsum sub gravi prohibeatur) : secus si ut religiosus jam non posset agnosci.

4° Si religiosus, servato integro habitu, sæculares vestes superinduat, quamvis jam ut religiosus agnosci nequeat, putat Suarez non esse (per se, et seclusa graviter peccaminosa intentione) nisi peccatum veniale (loco cit., n. 12) : « Mihi vi- « detur (inquit) ex vi materiæ non esse illam mutationem, « de qua loquuntur jura ; quia revera non est dimissio ha- « bitus. »

Propositio IIª. — *Non adest temeraria habitus dimissio, nec proinde peccatum, quando mutatur habitus ex rationabili causa.* — Ita communiter doctores tradunt, atque in hoc sensu explicant particulam *temere* dicti capitis 2, tituli *Ne clerici vel monachi*, in 6. Dicunt nempe habitum temere dimitti,

Digitized by Google

quando *sine causa rationabili* dimittitur. De quo sic inter alios Suarez (*de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 5, n. 13) : « Est circa hanc obligationem (habitum non dimittendi) ad-« vertendum, non esse ita præcise necessariam, ut opposi-« tum nunquam liceat, saltem ad tempus et ex justa causa. « Quia propter necessitatem vel tuendi vitam, vel vitandi gra-« vem infamiam, aut scandalum, licite potest mutari habitus « religionis ad tempus, ut notavit glossa (in cap. 2, *Ne clerici* « *vel mon.*, in 6 ; et in cap. *Cleric.* 2, *De vita et honest. cleric.*) ; « et sumitur ex textu, ibi : *Nisi justa causa timoris exegerit* « *habitum transformari.* »

Nota. — Circa quæstionem, ex quo jure oriatur dicta gravis obligatio habitum non dimittendi. — 1° Nequit deduci ex jure naturali. Etenim quod religiosus habitum assumat, cum quo non dignoscitur ut religiosus, non est intrinsece malum ; quod patet ex iis institutis, in quibus nullus proprius habitus præcipitur, ut in societate Jesu. Ergo grave illud peccatum provenire nequit, nisi ex jure positivo. Nec dicas temerariam habitus dimissionem esse de se conjunctam cum intentione apostatandi, quæ procul dubio intrinsece mala est et juri naturali (supposita religiosa professione) contraria. Non enim necessario dictam habitus dimissionem comitatur apostasia. Potest siquidem religiosus, apostasiam nullatenus intendens, habitum dimittere ex aliis motivis ; verbi gratia, ut iter aliquod minori cum incommodo peragat, vel alia facilius exequi possit, quæ non sint graviter mala. Unde revera peccati istius gravitas a jure positivo desumenda est. 2° Sed neque colligi potest ex vi regulæ, qua prohibetur habitus dimissio. Nam, ut supra dictum est, dari possunt, et dantur revera regulæ quæ non obligant sub peccato. Proinde apud ordines religiosos qui talem regulam profitentur, peccaminosa (de se et seclusis pravis circumstantiis) non foret dimissio habitus. Et nihilominus omnino certum est, in iis etiam ordinibus, in quibus regula sub gravi non obligat, peccati mortalis rationem habere temerariam habitus dimissionem. Hinc 3° dicendum

Digitized by Google

hujus peccati gravitatem provenire ex communi quodam jure positivo, non tam scripto, quam apud religiosas familias communi consensu recepto; quod supponunt et confirmant Pontificum et conciliorum decreta. « Est enim (inquit Suarez) hoc « tanquam generale quoddam jus status religiosi, ut unus- « quisque in sua vocatione, consequenter in proprio habitu « suæ vocationis permaneat. Quod jus, quatenus extenditur « ultra id quod mere naturale est, potest dici non scriptum, « id est, communi consensu et traditione omnium religio- « num receptum. Potest etiam dici jus commune canonicum, « quia in decretis supra citatis, auctoritate Pontificum et « conciliorum generalium confirmatum est. » (*De Religione*, t. 4, l. 1, c. 5, n. 6.)

Propositio IIIª. — *Non videtur prælatus regularis potestatem habere dispensandi, pro habitus mutatione.* — Hanc sententiam tuetur Suarez (loco cit., n. 16) : « Ratio me movens, in- « quit, est quia hæc dispensatio non tam est in regula, quam in « jure communi; et potestas ad illam concedendam nullibi « invenitur data prælatis; neque etiam continetur in generali « facultate quam habent dispensandi in jure communi; quia « illa solum extenditur ad res, quæ ordinarie et frequenter « occurrunt, et ad dispensationes moraliter necessarias ad « ordinarium vivendi modum : hæc autem dispensatio non « est hujusmodi. » Concludit laudatus auctor pro tali dispensatione recurrendum esse ad summum Pontificem. Id tamen intelligendum est extra casum *rationabilis causæ*; quæ per se, et absque ulla dispensatione, licitam reddit habitus mutationem, ut supra dictum est. Quod autem in dubio, an adsit sufficiens causa, religiosi laudabiliter soleant licentiam a superiore suo postulare, et superior illam concedere, non est contra præmissam conclusionem; quia hæcce superioris licentia, non est tunc dispensatio, sed authentica interpretatio. Tunc nempe judicat superior legem non obligare. In rigore autem dubium illud solvere possêt quilibet vir prudens, considerata causa.

Digitized by Google

Propositio IVª. — *Materialis dimissio habitus, per se, et nisi ordinis regula illam prohibeat, non est peccatum.* — Materialem habitus dimissionem eam vocavimus, quæ fit ad dormiendum, balneum sumendum et similia. Porro ejusmodi habitus dimissio dici nequit de jure communi prohibita. Dari tamen posset regula, quæ prohiberet ne religiosus habitum unquam dimitteret, aut saltem ne illum dimitteret dormiendi causa. Qua stante regula, prohibitio hæc non aliter quam ipsamet regula obligare censenda erit (vide Suaresium, loco cit., n. 18).

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONE CLAUSURÆ QUOAD VIROS.

Lex clausuræ monialibus propria, valde diversa est a lege clausuræ, qua religiosi obstringuntur. Hinc visum est separatim de utraque disserendum. In præsenti autem capite religiosorum clausuram expendemus, primo quatenus prohibet ne religiosi e claustris exeant, secundo quatenus prohibet ne exteri intra claustra admittantur.

§ I.

An et quatenus religiosis prohibitum sit ne claustro egrediantur.

Prænotandum. — Non agitur hic de exitu e monasterio cum animo apostatandi, vel fugiendi ab obedientia prælatorum. Haud dubium quin talis exitus sub gravi sit illicitus. Sed quæstio est de exitu, qui per se pravus non foret, si nullo jure prohiberetur. Item non agitur de religiosis vitam extracœnobiticam degentibus, prout olim fuerunt apostoli, et solitarii multi. His enim nullam clausuræ legem a jure communi impositam fuisse certum est. Sed restringitur quæstio ad religiosos vitam communem profitentes, prout hodie in Ecclesia existunt. Quibus prænotatis, sit

Propositio Iª. — *Jure communi religiosis prohibitum non est*

Digitized by Google

claustro egredi, cum prælati licentia. — Constat ex eo quod talis prohibitio nullibi reperiatur : item ex communi religiosorum ordinum praxi. « Certum est (inquit Suarez, *de Reli-* « *gione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 6, n. 4) hanc clausuram « non esse ita præceptam monachis seu religiosis, ut nulla « ratione eis liceat extra claustrum exire : nam de licentia « legitimi prælati exire licet, ut supponunt omnes regulæ re- « ligiosorum, et jus commune non repugnat, communisque « consuetudo confirmat. »

Propositio IIa. — *Religiosis illicitus est, regulariter loquendo, exitus absque prælati licentia.* — Constat ex usu et consuetudine religionum omnium. Unde quod ejusmodi prohibitio non particulari, sed communi juri adscribenda sit, tenent doctores communiter, etsi non unius sententiæ sint in assignando vero hujusce juris communis fundamento. « Suppono, inquit Sua- « rez, esse in religiosis aliquam obligationem non exeundi e « claustro sine licentia prælati ; hoc enim etiam constat ex « regulis et ex usu. » (Loco citato.)

Diximus *regulariter loquendo.* Nam « dicendum est, non « obstante hac obligatione posse interdum exitum hunc extra « claustrum fieri licite sine licentia, ex justa causa... Loqui- « mur de exitu qui licitus esset, si de licentia fieret. Hic ergo « præsertim ad breve tempus, interdum esse potest neces- « sarius ex charitate proximi ad defendendum illum, vel jam « morienti per absolutionem subveniendum, vel quid simile : « et tunc licet petenda sit licentia, si fieri possit, si tamen « instet necessitas, licitum est exire ad opus charitatis neces- « sarium. » Lex nempe, exitum absque licentia prohibens, non censenda est ad dictos casus prohibitionem extendisse, quia sic nociva foret.

Propositio IIIa. — *Prædictæ prohibitionis fundamentum videtur esse, non jus positivum scriptum, non religionum regulæ, sed jus superioris gubernandi et custodiendi suum subditum.* — Non posse assignari ullum juris textum quo expresse religiosis prohibeatur ne absque superioris licentia exeant, vide

Digitized by Google

apud Suaresium (*de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 6, n. 5). Item dicta prohibitio adscribi nequit solis ordinum religiosorum regulis. Nam prohibitio hæc omnes religiones attingit. Plures autem extant ordines quorum regula sub peccato etiam veniali non obligat. Ergo in istis religionibus prohibitio exeundi absque licentia, si proveniret ex sola regula, non magis obligaret quam cæteræ quælibet ejusdem regulæ præscriptiones; id est, ne sub veniali quidem obligaret. Quod cum certo falsum sit, concludendum est, obligationem illam non fundari in sola regula.

Nonnulli auctores dicunt inductam fuisse obligationem illam ex consuetudine et generali religionum usu (vide Suaresium, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 6, n. 5). Sed verum ipsius fundamentum potius reponendum videtur in jure quod habet superior, ne religiosi ipsi subditi, ab ejus custodia et gubernamine, ullo diei aut noctis tempore sese subtrahant. Sese autem subtraherent, si absque ejus licentia extra claustrum vagari possent. Quod sic exponit Suarez (loco cit., n. 8) : « Conjectare possumus radicale fundamentum hujus gravi« tatis (1) esse jus superioris ad gubernandum et custodien« dum subditum, quod graviter læditur per hujusmodi exitus. « Nam subditus ita esse debet sub potestate superioris, ut ab « illo possit vel gubernari et custodiri, vel imperari : a qua « subjectione multum subtrahitur per suum discessum a mo« nasterio, invito vel nescio prælato. » Hoc Suaresii ratiocinium probaret dictam obligationem in ipso jure naturali (supposita professione religiosa) fundari. At saltem probat, prout idem auctor adnotavit, « convenientissime impositam esse religiosis « hanc obligationem, sive per legem canonicam scriptam, sive per consuetudinem et quasi traditionem. »

Propositio IVᵃ. — *Prædicta obligatio non exeundi absque licentia, per se et ex genere suo est gravis : dantur tamen casus*

(1) Jam probaverat Suaresius, per se et ex genere suo gravem esse obligationem illam non exeundi absque superioris licentia.

Digitized by Google

in quibus ejus violatio non est peccatum mortale, ob materiæ parvitatem. — « Hæc obligatio ex genere suo talis est, ut contra « illam possit mortaliter peccari, ex eo solum quod materia « in illo genere sit gravis. Nam hæc lex vel traditio obligat « in conscientia; et per specialem voluntatem legislatoris non « limitatur solum ut obliget sub veniali. Ubi est hæc limitatio? « Nunquam enim præsumitur, nisi explicetur. Cum autem in « præsenti hæc obligatio, ut est in conscientia, maxime ni- « tatur aut legibus canonicis, aut consuetudine, deberet per « illas (limitatio) explicari : quod non fit neque in decretis cita- « tis, nec per consuetudinem. Ergo relinquitur hæc obligatio in « ordinario et quasi naturali modo obligationis legis humanæ. « Conditio autem hujus legis est, ut obliget quantum potest, « juxta capacitatem materiæ; et consequenter in materia gravi « obliget sub mortali... » (Suarez, loco cit.)

Ejusdem obligationis gravitatem ostendunt canones quibus prohibetur ne religiosi absque licentia exeant, etiam sub prætextu majorem superiorem adeundi. Quam prohibitionem renovavit Tridentina synodus (sess. 25, c. 4, *de Reg.*) his verbis : *Non liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam sub prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eis missi aut vocati fuerint.* « Ubi particula *non liceat* satis significat obligationem « in conscientia, et modus prohibitionis et pœnæ sufficienter « ostendit gravitatem transgressionis. » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 6, n. 6.)

Quod autem, ex parvitate materiæ, possit dicta transgressio non esse nisi veniale peccatum, subjungit Suarez (loco citato, n. 10) in hunc modum : « Dico peccatum hoc non esse ve- « niale ex limitata voluntate legislatoris, sed posse fieri « veniale ex levitate materiæ; qualis erit, ut opinor, si duo « religiosi per communem januam sine licentia exeant consueto « modo, paulo post reversuri. Seclusa enim mortali intentione « in tali exitu, et secluso speciali præcepto alicujus religio- « nis, si forte sit, per se et ex vi clausuræ, hoc non est « peccatum mortale : quia ex prudenti existimatione ut tale

Digitized by Google

« non apprehenditur communi consuetudine; neque illa est « subtractio notabilis a subjectione prælati, nec potest dici fuga « a monasterio, vel aliquid simile. Quamvis ergo ille sit gravis « defectus intra latitudinem disciplinæ ragularis, et excusari « non possit a culpa veniali..., tamen non possumus illud ut « peccatum mortale damnare. »

Imo, ut supra diximus, instante justa causa (verbi gratia, ad absolvendum moribundum) licitus erit exitus absque licentia. Seu potius in his casibus adest semper tacita licentia, atque eam merito præsumit religiosus, si statim illam petere nequeat, et causa moram non patiatur.

Propositio V^a^. — *Grave peccatum est, si religiosus absque licentia claustro egrediatur, ut extra illud diu et quasi stabili modo vivat, quamvis non intendat religionem relinquere : item si furtive nocturno tempore exeat, licet non ob finem graviter peccaminosum : item diurnus exitus, cum animo extra monasterium pernoctandi.* — Vide id probatum a Suaresio (*de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 6 n. 6 et 7).

Nota. — 1° Cum prælatus possit aliis exeundi licentiam concedere, potest et illam sibi assumere. Unde ipse absque licentia exeundo, non peccabit ex violatione legis clausuræ ; licet aliunde peccaminosi esse possint ejus exitus.

2° Præmissæ conclusiones intelligendæ sunt *de jure communi*, et abstrahendo a peculiaribus religionum hac de re statutis. Nam si forte in aliquo ordine extet regula, sub gravi prohibens, ne superior exeundi licentiam concedere valeat nisi ex justa causa, peccabit mortaliter religiosus absque justa causa egrediens, quamvis licentiam obtinuerit. Quod si idem prohibeatur sub veniali, peccabit venialiter (vide Suaresium, loco cit., n. 15).

Digitized by Google

§ II.

An et quatenus religiosis viris prohibitum sit ne exteros intra claustra admittant.

Quæstio Iª. — *An exterorum admissio intra claustrum ex jure naturali prohibita sit?* — 1° Certum est non obstare jus naturale, regulariter loquendo, virorum introductioni intra claustra, ut patet. 2° Sed nec obstat mulierum introductioni, si fiat cum decentia debita et absque ullo scandali periculo. 3° Introductio autem mulierum, quæ ratione circumstantiarum periculosa esse potest, aut ædificationi contraria, hoc ipso jure naturali prohibita censeri debet.

Quæstio IIª. — *An et quatenus jure communi positivo prohibitum sit, ne religiosi feminas intra claustra admittant?* — I. In corpore juris et ante S. Pium V, non reperitur circa illam materiam generalis lex ecclesiastica. « De qua re, « inquit Suarez, nihil invenio generali lege canonica statutum « in corpore juris, neque quoad virorum, neque quoad femi- « narum ingressum in talia monasteria. » Hinc videtur id olim regulatum fuisse, tum ex jure naturali, tum ex propriis uniuscujusque ordinis constitutionibus; non autem aliqua universali lege ecclesiastica.

II. Solent religiones, non tantum prohibere sub pœnis, ne sui religiosi feminas admittant intra clausuram, sed etiam privilegia habere, vi quorum feminas ipsas sic ingredientes excommunicationi subjiciant. Dicimus id fieri vi privilegiorum; quia, secluso privilegio Pontificio, non possunt feminæ a prælatis regularibus excommunicari, utpote ipsorum jurisdictioni non subjectæ. Hinc factum est, ut plures ex illustrioribus feminæ facultatem a sede Apostolica obtinuerint, virorum monasteria ingrediendi, non obstantibus dictis prælatorum regularium prohibitionibus. Cum autem hisce facultatibus ejusmodi feminæ quandoque abuterentur, a sede Apostolica provisum est ut sequitur. Nempe,

Digitized by Google

III. Sanctus Pius V, constitutione *Regularium personarum*, anni 1566, dictas licentias revocavit; simulque decrevit excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam, in mulieres *sub privilegiorum prætextu* clausuram religiosorum ingredientes : in ipsos autem religiosos qui ipsas introducunt aut admittunt, privationem officiorum, inhabilitatem et suspensionem ipso facto. Postmodum idem Pontifex constitutione *Decet Romanum*, 16 junii 1570, declaravit sub præcedenti bulla *Regularium* comprehendi non tantum mulieres *sub privilegiorum prætextu* clausuram ingredientes, sed etiam alias.

« Regulares quamvis ex dictis duabus constitutionibus « S. Pii V non ligentur excommunicatione introducendo vel « admittendo feminas intra conventuum suorum clausuram, « ipsam tamen excommunicationem incurrunt, introducendo « vel admittendo ipsas *sub licentiarum prætextu*, ut declaravit « Gregorius XIII constitutione incipiente *Ubi gratiæ*.

« Et ipsam excommunicationem absolute incurrunt intro- « ducendo, sive prætextu licentiarum, *sive sine talium licen- « tiarum prætextu*, ut declaravit S. Congregatio Episcoporum « et regularium ; cujus decreti tenor fuit a Cardinali Matthæo, « ordinis Minorum protectore, transmissus commissario gene- « rali Minorum de Observantia. » (Ferraris, verbo *Conventus*, art. 3, n. 5 et seq. ; qui auctor ibidem hujusce decreti textum affert.) An tamen vera sit ultima hæc Lucii Ferraris assertio, mox expendetur.

Tandem Benedictus XIV, constitutione *Regularis disciplinæ* (tomo 1 ipsius Bullarii, numero 39), « revocat quæcunque « privilegia admittendi feminas intra clausuram conventuum, « quacunque de causa, etiam devotionis, associandi proces- « siones, aut sanctissimum sacramentum : prohibetque quibus- « cunque etiam Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem « Cardinalium congregationibus, ne facultates et licentias « ingrediendi clausuram conventuum religiosorum feminis « ullo modo concedant; et concessas omnino invalidas decla- « rat. » Non tamen ibi derogat præfatus Pontifex privilegiis

Digitized by Google

nobilium feminarum; modo non desint certæ quædam conditiones, ibidem determinatæ.

IV. His in antecessum prænotatis, hodiernum jus commune circa præsentem quæstionem determinandum videtur in hunc modum :

1° Regula generalis est feminas, religiosorum clausuram ingredientes, sive sub prætextu privilegiorum, sive absque hoc prætextu, excommunicationem Papæ reservatam incurrere : constat ex memoratis Pontificiis constitutionibus.

2° « In prædictis bullis Pontificum non comprehenduntur « imperatrices et reginæ, earumque filiæ, et aliæ feminæ « quæcunque, quæ illas comitantur. » (Pirhing, in titulum 35 libri 3 Decretalium, n. 45.)

3° Item excipiendæ feminæ, tum fundatrices aut insigniter benefactrices, tum consanguineæ aut affines fundatoris aut insignis benefactoris, tum consanguineæ aut affines eorum qui sunt domini temporales regionis; dummodo tamen facultatem illam religiosorum clausuram ingrediendi legitime obtinuerint, et *dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in forma brevis vel sub plumbo desuper expeditas litteras duntaxat, et non aliter omnino factas et impertitas fuisse, prius ordinariis locorum Antistitibus, per legitima et authentica documenta constare fecerint* (Benedictus XIV, const. *Regularis*, 3 januarii 1742, § 8). Et etiam tunc clausuram istæ feminæ ingredi nequeunt, nisi ex causa pietatis.

4° A prohibitione non excipiuntur ducissæ, fundatrices, benefactrices, aliæve ullæ feminæ, præter enumeratas sub numero 2, nisi privilegium Pontificium habeant. Id sequi videtur ex citatis Benedicti XIV verbis.

Nihilominus adnotat Ferraris (verbo *Conventus*, art. 3, n. 20) praxim esse contrariam quoad ducissas et quoad fundatrices. Quæ praxis an legitima sit post allegatam Benedicti XIV constitutionem, mihi non liquet.

5° An prohibitum sit infantulas in clausuram religiosorum introducere et admittere, non tradit Ferraris tanquam omnino

Digitized by Google

certum. Negant aliqui doctores sub præmissis constitutionibus parvulas puellas comprehendi. Pluries tamen decisum est, haud licere puellulas intra monialium claustra introducere; unde a fortiori id tolerandum non videtur quoad conventus virorum. « At praxis (ait Ferraris, loco cit.) pluribus in locis « videtur contraria, et posse puellas parvulas intrare in « monasteria virorum, non obstante prædicta prohibitione, « tenent Rodriguez..., Sanchez..., et alii plures. » Concludendum saltem videtur, pœnas in præfatis bullis statutas non incursuros religiosos, qui puellulam intra claustra admitterent.

6° Religiosi feminas, a generali prohibitione non exceptas, intra clausuram introducentes seu admittentes, incurrunt ipso facto privationem officiorum suorum, inhabilitatem ad ipsa, et suspensionem a divinis.

7° Incurrunt etiam ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, dictas feminas introducendo et admittendo, quando istæ feminæ ingrediuntur *sub prætextu privilegiorum*.

8° Extra casum quo dictæ feminæ ingrediantur *sub prætextu privilegiorum*, an religiosi eas introducentes et admittentes excommunicationem incurrant, controversum dici potest. Etenim doctores sat communiter id negant, eo quod in præfatis Pontificiis bullis non reperiatur statuta pro religiosis, feminas introducentibus, excommunicatio, nisi in casu quo istæ feminæ *sub prætextu privilegiorum* ingrediantur. Contrarium tamen sentit Ferraris (verbo *Conventus*, art. 3, n. 7), et allegat decisionem, qua revera, absque ulla distinctione feminarum ingredientium *cum* aut *sine* dicto *prætextu*, excommunicari religiosos ipsas introducentes seu admittentes declaratur. Sed hoc ipso quod decisio illa non distinguat, id est, non expresse loquatur de feminis absque dicto prætextu ingredientibus, absolute interpretari potest de solo casu feminarum privilegia prætendentium (vide apud Ferraris, verbo *Conventus*, art. 3, *novas additiones ex aliena manu*, n. 1).

9° Ad terminos constitutionis *Decet Romanum*, S. Pii V, pote-

Digitized by Google

rant feminæ cum reliquo populo religiosorum clausuram ingredi, ad sequendas processiones, associandum sanctissimum sacramentum, interessendum sepulturæ fidelium et audiendum divinum verbum si fiat intra clausuram. Id vero sublatum censendum est per citatam constitutionem *Regularis* Benedicti XIV.

10° « Nomine religiosorum introducentium vel admit-« tentium mulieres in clausuram conventus veniunt omnes « religiosi active influentes in talem ingressum mulierum; ut « sunt invitantes, consulentes, hortantes, januam aperientes, « recipientes, reducentes, permissionem auctoritative conce-« dentes, etc. » (Ferraris, verbo *Conventus*, art. 3, n. 30.)

11° « Nomine clausuræ conventuum, in quam est feminis « interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium, quod « intra septa monasterii seu conventus continetur; id est, « claustra, cellæ, officinæ, cœnaculum, dormitorium, infir-« maria, coquina et hujusmodi. » (Ferraris, loco cit., n. 9.) Item horti, viridaria et prata, si conjuncta sint cum conventu et claustro: secus si clavi et muro convenienti separata (idem, *ibid.*). Item de clausura est sacristia, si ad ipsam non pateat aditus nisi per januam quæ sit in claustro: secus si ex ecclesia tantum aditus ad eam existat. Si vero existat aditus ad sacristiam, tum ex claustro, tum ab ecclesia, probabilius est, attento fine legum circa clausuram, sacristiam esse tunc de clausura. « Sed praxis fere ubique videtur in contrarium. » (Ferraris, loco cit., n. 14.)

12° Si accidat corruere clausuræ murum, non ideo citra murum istum ingredi aut admitti possunt feminæ. Quia etsi dirutus, clausuram tamen adhuc murus ille determinat. Et ita pluries decisum a S. Congregatione, vide apud Ferraris (loco cit., n. 29).

Quæstio IIIª. — *An de jure communi prohibitum sit ne religiosi extraneos viros intra clausuram admittant?* — Respondendum negative; quia nulla exstat lex universalis quæ id prohibeat. De jure tamen particulari aliquarum religionum, haud

Digitized by Google

possuntviri in certa clausuræ loca, aut certis temporibus, introduci aut commorari (Ferraris, verbo *Conventus*, art. 33, n. 3).

QUÆSTIO IVª. — *An et quatenus ex propriis cujusque religionis constitutionibus prohibitum sit, ne intra claustra personas extraneas religiosi admittant?* — Fieri potest, ut alicujus ordinis virorum regula sæcularium personarum ingressum prohibeat, ultra id quod per expositum jus commune prohibetur. Et tunc, inquit Suarez, ad dignoscendum an et quatenus regula illa obliget, tria consideranda sunt : « Primum, de quibus « personis loquatur : nam frequentius prohibebit tantum in- « gressum feminarum. Si autem aliqua ex parte ad viros « etiam extendatur, servanda est... Secundo est consideran- « dum, de quibus locis fiat prohibitio : nam ordinarie non fit « de ecclesia, etiam pro feminis. Carthusiani autem dicuntur « habere hanc prohibitionem; unde etiam solent januam eccle- « siæ habere intra septa seu muros totius monasterii... Tertio « expendenda est ratio seu modus obligationis : nam hæc « etiam, cum non sit de jure communi, non est eadem in « omnibus. Et ideo verba etiam et consuetudo declarabunt « gradum obligationis... » (*De religione*, tom. 4, tract. 8, l. 1, c. 7, n. 2 et 3.)

CAPUT VIII.

DE OBLIGATIONE CLAUSURÆ QUOAD MONIALES.

Agemus 1° de clausura monialium in genere : 2° de eadem clausura quatenus prohibet monialium egressum : 3° de eadem clausura, quatenus prohibet ingressum in ipsarum claustra : 4° de eadem clausura quatenus prohibet accessum ad ipsas.

Digitized by Google

§ I.

De clausura monialium in genere.

Quæstio Iª. — *An clausura sit de essentia religiosi status, aut saltem solemnitatis votorum?* — Sub prima tractatus parte, agendo de status religiosi essentia, ostendimus ad eam nihil aliud requiri quam triplex perpetuum votum, cum traditione legitime acceptata. Hæc autem stare possunt absque clausura; ergo lex clausuræ, etiam quoad moniales, non est de status religiosi essentia. « Constat (inquit Suarez, *de Religione*, t. 4, « tractatu 8, l. 1, c. 8, n. 1)... non esse de intrinseca neces- « sitate status religiosi in feminis specialis clausura... Sine « tali lege vel voto potest servari castitas et regula religiosa « vel modus vivendi secundum consilia evangelica; ergo non « sunt (1) simpliciter necessaria ad talem statum. Non potest « tamen dubitari, quin hæc clausura convenientissima sit ad « statum religiosum feminarum, præcipue quando illum pro- « fitentur in communi seu conventuali vita, ut nunc est in usu « Ecclesiæ. »

Pariter sub prima tractatus parte probavimus votorum solemnitatem esse juris positivi, et pendere a constitutione Ecclesiæ, quæ certos effectus annectit votis religiosis. Licet autem in præsenti Ecclesiæ disciplina, ejusmodi effectus non alligentur monialium votis, nisi moniales clausuræ legi sese subjiciant, seu (quod idem est) licet Ecclesia ut solemnia non acceptet vota monialium nisi clausuræ addictarum, posset tamen, absolute loquendo, ut solemnia acceptare vota earum etiam monialium, quæ clausuram non servarent. Unde votorum solemnitas *essentialiter* non requirit clausuram, etiam in monialium congregationibus, sed tantum ex jure positivo.

Sequitur posse Romanum Pontificem alicujus communitatis

(1) Nempe, lex vel votum clausuræ.

Digitized by Google

moniales dispensare a clausura, quin ipsarum vota solemnia esse desinant. « Ex quibus constat (ait Pellizarius) clausuram « monialium inductam fuisse, non jure naturali aut divino, « sed humano positivo ecclesiastico. Siquidem jus naturale « semper est idem; cum tamen clausura monialium olim non « esset in usu. Jus item divinum circa dictam clausuram « colligendum esset sive ex Sacris Scripturis, sive ex traditione « aliqua divina; quæ certe nullibi reperiuntur. Ideoque ne- « cessario fatendum est, clausuram monialium esse solum de « jure humano. Ita Bonacina..., aliique communiter; et con- « stat ex juribus allegatis. » (*De Monialibus*, pag. 79, n. 4, editionis non prohibitæ, Romæ 1761.)

Quæstio IIª. — *Quando et quibus legibus obligatio clausuræ quoad moniales fuerit inducta et firmata?* — 1° Certum est a Bonifacio VIII sancitam fuisse clausuræ legem quoad moniales. Constat ex decretali *Periculoso* (cap. 1, *de Statu regularium*, in 6), ubi sic disponitur : *Sancimus universas et singulas moniales, præsentes atque futuras, cujuscunque religionis sint vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cætero permanere clausura : ita quod nulli earum, religionem tacite vel expresse professæ, sit vel esse valeat quacunque ratione vel causa* (*nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo vel scandalo commorari*) *monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas : nullique aliquatenus inhonestæ personæ* (*nec etiam honestæ, nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit specialili licentia*) *ingressus vel accessus pateat ad easdem.*

2° « Primus qui hoc præceptum posuit videtur fuisse Bo- « nifacius VIII, in capite unico *de Statu regularium*, in sexto. « Nam licet in antiquis canonibus multa sint hujus clausuræ « præcepta, nullibi tamen erat absolute injuncta; sed depen- « denter fere a legitima facultate abbatissæ... » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, l. 1, c. 8, n. 11.)

3° Dictam Bonifacii VIII legem, multis in locis aut non

Digitized by Google

fuisse in praxim deductam, aut temporum tractu in desuetudinem ante Tridentinam synodum abiisse, adnotant passim doctores, et aperte supponit sequens dictæ synodi decretum : nempe,

4° Tridentini Patres (sess. 25, c. 5, *de Reg.*) sanxerunt in hunc modum : *Bonifacii constitutionem, quæ incipit* Periculoso, *renovans, S. Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero sedis Apostolicæ authoritate, clausuram sanctimonialium ubi violata fuerit diligenter restitui, et ubi inviolata est conservari maxime procurent ; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas, appellatione postposita, compescentes. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam per breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda.*

5° Sanctus Pius V in sua constitutione *Circa pastoralis*, non tantum præmissas leges confirmavit, sed voluit etiam de medio tollere Tertiarias, collegialiter viventes, nisi clausuræ sese subjicerent et vota solemnia emitterent. Quæ tamen Tertiariæ, post ipsum a sede Apostolica fuerunt toleratæ, et legitime existere et propagari perrexerunt, ut alibi fuse diximus. Item dictas leges confirmavit Gregorius XIII, constitutione *Deo sacris.*

Quæstio IIIª. — *Quomodo differat lex clausuræ monialium, a lege clausuræ virorum ?* — In eo præcipue differt, quod viris non sit *absolute* prohibitus exitus e monasterio; sed prohibitus fuerit duntaxat *exitus sine licentia superioris.* E contra Bonifacius VIII dictum exitum monialibus absolute prohibuit. Quamvis enim casum exceperit, exceptio hæc confirmat regulam. Unde monialibus prohibitus fuit etiam exitus *cum licentia abbatissæ :* viris autem exitus *cum licentia superioris sui* non fuit prohibitus. Hinc quoad viros non requiritur dispensatio a lege ad exeundum ; sed tantum licentia. E contra pro monialibus, extra casus exceptos in ipsa lege, dispensatione opus est.

Digitized by Google

Quæstio IVª. — *An lex clausuræ legitime potuerit imponi monialibus, quæ eam non voverant?* — Quando Bonifacius VIII legem clausuræ tulit, moniales ex regula, cui sese subjecerant, nequaquam hoc præcepto constringebantur. Imo quam plurimæ forsan, si hanc legem sibi imponendam prævidissent, professionem non emisissent. Quod et applicari potest Tridentino decreto : etenim tunc etiam extabant multi conventus monialium, in quibus Bonifaciana lex vigere desierat : unde moniales in iis profitentes non intendebant amplecti regulam ad clausuram obligantem. Hinc autem exsurgit difficultas, quam prætermittere noluimus, quia ejus solutio, ad alia ejusmodi Pontificia decreta, religiosis novas obligationes imponentia, extendenda erit. Objicitur nempe, ab ipso etiam Romano Pontifice cogi posse neminem, ad amplectenda ulla consilia, præter ea quæ quisque sibi libere vovendo imposuit. Ex hypothesi autem dictæ moniales non voverant secundum regulam, quæ ad clausuram obligaret. Dicit porro alicubi divus Bernardus, *nemo vota mea augeat*. Præterea, ut adnotat Oldradus (consilio 96), frustra daretur annus probationis ad experiendas austeritates regulæ ante professionem, si post factam professionem possent novæ austeritates præcipi, quas novitius nec expertus est, nec cogitavit.

Nihilominus omnino tenendum est, posse monialibus professis clausuram imponi, quamvis regula quam amplexatæ sunt, ejusmodi obligationem non contineat.

Probatur 1°. Ex eo quod Bonifacius VIII et Tridentina synodus id fecerint. Nam Bonifacii decretalis non tantum futuras, sed et *præsentes* omnes moniales hoc clausuræ præcepto expresse ligat. Et pariter Tridentina synodus exigendam sancivit clausuram ab iis etiam monialibus, apud quas in usu non erat. Cum ergo Ecclesia et sedes Apostolica hocce jus sibi tribuat, insaniæ instar foret in dubium vocare num id possit.

Probatur 2°. Ex summi Pontificis jurisdictione, supposito statu religioso voluntarie assumpto. « Multa enim sunt, quæ « absolute non possent præcipi personis ecclesiasticis, nisi

Digitized by Google

« talem statum assumpsissent; illo autem supposito, juste « imperantur; ut constat ex titulis *de Vita et honestate cleri-* « *corum, ne Clerici vel monachi*, cum similibus. Et ratio est: « nam qui assumit aliquem statum, virtute se obligat ad ea, « quæ expediunt vel decent in tali statu: quorum determi- « natio nec semper est certa et sufficiens ex sola natura rei, « nec relinqui debet uniuscujusque arbitrio. Ergo ad eum « qui præest in tali statu, ratione suæ jurisdictionis convenit « posse ea præcipere. Sed in præsenti materia clausura mo- « nialium est moraliter necessaria ad puritatem status quem « professæ sunt. » (Suarez, *de Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 8, n. 8.) Quod citati auctoris ratiocinium, sic contrahi potest: jus habet summus Pontifex, iis qui statum aliquem sibi assumpserunt, præcipiendi ea, quæ vel moraliter necessaria, vel convenientissima sunt, ut recte in hoc suo statu degant: atqui clausura utilissima et convenientissima est mulieribus quæ statum religiosum amplexæ sunt: ergo.

Probatur 3° ex vi voti obedientiæ. « Nam ratione illius « potest prælatus præcipere austeritatem et rigorem in regula « non expresse contentum, si ad observanda ea, quæ in re- « gula continentur, sint moraliter necessaria, vel ita utilia, « ut difficile possit religio aliter contineri: talis autem est « clausura respectu monialium. » (Suarez, loco cit.) Unde qui statum religiosum amplectitur, hoc ipso se subjicit, non quidem quibuslibet legibus et præceptis quæ præter regulam excogitari possent, sed iis omnibus quæ imponentur *juxta regulam;* id est, quæ utilia superioribus videbuntur ad procurandam regulæ observationem, et melius attingendum scopum, instituto suo proprium.

Objicies 1°. — Non vovisset monialis, si prævidisset superventuram clausuræ legem. — Etsi forte ita sese animo habuerit, vere tamen voluit statum religiosum; ergo et voluit implicite necessaria hujus status consectaria. Unum autem ex his consectariis est, ut possint nova præcepta, dicto modo, imponi. Id confirmat exemplum de matrimonio: multi ex iis

Digitized by Google

qui hunc statum amplectuntur, ab eo refugissent, si possibilia quædam hujus status consectaria eventura prævidissent. Quibus tamen consectariis contingentibus, non liberos se a matrimoniali vinculo prætendere possunt.

Objicies 2°. — Decipitur religiosus, cui austeritas imponitur quam in novitiatu expertus non est, et de qua ne cogitavit quidem. — Nulla est deceptio ; quia novitiatus instituitur, non ad experienda omnia quæ præcipi possunt, sed præcipua, et statui religioso essentialia. Semper enim prævidere potest novitius possibilia esse nova præcepta, in ordine ad regulam quam amplectitur, et ad proprium instituti sui scopum.

Nota 1°. Ex deductis rationibus sustinet Suarez, posse clausuræ obligationem imponi, etiam a prælatis religionis. « Dicen- « dum, inquit, posse hoc præceptum imponi, non solum per « Pontificem summum, sed etiam per prælatos religionis. » (*De Religione*, tom. 4, tractatu 8, l. 1, c. 8, n. 6.)

Nota 2° .— A fortiori ex adductis rationibus concludendum est, posse religiosos qui, ex legitime præscripta consuetudine, vel etiam ex Pontificia facultate, paupertatem servant cum eo temperamento quod *vitam privatam* vocant, per Romanum Pontificem adigi ad *vitam communem*. Perperam certe existimarent se posse huic præcepto resistere, sub prætextu quod vita communis in ordine jam non servaretur, quando eum ingressi sunt, nec forte vovissent, si reducendam vitam communem prævidissent. Vita autem illa *privata*, de qua loquimur, in eo consistit, quod eleemosynæ a consanguineis, aliisve, unicuique religioso tributæ, vel pecuniæ quædam certis aliis legitimis modis ab ipso acquisitæ, non in communes monasterii usus æqualiter expendantur, sed peculiaribus hujus religiosi usibus destinentur : sub plena tamen superioris dependentia ; ita ut de hoc peculio religiosus nequaquam possit nisi ex licentia superioris disponere. Et cum hoc quidem temperamento stare potest voti solemnis paupertatis integritas, siquidem religiosus nequaquam est hujus peculii dominus, nec de eo absque superioris voluntate disponere potest. At nemo non videt quam

Digitized by Google

inferior sit (de se, et seclusis extraordinariis quibusdam circumstantiis), quotque inconvenientibus pateat is servandæ paupertatis modus.

Quæstio Vᵃ. — *An moniales contra clausuræ obligationem legitime præscribere valeant?* 1° Si moniales ad clausuram teneantur, non tantum ex Pontificiis legibus, sed insuper ex speciali voto, certum est contra illam obligationem ab ipsis præscribi non posse, quum non detur contra votum præscriptio. 2° Si vero nullum speciale votum de clausura fecerint, « cum obligatio clausuræ monialium sit de jure humano, « ut dictum est, et jus quodcunque humanum, simpliciter « loquendo possit abrogari, sequitur etiam moniales posse « alicubi derogare præfatæ obligationi : ita Sanchez..., Azor... « aliique doctores recentiores. » (Pellizarius, *de Monialibus*, editionis non prohibitæ, Romæ 1761, pag. 83-84.) Id tamen intelligendum est, modo concurrant omnia ad legitime præscriptam consuetudinem requisita, ut citato loco adnotatur.

§ II.

De clausura monialium quatenus prohibet ipsarum egressum.

Quæstio Iᵃ. — *Qualis egressus monialium clausuram violet atque excommunicationem inducat?* — 1° Extra certos quosdam casus infra enumerandos, in quibus licite possunt moniales solemniter professæ monasteriis suis egredi, certum est proprie dictum et completum ipsarum egressum extra clausuram, esse clausuræ violationem, et peccatum grave, ac per eum ipso facto incurri excommunicationem Papæ reservatam. Constat sancti Pii V constitutione *Decori*, in qua sic decernitur : *Aliter autem egredientes excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo eo ipso subjacere.* Insuper sic egredientes pœnam privationis officiorum et inhabilitatis ad ipsa incurrunt, ut pariter in dicta constitutione statuitur.

In praxi autem dubium occurrere potest, quandonam cen-

Digitized by Google

senda sit monialis *proprie egredi*, ita ut dictas pœnas incurrat. De quo sub sequentibus numeris : nempe,

2° Si monialis ambobus pedibus uno vel altero palmo extra clausuræ ostium pergat, excommunicationem aliasque dictas pœnas incurrit. Si tamen uno palmo tantum procedat, et statim intus redeat, tenent nonnulli (ob materiæ parvitatem) non esse peccatum grave, nec proinde sequi excommunicationem (vide Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 10).

3° Si monialis ascendat supra tectum monasterii, clausuram violat, et dictas pœnas incurrit. Ita decisum a S. Congregatione Episcoporum et regularium vide apud Ferraris (ibid., n. 11). Et in hoc deserendi nonnulli, qui contrarium tenuerunt.

4° Idem dicendum si monialis per fenestram extra clausuram se suspendat, quamvis ad terram non perveniat ; vel si ascendat arborem, clausuræ murum ramis prætergredientem, ita ut totum ejus corpus extra clausuram pendeat ; vel si ponat sese in rota et versus partem externam eam vertat ; vel si egrediatur ad spatium quod est inter clausam monasterii januam, et aliam sæcularibus patentem ; vel si adeat ædes monasterii contiguas, a feminis monialium servitio addictis inhabitatas ; vel si eat in exteriorem monasterii ecclesiam (quæ omnia vide probata apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 12 et seq.).

Quæstio IIª. — *An et quatenus monialium illicito egressui cooperantes peccent et pœnas incurrant ?* — Excommunicationem Papæ reservatam, necnon privationem officiorum, dignitatum et administrationum, atque inhabilitatem ad ea, ipso facto incurrunt omnes illicito egressui cooperantes ; id est, Episcopi et alii prælati injuste licentiam egrediendi concedentes ; quælibet personæ monialem ad egrediendum impellentes et juvantes ; egressamve recipientes aut comitantes. Qui tamen, post illicitum egressum, monialem recipit aut comitatur, ut ipsius honori et decentiæ consulat, non agit illicite (vide apud Ferraris, loco cit., n. 7 et seq.).

Digitized by Google

Quæstio IIIª. — *Quis possit absolvere ab excommunicatione, quam vel moniales clausuram egrediendo, vel aliæ personæ egressui cooperando incurrerunt?* — 1° Si delictum sit *publicum*, absolvere potest solus Papa, et auctoritatem ab ipso habens. Constat verbis S. Pii V, *a quo* (excommunicationis vinculo) *præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi valeant.*

2° Si delictum sit *occultum*, an ab excommunicatione absolvere valeat Episcopus, inter doctores controvertitur (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 19 et seq.). Qui affirmant, nituntur capite 6 sessionis 24 Tridentinæ synodi, quo Episcopis facultas tribuitur absolvendi ab omnibus *occultis* casibus Papæ reservatis. Qui vero negant, reponunt id intelligendum esse de occultis reservatis ante illud decretum Tridentinum, non vero de iis quos sibi Pontifices postea reservarunt. De quo sic Fagnanus (in caput *Dilectus* 15, *de temporibus ordinationum*, n. 20 et seq.) : « Sed numquid Episcopus, « facultate sibi tributa in dicto capite 6 sessionis 24, in ca- « sibus occultis, post concilium ex nova lege sedi Apostolicæ « reservatis, etiam cum clausula *non obstantibus*, absolvere « possit? Sacra Congregatio censuit non posse. Et in specie « cum dubitatum fuerit an Episcopus et inquisitores possint « hodie, ex dicto capite 6 sessionis 24 absolvere lapsos in « hæresim, non obstante bulla *cœnæ Domini?* Censuit eam « bullam derogasse capiti 6. »

Deserenda omnino videtur opinio eorum qui dictam facultatem Episcopo tribuunt; tum ob adductam a Fagnano decisionem; tum præcipue ob aliam quam allegat Ferraris (verbo *Moniales*, art. 3, n. 20) in hunc modum : « Frustra nonnulli « ex recentioribus theologis hunc articulum in controversiam « adducunt, cum habeamus claram determinationem Sacræ « Congregationis. Præterea cum dubitasset Archiepiscopus « Florentinus, an vigore capitis 6 sessionis 24, posset absol- « vere quamdam monialem, quæ ob malum finem fregerat « clausuram, non obstante bulla S. Pii V, quæ videtur habere

Digitized by Google

« locum in casu publico, variatum est sententiis. Nam ex de-
« cem Cardinalibus, tres censuerunt bullam intelligendam
« esse *etiam in occultis;* quia ipsius verba sunt generalia, et
« est tantum exceptus casus *nisi in mortis articulo;* et quia
« jam declaratum, bullam *cœnæ Domini*, quæ prohibet ab aliis
« absolvi, habere locum etiam in occultis; et quia cum bulla
« sit confecta post concilium, censetur derogasse concilio.
« Quatuor censuerunt eam bullam non habere locum in casibus
« occultis. Reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctis-
« simo. Qui declaravit, bullam S. Pii V habere locum *etiam in*
« *occultis*. Tamen concessit facultatem Archiepiscopo absol-
« vendi illam monialem. »

Nota. — In praxi, cum Episcopus, *in casu quo pœnitens nequeat personaliter summum Pontificem adire*, eum absolvere valeat ab omnibus reservatis, etiam publicis, et etiam hæresis, et moniales sint de iis quæ nequeunt Romam pergere, poterit eas ab illa excommunicatione absolvere. Tunc enim, ratione impedimenti pœnitentis, hanc facultatem Episcopo impertitur Pontifex.

Alii autem, qui illicito monialis egressui cooperatores fuerunt, nec dicto impedimento detinentur, ab Episcopo absolvi nequeunt.

Quæstio IVᵃ. — *Quibus in casibus licitum sit monialibus monasterio suo egredi?* — 1° Licite moniales possunt egredi *ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*. Ita siquidem expresse sancivit Pius V, in sua constitutione *Decori*. Censetur autem adesse magnum incendium, quando monialibus imminet mortis periculum nisi egrediantur. Item sufficiens censetur causa exeundi, quoad moniales epidemia aut lepra laborantes, quando ex ipsarum in communitate commoratione, pariter sequitur quoad alias mortis periculum. Ita doctores communiter (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 26).

2° « Moniales possunt licite monasterio egredi etiam in
« aliis casibus consimilibus tribus prædictis, a S. Pio V expres-

Digitized by Google

« sis; ut quando grave periculum subsit monialibus ratione « imminentis belli, inundationis fluminis, ruinæ ædificii, seu « alterius gravioris consimilis periculi; quia, licet S. Pius V « utatur dictione *nisi*, quæ videtur excludere omnes alias « causas, tamen hæc dictio non excludit casus similes et « urgentiores... Et sic tenent passim doctores. » (Ferraris ibid., n. 28).

3° Dato casu qui licitum reddere valeat monialis egressum, adhuc requiritur licentia in scriptis data : Episcopi nempe, si monasterium sit ipsi subjectum; Episcopi simul et prælati regularis, si regularium jurisdictioni subjaceat. Constat sequentibus concilii Tridentini et S. Pii V verbis : *Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda* (cap. 5, sess. 25, *de Reg.*). *Quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium* (*etiamsi prædicta monasteria ab Episcoporum, et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur*) *cognita et expresse in scriptis approbata sit* (in citata constitutione *Decori* S. Pii V). Dictam autem licentiam dare etiam potest vicarius generalis Episcopi, et vicarius capitularis, sede vacante (vide apud Ferraris, loco cit., n. 31).

4° « Si in aliquo ex dictis casibus periculum sit in mora, nec « ob distantiam possit superior consuli, tunc moniales in tali « necessitate et periculo possunt licite exire... quia necessitas « non habet legem... Et sic tenent doctores communiter... « addentes moniales in tali necessitate egressas teneri, cum pri- « mum poterunt, significare superiori suum egressum. » (Ferraris, ibid., art. 3, n. 32).

5° Ut moniales transferri possint ad aliud monasterium, sive ad illud fundandum, sive ad illud regendum aut reformandum, sive ex alia quacunque causa, omnino necessaria est specialis sédis Apostolicæ licentia. Constat « ex decreto « Pauli V, publicato a Sacra Congregatione Episcoporum et

Digitized by Google

« regularium sub die 22 decembris 1617... Nam facultas, « quæ olim, sive de jure communi, sive ex concilio Tridentino, « locorum Ordinariis vel monasteriorum superioribus super « hoc competebat, fuit sublata per dictam constitutionem « S. Pii V, quæ incipit *Decori et honestati*, ut eadem Sacra « Congregatio declaravit, die 30 maii 1631. » (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 34.)

6° Si extra mortis periculum, opportunum existimetur aliquam monialem mitti ad balnea, aut alia de causa aliquandiu extra monasterium degere, recurrendum est ad Sacram Congregationem Episcoporum et regularium : quia licentiam tunc dare nequit Episcopus, nec prælatus regularis; sed necessario intervenire debet Pontificia auctoritas, cum dispensandum sit a constitutione S. Pii V.

7° An monialis legitime egressa e suo monasterio, sive ad balnea, sive ob aliam causam, admitti possit in monasterio aliquo loci, in quo per transennam degit, inter doctores controvertitur. Alii dicunt eam posse admitti intra monasterium ejusdem ordinis et habitus, absque ulla superiorum loci hujus licentia; in monasterio autem diversi ordinis et habitus, cum superiorum licentia : alii vero tenent absolute admitti non posse, etiam cum licentia superiorum hujus monasterii, et etiamsi monasterium illud sit ejusdem ordinis et habitus. Et juxta hanc posteriorem sententiam allegatur decisio quædam Sacræ Congregationis (apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 41).

§ III.

De clausura monialium quatenus prohibet ingressum intra ipsarum claustra.

Quæstio I^a^. — *Quid variis temporibus hac de re statutum fuerit?* — 1° Ingressum in monialium conventus omnibus omnino personis prohibuit Bonifacius VIII (capite *Periculoso* 1, *de statu reg.*, in 6), sed absque ulla censura. 2° Idem prohi-

Digitized by Google

buit Tridentina synodus (c. 5, sess. 25, *de Regul.*) sub excommunicatione ipso facto incurrenda, non tamen reservata. 3° Sanctus Pius V, in sua constitutione *Circa pastoralis*, idem quod statuerat Tridentinum concilium observari mandavit. 4° Gregorius XIII, constitutione *Ubi gratiæ*, adjecit excommunicationis pœnam *sedi Apostolicæ reservatam*, contra ingredientes sub prætextu facultatum ad id obtentarum; quas facultates revocavit, simulque contra superiores monasteriorum utriusque sexus, in hoc delinquentes, privationem, inhabilitatemque decrevit. 5° Paulus V, constitutione *Monialium statui*, licentias omnes monialium clausuram ingrediendi, quibuslibet mulieribus antea concessas, revocavit; et præterea prohibuit sub excommunicatione Papæ reservata, aliisque pœnis a Gregorio XIII latis, ne superiorissæ et superiores dictas mulieres introducerent aut admitterent.

Quæstio IIª. — *An et quatenus prohibitum sit monialium clausuram ingredi?* — 1° Regula generalis est, quibuslibet personis esse prohibitum ingressum intra monialium septa; et quidem sub excommunicatione Papæ reservata; sive ingressus fiat sub prætextu licentiarum, sive sine illo prætextu (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 49).

2° Eamdem excommunicationem Papæ reservatam incurrunt moniales introducentes vel admittentes. Insuper abbatissæ et aliæ superiorissæ, necnon monasteriorum monialium superiores, illicito ingressui cooperantes, incurrunt officiorum privationem et inhabilitatem ad ipsa in posterum obtinenda. Constat ex citata constitutione Gregorii XIII.

3° « Nomine monialium introducentium vel admittentium « in clausuram personas non habentes ad id legitimam facul- « tatem, veniunt omnes active influentes in talem ingressum; « ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes... » (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 2, n. 59.)

4° A prohibitione clausuram monialium ingrediendi excipiuntur imperatores, reges, imperatrices, reginæ, atque eorumdem filii ac filiæ (Ferraris, ibid., n. 53).

Digitized by Google

5° Non excipiuntur duces et principes, ducissæ et principissæ : at praxis videtur contraria (Ferraris, ibid., n. 54).

6° Nec excipi fundatrices et fundatores vide ibidem, n. 55.

7° Non excipiuntur pueruli et puellæ. Sequitur ex verbis Tridentini decreti, *cujuscunque sexus vel ætatis fuerint*. Et ab introducentibus ejusmodi pueros aut puellas incurri pœnas violatæ clausuræ, sæpe sæpius declaravit S. Congregatio Episcoporum et regularium (vide apud Ferraris, ibid., n. 58). Puellæ tamen introduci possunt educationis causa, ut alibi dictum est.

8° Feminæ quæ a sede Apostolica licentiam ingrediendi habent, nequeunt ingredi nisi prius habito consensu monialium, capitulariter præstito per secreta suffragia (Ferraris, ibid., n. 56).

9° A prohibitione clausuram monialium ingrediendi non excipiuntur Episcopi et Cardinales, quoad monasteria quæ nec ipsorum jurisdictioni subsunt, nec extant in ipsorum diœcesibus. Atque idem etiam dicendum de Cardinalibus Legatis (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 60 et seq. ; necnon supra, parte 5, sectio 5, c. 1).

10° Potest Episcopus monialium suæ diœcesis clausuram ingredi pro facienda visitatione : idque tanquam Ordinarius si monasterium non sit exemptum ; tanquam sedis Apostolicæ delegatus si sit exemptum. Et quid in explendo ejusmodi officio servandum sit, jam diximus supra (parte 5, sect. 5, c. 1). Præcipue autem attendenda, hac in re, juris dispositio est, non posse Episcopos ingredi monialium etiam jurisdictioni suæ subjectarum clausuram, « nisi *in casibus necessariis, et comitati* « *a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis :* sic expresse « statuit Gregorius XIII, constitutione *Dubiis*. Si autem contra « fecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro « prima vice ; pro secunda vero contrahunt suspensionem a « pontificali munere et a divinis : pro tertia autem vice ac « deinceps excommunicatione majori ipso facto afficiuntur : « sic expresse Gregorius XIII in dicta constitutione *Dubiis*.

Digitized by Google

« Unde non possunt Episcopi secum ducere in clausuram ullos « laicos tanquam comites et socios... Propter necessitatem « tamen et ad promovendam utilitatem monialium, possunt « secum ducere aliquos peritos laicos... Non possunt tamen « secum ducere in clausuram plusquam octo personas; alias « incurrunt prædictas censuras : absolutio tamen ab istis « censuris non est Papæ reservata. » (Ferraris, verbo, *Moniales*, art. 3, n. 64 et seq.)

11° Pariter clausuram pro visitatione facienda ingredi potest prælatus regularis, cujus jurisdictioni monasterium subest. Quod jus quomodo intelligendum sit, diximus supra (parte 5, sect. 5, c. 1, quæst. 6).

12° Item monialium confessarius, vi officii sui, clausuram ingredi potest, quando id necessarium est pro sacramentis ministrandis. Quid autem quoad hoc ipsius officium jure statutum sit, vide supra (parte 5, sect. 5, c. 2).

13° Item medici et chirurgi clausuram, pro curandis infirmis, ingredi possunt, obtenta legitima licentia. Quæ licentia pro casibus urgentis necessitatis generalis esse debet : pro aliis, specialis. Debent associari dum tractant cum infirma. Nec debent esse minores annis quadraginta, ubi non adest medicorum penuria (vide apud Ferraris, verbo *Medicus*, n. 12 et seq.).

14° Item operarii et alii ad servitium monialium necessarii, ex legitima licentia ingredi valent ad exercenda artis suæ opera, quæ extra clausuram perfici nequeunt (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 2, n. 81).

Quæstio IIIª. — *Ad quem pertineat licentiam dare monialium clausuram ingrediendi, in casibus necessariis?* — 1° Quoad monasteria Episcopi jurisdictioni subjecta, obtinenda licentia est ab ipso, vel (sede vacante) a capitulo aut vicario capitulari, vel a vicario generali Episcopi, si habeat quoad id speciale mandatum (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 85).

2° Si vero monasterium regularibus subjectum sit, requiritur conjunctim tum Ordinarii diœcesis, tum prælati regularis

Digitized by Google

licentia : id vide pluribus decisionibus firmatum apud Ferraris (verbo *Moniales*, art. 3, n. 88 et seq.).

Quæstio IVª. — *Quatenus ii etiam qui facultatem habent clausuram monialium ingrediendi, censuras incurrant, si ob malum finem ingrediantur?* — De mandato Clementis VIII Sacra Congregatio Episcoporum et regularium, 26 novembris 1602, pœna excommunicationis majoris innodavit violantes clausuram monialium *ob malum finem*. Et excommunicatio hæc est reservata Papæ *extra Romam et intra Italiam* (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 3, n. 47 et 51). Illa excommunicatione attinguntur etiam ii, qui facultatem ingrediendi habent, si ingrediantur *ob malum finem* : patet ex eo solo, quod alias decretum illud inutile fuisset. Nam ingredientes sine legitima facultate, jam antea excommunicationi subjacebant. Sed quia dubium esse poterat num censuris attingeretur ille, qui legitime quidem ingreditur (prout medicus, verbi gratia, ad visendam ægrotam monialem), sed simul pravum finem intendit, ideo editum videtur præfatum Clementis VIII decretum. Unde rejicienda videtur opinio contraria quorumdam, de qua Pellizarius in suo tractatu *de Monialibus* (pagina 124, n. 167 editionis non prohibitæ, necnon quæstione 45 sectionis præcedentis).

§ IV

De clausura monialium, quatenus prohibet accessum ad ipsas, seu locutionem cum ipsis.

Quæstio Iª. — *Nomine accessus ad moniales quid intelligendum sit?* — Intelligendus est non materialis accessus ad monasterii parietes; sed accessus ad ipsas moniales, eas invisendi et alloquendi causa (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, n. 3). Et in hoc sensu de accessu ad moniales agimus in tota præsenti paragrapho.

Quæstio IIª. — *An et quatenus sæcularibus personis prohibi-*

Digitized by Google

tus sit accessus ad moniales? — 1° Omnibus generaliter, sive laicis, sive clericis prohibitus est accessus ad moniales, sine rationabili causa, et legitima licentia. Vide juris textus apud Ferraris (verbo *Moniales*, art. 4, n. 1).

2° Hinc sæculares accedentes ad moniales sine rationabili causa et sine legitima licentia, ordinarie peccant mortaliter. Et idem dicendum de monialibus illicite colloquentibus. Dicimus *ordinarie;* quia si illicite fiat semel aut iterum duntaxat, et sine gravi scandalo, aut turpi fine, aut superiorum contemptu, veniale peccatum existimant doctores (Ferraris, ibid., n. 5 et seq.).

3° Potest Ordinarius hunc casum sibi reservare; imo et excommunicationem ipso facto incurrendam decernere contra quoscunque illicite accedentes, et contra ipsas moniales cum ipsis colloquentes, idque etiamsi monasterium sit exemptum, et ita ut moniales sic excommunicatæ absolvi nequeant a regularibus, quorum jurisdictioni subsunt (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, n. 29 et seq.).

4° A dicta prohibitione excipiuntur sæculares in primo aut secundo gradu monialibus conjuncti; id est, monialis filii, pater et mater, fratres et sorores, etc. (Ferraris, ibid., n. 8 et seq.).

5° Item excipiuntur pauperes ostiatim mendicantes. Hi nempe licite possunt absque licentia moniales alloqui ad petendam eleemosynam (ibid., n. 37).

6° Idem dicendum de famulis et famulabus, jussu dominorum suorum munera ad moniales deferentes (ibid., n. 38).

7° Item excipitur confessarius, tum ordinarius tum extraordinarius, ut adnotatur infra.

Quæstio IIIª. — *An et quatenus accessus ad moniales prohibitus sit regularibus?* — Rigidior est prohibitio illa quoad religiosos; et ideo de ipsis sejunctim quæstionem instituimus.

1° Nequeunt religiosi alloqui moniales, etiam sibi conjunctas, et etiamsi monasterium sit exemptum, sine Ordinarii licentia (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, n. 12).

Digitized by Google

2° Neque potest Episcopus hanc eis licentiam concedere, nisi quoad conjunctas in primo aut secundo gradu : et permittere potest duntaxat ut quater in anno conjunctas illas religiosus invisat; et quidem pro die et hora certa, et extra Adventum, Quadragesimam, feriam sextam, sabbatum, vigilias et dies festos : et licentia hæc debet insuper subscribi a prælato regulari quoad moniales regularium jurisdictioni subjectas : debet etiam registrari et confessario consignari; et is debet colloquio assistere cum auscultatricibus (Ferraris, ibid.).

3° Religiosi qui absque legitima facultate alloquuntur moniales, etiam regulari prælato subjectas, vel etiam puellas aut alias personas sub clausura cum monialibus degentes, peccant mortaliter quantulocunque tempore duret colloquium, et etiamsi loquantur ob bonum finem; potestque Episcopus, tanquam sedis Apostolicæ delegatus pœnam excommunicationis, privationis, et inhabilitatis contra ipsos decernere (Ferraris, ibid., n. 16 et seq.).

4° Quæ omnia locum etiam habent, si religiosus, missus ad crates ad concionandum, finita concione, cum aliqua vel aliquibus monialibus absque legitima licentia colloquatur (Ferraris, ibid., n. 20).

5° Religiosi, qui absque legitima licentia moniales aliasve sub clausura degentes alloquuntur, incurrunt ipso facto excommunicationem, necnon privationem officiorum, dignitatum, beneficiorum, vocis activæ et passivæ, itemque inhabilitatem ad audiendas confessiones, ad officia, dignitates et beneficia. Ita decrevit Clemens XII, constitutione sua *Romanus Pontifex*. Ubi insuper sic disponitur : *A qua* (pœna) *nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo constituti, absolutionis, dispensationis, seu rehabilitationis beneficium valeant obtinere* (vide apud Ferraris, ibid., n. 21).

6° Non egent licentia Ordinarii ad alloquendas moniales curæ suæ commissas, provincialis, visitator, superior localis, et confessarius tam ordinarius quam extraordinarius. Decreta

Digitized by Google

Pontificia et decisiones, quæ hanc a generali prohibitione exceptionem certam faciunt adducit Ferraris (verbo *Moniales*, art. 4, n. 22 et seq.). Dicit quidem Ferraris (ibid., n. 57), prælatos et confessarios regulares, si moniales alloquantur extra præcisam officii sui necessitatem, licet nullum malum finem intendant, incurrere certas pœnas : sed hoc videtur, tanquam nimis rigidum, sublatum fuisse, prout adnotatur apud eumdem Ferraris (ibid.; n. 60 et seq.).

7° Regulares illegitime cum monialibus colloquentes incurrunt pœnas et censuras, tum a concilio provinciali, tum per episcopalia edicta decretas (ibid., n. 41).

8° Imo possunt ab Episcopo carceris pœna castigari (ibid., n. 42).

9° « Regulares confessarii, et superiores seu visitatores, si « alloquantur moniales extra præcisam officii sui necessitatem, « incidunt in pœnas privationis officiorum vocisque activæ et « passivæ...; licet non alloquantur ad malum finem..; nec « possunt rehabilitari per suos superiores. » (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, n. 57.)

Quæstio IVª. — *An sub prohibitione et pœnis comprehendantur, qui cum moniali colloquuntur nutibus, vel per interpositam personam, vel ei scribunt; vel alloquuntur puellas aut alias sub clausura degentes?* — 1° Collocutio per nutus sub lege prohibente comprehenditur (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, n. 44). 2° Idem dicendum de collocutione per interpositam personam, si colloquens sit in præsentia monialis (ibid., n. 45). 3° Scribere autem monialibus de jure communi sub dicta prohibitione non comprehenditur, licet possit lege diœcesana id etiam prohiberi, et quidem cum censuris (ibid., n. 47). Pœnæ statutæ contra regulares, qui absque licentia legitima moniales alloquuntur, locum habere censendæ sunt, si alloquuntur novitias, vel puellas in monasterio educationis causa degentes, vel alias ibi sub clausura viventes (apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, *novæ additiones*, n. 5).

Quæstio Vª. — *Ad quem pertineat licentiam concedere ad*

Digitized by Google

colloquendum cum moniali? — Idem dicendum ac de licentia pro ingressu in clausuram. Unde 1° si monasterium non sit exemptum, ab Episcopo vel ejus deputato licentia obtinenda est. 2° Si moniales regularium jurisdictioni subjaceant, requiritur licentia, tum Episcopi, tum prælati regularis. 3° In hoc posteriori casu, licentia *primum* subscribenda est ab Episcopo, vel ejus vicario, et *deinde* a prælato regulari, si monasterium existat in civitate episcopali : si vero monasterium sit extra episcopalem civitatem, primum subscribenda est a prælato regulari, et deinde a deputato Episcopi (vide hæc probata apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 4, n. 51 et seq). 4° Ad solum Episcopum pertinet subscribere et publicare edicta, quibus prohibeantur sæculares ne cum monialibus colloquantur (vide ibidem, n. 55).

CAPUT IX.

DE NONNULLIS ALIIS MONIALIUM OBLIGATIONIBUS.

Quæstio I^a^. — *Quænam sit monialium obligatio relative ad divini officii recitationem?* — 1° Tenentur publice in choro officium divinum persolvere. Ita doctores communiter (vide apud Ferraris, verbo *Moniales*, art. 6, n. 1). 2° Si qua monialis absit a choro, tenetur sub mortali horas canonicas privatim recitare; quod intelligendum est etiamsi regula hancce obligationem non imponat : quia licet tunc non teneatur recitare vi regulæ, tenetur tamen ex generali consuetudine, vim legis habente. In qua sententia concordant doctores fere communiter (Ferraris, ibid., n. 2). 3° Moniales choristæ, propter imperitiam, donec discant expedite legere, judicio prælatorum, confessariorum, vel abbatissarum, satisfaciunt dicendo officium laicarum seu monialium non choristarum. Et idem est si ex aliqua alia rationabili causa nequeant horas canonicas persolvere. Est autem rationabilis causa, si monialis sit

Digitized by Google

nimium scrupulis exagitata, si capitis dolorem patiatur et hujusmodi (Ferraris, loco citato, n. 4 et 5).

Quæstio IIª. — *Ad quid teneantur moniales quoad confessionem et sacram communionem?* 1° Eas non obligari sub peccato mortali ad confitendum et communicandum singulis mensibus, existimant multi doctores ; ex eo quod nempe Tridentina synodus (sess. 25, *de Reg.*, c. 10) præceptivo verbo non utatur, sed dicat solummodo : *In constitutionibus earum admoneantur, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam eucharistiam sumant.* 2° Alii tamen existimant eas ad id teneri sub gravi ; allegantes Clementinam *Ne in agro* (§ *sane, de statu monach.*). 3° « Moniales speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu « pollentes, possunt a superioribus seu confessariis etiam ad « communionem quotidianam admitti. Sic expresse S. Congregatio Concilii, 12 februarii 1679, in decreto circa communionem quotidianam, approbato ab Innocentio XI. » (Ferraris, verbo *Moniales*, art. 6, n. 11.)

Quæstio IIIª. — *Quid a monialibus observandum sit quoad collocutorium, fenestrellam communionis, clavem sacri tabernaculi et nonnulla alia?* — 1° Nequeunt moniales confessionario uti pro locutorio : ita decisum a S. Congregatione Episcoporum et regularium (vide Ferraris, verbo *Moniales*, art. 6, n. 28). 2° Item nequeunt uti fenestrella communionis ad loquendum cum exteris (ibid. n. 29). 3° Nec pro confessione facienda (ibid., n. 31). 4° Per hanc fenestrellam debet ministrari confirmatio monialibus et aliis sub clausura degentibus (ibid., n. 32). 5° Fenestrella hæc debet esse lata palmo integro, et alta dimidio (ibid., n. 36). 6° Clavis fenestrellæ communionis debet retineri ab abbatissa monasterii (ibid., n. 37). 7° Collocutorium non debet esse in secundo plano, neque in ecclesia (ibid., n. 38). 8° Moniales pro collocutorio uti nequeunt rota, nec cratibus in ecclesia existentibus (ibid.). 9° Monasterii fenestræ ita debent esse dispositæ, ut nequeant moniales videre exteros, aut ab eis videri (ibid., n. 46). 10° Clavis cus-

Digitized by Google

todiæ sanctissimi sacramenti, non debet esse penes moniales; sed penes sacerdotem ad quem spectat sacramenta monialibus ministrare (ibid., n. 59). 11° Reliquiæ asservari debent, non intra clausuram monialium, sed in exteriori ipsarum ecclesia (ibid., n. 60). 12°. Prohibere potest Episcopus ne moniales in suis ecclesiis quidquam canant lingua vernacula (ibid., n. 63). 12° Moniales nequeunt esse commatres, etiam per procuratorem : generaliter enim regularibus prohibitum fuit infantes de baptismo levare (ibid., n. 70). 14° Monialibus non licet canes habere, ob generalem hac de reprohibitionem (ibid., n. 71).

Digitized by Google

APPENDIX

IN QUA SOLVUNTUR NONNULLÆ QUÆSTIONES, IN DECURSU TRACTATUS PRÆTERMISSÆ.

QUÆSTIO Iª. — *An et quatenus potestatem habeant prælati regulares subditos suos absolvendi ab hæresi, aliisve reservatis casibus ?* — I. Regulares qui inciderunt in casum aliquem Papæ reservatum, non sunt mittendi Romam pro obtinenda absolutione, sed a prælato suo absolvi possunt, nisi excessus corum fuerit enormis. Ita sancitum fuit capite *Monachi* 2 *de Sententia excomm.*); idque in religionis favorem, ut evagandi occasio subtrahatur. Hinc regulares iis personis annumerandi sunt, quæ legitime impediuntur ne Romam se conferant. Estque id intelligendum etiam de regularibus, qui ante suum in religionem ingressum, delictum aliquod Papæ reservatum patraverunt, prout decernitur capite *Cum illorum* (32, *de Sent. excomm.*). In ipsa autem citata lege (*cum illorum de sent. excomm.*) apponitur limitatio, *nisi excessus ipsorum exstiterit difficilis et enormis.* Cujusmodi enormis et difficilis excessus rei censendi sunt duntaxat sequentes : hæretici, relapsi, schismatici, litterarum Apostolicarum falsificatores, ad partes infidelium prohibita deferentes, bigami, et homicidæ voluntarii (vide Reiffenstuel, in titulo 7 libri 5 Decret.., n. 421).

II. Prælati regulares majores (quales sunt generales, provinciales et hujusmodi), si sint exempti, jurisdictionem quasi-episcopalem in suos subditos habent. Est id extra controversiam apud doctores catholicos (vide Reiffenstuel, in tit. 7 libri 5 Decret., n: 417).

Digitized by Google

III. Dicti prælati regulares subditos suos absolvere possunt ab omnibus casibus, a quibus possunt suos de jure communi Episcopi. Sequitur ex eo quod jurisdictionem quasi episcopalem habeant. « Confirmatur ex constitutione Pii V, « (habetur in Bullario Romano, constitutionum ejus 132) ubi « priori conventuali et superioribus prælatis ordinis Prædi- « catorum, ne sint deterioris conditionis quam sæculares, « conceditur eadem facultas absolvendi et dispensandi erga « subditos dicti ordinis, quam habent Episcopi in clericos et « laicos sibi subjectos. In hoc autem privilegio communicant « alii ordines præsertim mendicantes, habentes communica- « tionem privilegiorum. » (Reiffenstuel, in titulum 7 libri 5 Decret., n. 419). Vide etiam apud Ferraris (verbo *Absolutio*, art. 1, n. 29).

IV. Dicti prælati regulares subditos suos absolvere possunt a casibus Papalibus, eamque facultatem aliis delegare; nisi tamen agatur de difficilibus enormibusque casibus. — Nam, ex dictis, id possunt in suos religiosos, quod in suos subditos Episcopi : sed Episcopi possunt de jure communi a Papalibus absolvere subditos suos, Romam eundi impedimentum habentes; atque aliunde regulares sunt de numero ejusmodi impeditarum personarum; ergo religiosos suos a Papalibus absolvere possunt dicti prælati regulares. Cum autem jurisdictio hæc in Episcopo sit ordinaria, ac consequenter delegabilis, ordinaria etiam et delegabilis in dictis regularibus prælatis censenda est. At excipiendi, ut dictum est, casus Papales *difficiles et enormes*, quia lex, religiosos impeditis personis accensendo, limitationem illam apposuit.

V. Dicti prælati regulares religiosos suos absolvere possunt etiam a casibus bullæ *Cœnæ;* exceptis quinque sequentibus : schisma, hæresis cum relapsu, falsificatio litterarum Apostolicarum, delatio prohibitorum ad infideles, et conspiratio in Romanum Pontificem. Constat ex pluribus Pontificiis constitutionibus (vide apud Ferraris, verbum *Absolutio*, art. 1, n. 30).

Digitized by Google

Quæstio IIª. — *An et quatenus possint religiosi personas sæculares absolvere ab hæresi aliisve casibus, Papæ vel Episcopo reservatis?* — I. Confessarii regulares possunt in foro conscientiæ absolvere sæculares ab omnibus casibus et censuris reservatis Papæ, exceptis sequentibus : 1° Nequeunt religiosi sæculares personas in foro conscientiæ absolvere ab hæresi occulta, neque ab excommunicatione propter eam incursa. Ita omnino tenendum constat ex bulla *Cœnæ*, quæ latam in quoslibet hæreticos excommunicationem soli Romano Pontifici reservat extra mortis articulum, et derogat omnibus contrariis facultatibus, quas regulares obtinuissent. Constat insuper ex damnata ab Alexandro VII propositione hac : *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.*

2° « Nullus regularis, quantumvis privilegiatus, sive supe-
« rior sive subditus, habet protestatem absolvendi sæculares
« ab aliquo casu bullæ *Cœnæ*. Communis et certa, ob clau-
« sulam omnium privilegiorum plenissime derogatoriam,
« bullæ *Cœnæ* insertam. » (Reiffenstuel, in tit. 7 libri 5 Decret., n. 427.) Excipitur semper casus periculi mortis : quia in mortis articulo nulla est reservatio, ut ait Tridentina synodus (sess. 14, c. 7). In casu autem quo pœnitens sæcularis nequeat Romam se conferre, an valeat absolvi a quocunque confessario ? Alii affirmant, negant alii (vide Reiffenstuel, in tit. 7 libri 5 Decret., n. 395).

II. A casibus *reservatis Episcopo* nequit regularis sæcularem absolvere intra fines diœceseos illius Episcopi, nisi obtenta ab eodem Episcopo facultate. « Communis et certa. » (Reiffenstuel in tit. 7 libri 5 Decret., n. 429.) Constat ex damnata ab Alexandro VII propositione hac : *Mendicantes possunt alsolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Diximus, *intra fines diœceseos illius Episcopi :* nam bene potest religiosus confessarius, in aliqua diœcesi approbatus, ibi absolvere pœnitentes aliarum diœceseon, a casibus quos sibi reservarunt illarum diœceseon Episcopi. « Tum quia

Digitized by Google

« reservatio casuum afficit confessarium, limitando ejus juris-
« dictionem; non potest autem Episcopus limitare jurisdi-
« ctionem regularis, extra suam diœcesim existentis : tum quia
« actus reservationis est localis et restrictus ad suam cujusque
« Episcopi diœcesim..; tum etiam quia non tenentur regu-
« lares confessarii habere notitiam casuum reservatorum in
« aliena diœcesi. » (Reiffenstuel, in tit. 7 libri 5 Decret., n. 424.) Caveant ergo regulares ne quibusdam suis privilegiis, illi etiam quod *mare magnum* vocari solet, nimium fidentes, immerito sibi facultatem vindicent a casibus Episcopo reservatis sæculares absolvendi. Carere eos hac facultate, non obstantibus ejusmodi privilegiis, fuse probat Benedictus XIV (*de Synodo*, libro 5, c. 5, n. 6. et seq. editionis in libros 13 distributæ).

III. Intra Italiam et extra urbem Romam, nequeunt confessarii regulares a sex casibus, qui dicuntur *Clementini*, sæculares personas absolvere (vide apud Ferraris, V. *Absolutio*, art. 1, n. 4).

Quæstio IIIª. — *Quosnam subditorum suorum casus sibi reservare queant regularium superiores ?* — « Clemens VIII, die
« 26 maii 1593, undecim casus designavit..., vetuitque regu-
« laribus, ne alios præter illos, sibi reservare præsumerent,
« nisi cum *generalis capituli in toto ordine, aut provincialis*
« *in provincia, matura discussione et consensu.* » (Benedictus XIV, *de Synodo*, l. 5, c. 5, n. 5.) Ortum est dubium, num censuræ etiam sub illa prohibitione comprehenderentur, an vero adhuc possent regularium superiores aliis præter undecim designata peccata excommunicationem annectere, et censuræ hujus absolutionem sibi reservare. At die 7 julii 1617, Sacra Congregatio Episcoporum et regularium declaravit, sub dicta Clementis VIII prohibitione, hujusmodi etiam censuras comprehendi. Quam decisionem refert Benedictus XIV, citato loco.

Dicti autem undecim casus in Clementino decreto designati, sic referuntur apud S. Liguorium (l. 6, n. 583). « 1° Apostasia
« a religione, etiam retento habitu. 2° Nocturna ac furtiva e

Digitized by Google

« monasterio egressio. 3° Veneficia, incantationes et sortile-
« gia. 4° Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit pecca-
« tum mortale. 5° Furtum mortale de rebus monasterii.
« 6° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7° Jura-
« mentum falsum in judicio legitimo. 8° Procuratio, consilium
« vel auxilium ad abortum fœtus animati, etiam effectu non
« secuto. 9° Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio
« cujuscunque personæ. 10° Falsificatio manus, vel sigilli
« officialium monasterii. 11° Malitiosum impedimentum, re-
« tardatio aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores,
« vel contra. »

Nota. — Non debet superior suorum religiosorum confessiones audire, nisi sponte petierint, aut in casum ipsi reservatum inciderint; sed duos aut tres constituere debet apud quos religiosi confiteri valeant (vide Barbosam, *de Officio Episcopi*, parte 3, alleg. 52, n. 18).

Quæstio IVª. — *An religiosi exempti subjaceant reservationi Episcopi?* — Respondendum negative. « Religiosi
« exempti (ait S. Liguorius, l. 6, n. 583) non subjacent reser-
« vationi Episcopi; nec eorum novitii; neque ipsorum fami-
« liares, ut habetur ex bulla Clementis VIII *Superna*, modo
« *inibi sint quasi de familia et continui commensales*... Si vero
« novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non
« poterit quidem absolvi a quolibet confessario sæculari; sed
« poterit a confessario religionis, ob privilegium religionis con-
« cessum. »

Quæstio Vª. — *An et quatenus regulares confiteri valeant confessariis, qui non sint de proprio ipsorum ordine?* — 1° « Omnes religiones privilegium habent ne religiosi extra
« ordinem aliis confiteantur, sine consensu suorum prælato-
« rum. » (S. Liguorius, l. 6, n. 574.) Hinc, 2° religiosi peregrinantes, si habent socium sui ordinis, debent ipsi confiteri, modo tamen is idoneus sit (S. Liguorius, ibid. n. 575). 3° Si dictus socius desit, vel non sit idoneus, possunt ex præsumpta licentia superioris sui confiteri alteri sacerdoti, sive regulari,

Digitized by Google

sive sæculari : « et in hoc omnes conveniunt. » (S. Liguorius, ibid.) 4° « Sed dubium est utrum hic sacerdos debeat esse ad « confessiones approbatus. Affirmant Wigandt..., Anton. Con- « cina.... cum Vasquez, alii vero communissime et verius ne- « gant, ut Suarez... » (S. Liguorius, l. 6, n. 575.)

5° Capuccinis a Benedicto XIV per breve *Quod communi*, 30 martii 1742, concessum est, ut in itinere confiteri possint cuicunque confessario, modo ab Episcopo loci sit approbatus (S. Liguorius, ibid.).

Quæstio V^a^. — *An regulares possint ex licentia suorum prælatorum ordinari extra tempora ?* — Respondendum affirmative, ob privilegium ipsis concessum (Vide S. Liguorium, l. 6, n. 797).

Nota. — Cum dictum privilegium concedatur sub hac formula, ut ordinari valeant extra tempora, *in tribus diebus festivis*, disputant doctores an intelligendi sint dies *festi de præcepto*. Nec difficultatem enodavit Alexander VI, quando dixit, habentes hoc privilegium posse ordinari tribus diebus *dominicis*, *sive duplicibus :* remanet siquidem quæstio, an agatur de duplicibus qui sint *dies festi de præcepto*, an vero etiam de quibuslibet aliis dublicibus. Utramque sententiam probabilem existimat S. Liguorius (loco cit.), et putat standum esse consuetudini.

Quæstio VII^a^. — *An confessarii regulares dispensare valeant cum conjugatis in impedimento petendi debitum ?* — « Regulares mendicantes aliique omnes cum ipsis communi- « cantes (in privilegiis), possunt dispensare ad petendum debi- « tum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici « castitatis perpetuæ, ante vel post contractum matrimonium « inito, quam super impedimento proveniente ex contracta affi- « nitate ratione copulæ habitæ cum consanguinea vel consan- « guineo, etiam in primo et secundo gradu alterius conjugis. » (Ferraris, verbo, *Debitum conjugale*, art. 2, n. 12.) Utramque asserti partem fuse probat citatus auctor, adductis variis documentis, quæ privilegium illud regularium certum faciunt.

Digitized by Google

Quæstio VIIIa. — *An religiosi aut religiosæ possint esse compatres seu commatres?* — Esse nequeunt, ne per procuratorem quidem (vide apud Ferraris, verbum *Regulares*, art. 1, n. 14.)

Quæstio IXa. — *An ordinum mendicantium conventus plures campanas habere possint?* — Respondendum negative. Etenim Joannes XXII, constitutione *Quia cunctos* (quæ habetur inter *extravagantes communes*, libro 1, titulo 5, *de Officio custodis*) decrevit in hunc modum : *De fratrum nostrorum consilio hoc edicto perpetuo ordinamus, quod religiosi dictorum ordinum mendicantium in nullo conventu suo seu loco plures campanas habeant sine sedis Apostolicæ licentia speciali; sed una tantummodo pro loco quolibet sint contenti.* Quod huic constitutioni derogatum fuerit, sive per posteriorem aliquam sedis Apostolicæ dispositionem, sive per legitime præscriptam contrariam consuetudinem, non reperio ab auctoribus adnotatum. Vigere suo tempore præfatam constitutionem existimabat Barbosa ; siquidem absque ulla restrictione sic asserit : « Fratres « mendicantes sine speciali sedis Apostolicæ consensu non pos- « sunt plures habere campanas, extravagante *Quia cunctos.* » (*De Officio Episcopi*, parte 3, alleg. 50, n. 55.) Cæterum possunt religiosi mendicantes plures habere campanulas, in refectoriis, capitulis et aliis officinis, prout in eadem constitutione déclaratur.

Digitized by Google

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM

PARS QUINTA. De jure regularium *ad extra*..... 1

SECTIO I. De habilitate regularium ad munia ecclesiastica..... 2

CAPUT I. De regularium habilitate ad officia clericorum in genere..... 2

CAPUT II. Munus parochiale religiosi status essentiæ nequaquam repugnat. 9

CAPUT III. An et quatenus beneficia curata regularia possint aut debeant regularibus regenda committi?..... 15

§ I. Quodnam fuerit ante S. Pium V regularium jus in beneficia curata regularia, seu in parochiales ipsorum monasteriis unitas..... 15

Quæstio Iª. Quodnam fuerit jus commune, ante concilium Tridentinum, quoad parochiales ecclesias monasteriis unitas..... 18

I. Quodnam fuerit jus illud quoad parochiales *pleno jure* monasteriis unitas..... 18

II. Quodnam fuerit jus illud circa parochiales unitas duntaxat *quoad temporalia*..... 19

Quæstio IIª. Quid juris statuerit Tridentina synodus quoad dictas parochiales, monasteriis unitas, seu annexas..... 20

. An per Tridentinum decretum mutatum fuerit jus antea vigens quoad parochiales *pleno jure* unitas?..... 20

. An vi præfati decreti liberum semper sit Episcopis vicarios perpetuos in parochialibus unitis constituere?..... 22

§ II. Determinatur hodiernum regularium jus quoad parochiales ipsorum monasteriis unitas..... 23

Quæstio Iª. An bulla S. Pii V *Ad exequendum* adhuc hodie jus faciat?..... 24

Quæstio IIª. An dicta constitutio S. Pii V intelligenda sit solummodo de parochialibus unitis pleno jure..... 26

Quæstio IIIª. Quænam sint mendicantium et monachorum jura, a S. Pio V expresse sancita, quoad parochiales ipsorum monasteriis pleno jure unitas..... 29

Quæstio IVª. An in parochiali pleno jure unita possit prælatus regularis

Digitized by Google

nominare ad curam, non solum unum e suis religiosis, sed etiam aliquem sæcularem, ad nutum monasterii amovibilem? 29
Quæstio Va. Quando in parochiali unita monasterio, nominatur in vicarium curatum unus e religiosis, an necesse sit cum eo habitare quatuor alios religiosos, prout præscripsit S. Pius V? 32
Quæstio VIa. An vicarius curatus amovibilis, sive sit religiosus, sive sæcularis, intelligendus sit amovibilis ad nutum monasterii duntaxat, an vero etiam ad nutum Episcopi? 33
Quæstio VIIa. Quando parochiales sunt unitæ, non monasteriis mendicantium aut monachorum, sed aliis monasteriis collegiisve aut beneficiis, an applicari debeat paragraphus 5 bullæ Pii V. 34
Quæstio VIIIa. An expositum jus regularium, aliquem e suis nominandi ad curam, in parochiali ipsorum monasterio unita, intelligendum etiam sit de casu, quo parochialis illa exstat in loco ipso, in quo degunt regulares? 35
Quæstio IXa. An et quatenus religiosus in parochiali unita ad curam deputatus, teneatur prælato suo obedire, et regulam servare? 38
Quæstio Xa. Quando religiosus ad curam deputatus remanet ad nutum superiorum suorum regularium revocabilis, an possit revocari sine causa? 38

CAPUT IV. An et quatenus religiosis possint beneficia curata sæcularia, seu parochiæ sæculares, conferri? 39
Propositio Ia. Potuerunt aliquando parochiæ sæculares de jure communi regularibus conferri, etiam in titulum. 40
Propositio IIa. Prædictum jus commune antiquum, probabilius correctum non fuit ante Tridentinam synodum, neque per synodi hujus decreta.. 41
I. Non valent rationes sententiæ contrariæ 41
II. Antiquum jus commune, vi cujus poterant regularibus conferri parochiæ sæculares, adhuc vigens supposuit et reliquit Tridentina synodus. 45
Propositio IIIa. Omnino certum est, de jure communi hodierno, haud posse parochias sæculares regularibus conferri, absque dispensatione Pontificia. 46
Propositio IVa. Ipsi etiam Canonici Regulares, ex hodierno jure communi, Pontificia dispensatione indigent ut valeant parochiis sæcularibus præfici: Præmonstratenses vero generale habent privilegium, a Benedicto XIV confirmatum, quo ipsis licet ejusmodi parochiarum regimen suscipere.. 48
Propositio Va. Quando alicui religioso confertur beneficium sæculare, religiosus ille acquirit ecclesiæ, non monasterio; liber est ab obligatione obediendi prælatis religionis suæ; item ab obligatione observandi regulam ordinis sui, quamvis ex consilio eam observare debeat; nec potest a superioribus religionis ad monasterium revocari. 50
Propositio VIa. Religiosæ congregationes virorum votis solemnibus carentes, non videntur comprehendi sub dicto jure communi hodierno, quo prohibetur, ne regularibus, absque Pontificio indulto, sæculares parochiæ conferantur 51
Propositio VIIa. Ex eo quod hodie regularibus parochiæ sæculares con-

Digitized by Google

erri nequeant absque indulto Apostolico, haud sequitur nunquam expedire ut conferantur..... 52

CAPUT V. An et quatenus parochiales ecclesiæ possint hodie monasteriis uniri..... 53

Propositio Iª. A tempore Tridentini concilii, ecclesiæ parochiales monasteriis uniri nequeunt..... 53

Propositio IIª. A prædicta prohibitione excipiendus non est casus, quo unio fiat pro fundatione, dotatione aut conservatione monasterii, ad fidei defensionem et propagationem, aut bonarum artium cultum..... 53

CAPUT VI. An et quatenus regulares obtinere valeant dignitates variaque alia officia episcopatu inferiora?..... 55

Quæstio Iª. An regulares, absque indulto Pontificio, obtinere valeant beneficium simplex sæculare, verbi gratia, canonicatum in cathedrali vel collegiata sæculari?..... 55

Quæstio IIª. An regulares eligi possint in examinatores synodales?..... 56

Quæstio IIIª. An regulares possint esse delegati Papæ?..... 56

Quæstio IVª. An possint esse conservatores?..... 56

Quæstio Vª. An possint esse vicarii generales Episcopi?..... 56

Quæstio VIª. An religiosus possit esse vicarius capitularis, sede vacante?.. 57

Quæstio VIIª. An religiosus possit constitui coadjutor parochi?..... 57

Quæstio VIIIª. An regulares constitui possint in notarios intra ordinem, pro causis religiosorum?..... 58

CAPUT VII. An et quatenus regulares possint ad gradus academicos promoveri, et docere in publicis scholis?..... 58

§ I. Præmittitur de gradibus academicis notio..... 58

§ II. Quinam olim contenderint pravas esse studiorum universitates: item quinam religiosos a gradibus academicis et universitatum cathedris exclusos voluerint..... 60

§ III. Concluditur habiles esse religiosos ad consequendum gradus academicos et cathedras in publicis etiam universitatibus..... 64

Quæstio Iª. An regulares promoveri possint ad gradum doctoratus in publicis academiis?..... 64

Quæstio IIª. An regulares possint promoveri ad doctoratum, etiam extra publicas universitates, id est, prælatorum religionis auctoritate?..... 64

Quæstio IIIª. An regulares possint esse professores in publicis universitatibus?..... 64

Quæstio IVª. An regularis possit esse de collegio doctorum (membre d'un corps universitaire), ita nempe ut valeat ejusdem collegii deliberationibus interesse, suffragium ferre circa admittendos ad doctoratum, aliosve gradus academicos, et emolumenta hisce muniis affixa recipere?..... 65

CAPUT VIII. An et quatenus valeant regulares ad episcopatum, cardinalatum, et summum Pontificatum assumi?..... 65

Quæstio Iª. An possit religiosus ad episcopatum evehi?..... 65

Digitized by Google

Quæstio IIa. An per se, seu attenta status religiosi natura, expediat e cœtu etiam regularium Episcopos assumi? 65
Quæstio IIIa. An requiratur superioris regularis licentia, ut valeat religiosus ad episcopatum evehi? 67
Quæstio IVa. An religiosus factus Episcopus desinat esse religiosus? 67
Quæstio Va. An religiosus factus Episcopus adstrictus remaneat, non tantum tribus votis substantialibus, sed aliis etiam religionis suæ votis aut observantiis, cum episcopatu compatibilibus? 68
Quæstio VIa. An religiosus factus Episcopus teneatur sui ordinis habitum deferre? 69
Quæstio VIIa. Quodnam sit jus religiosi ad episcopatum evecti, quoad bona temporalia ipsi obvenientia? 69
Quæstio VIIIa. Quid juris oriatur quoad religiosum Episcopum, si episcopatui renuntiet, vel ab eo deponatur? 70
Quæstio IXa. Quid juris quoad religiosum evectum ad cardinalatum? 70

SECTIO II. De regularium privilegiis 73

CAPUT I. De regularium privilegiis 73
Quæstio Ia. Quid sit privilegium? 73
Quæstio IIa. Quænam distingui soleant privilegiorum species? 74
Quæstio IIIa. An ad valorem privilegii requiratur scriptura? 75
Quæstio IVa. Quotuplici modo acquiratur privilegium? 76
Quæstio Va. Num privilegium rite concessum effectum suum habeat statim ac confertur, an vero duntaxat quando pervenit ad notitiam privilegiati? 76
Quæstio VIa. Quid sit communicatio privilegiorum, et quinam ordines privilegia sibi invicem communicent? 76
Quæstio VIIa. Quid sit, et quosnam effectus operetur privilegiorum innovatio seu confirmatio? 77
Quæstio VIIIa. Quomodo interpretari privilegia debeant? 78
Quæstio IXa. An et quomodo cesset privilegium per revocationem 79
Quæstio Xa. Quænam regularium privilegia revocata fuerint per concilium Tridentinum? 81
Quæstio XIa. Quomodo intelligendæ sint clausulæ, privilegiis nonnunquam insertæ, *dummodo sint in usu, dummodo non fuerint revocata?* 84
Quæstio XIIa. Quomodo amittatur privilegium per interitum personæ, aut rei privilegiatæ, aut per abusum, damnumve superveniens, lapsum temporis et cessationem causæ? *Remissive* 85

CAPUT II. De exemptione regularium ab Ordinariorum jurisdictione 85
§ I. Adducuntur documenta, quæ antiquissimam demonstrant exemptionum disciplinam 87
§ II. Exemptio monasteriorum cum ipsis monasteriis enata videtur; et prioribus Ecclesiæ sæculis generalior exemptionis disciplina, quam non exemptionis 103
§ III. De æquitate ac utilitate exemptionum a Romanis Pontificibus concessarum 110

Digitized by Google

Prima exemptionum justa causa. — Ne regularium congregationum unitas dissolvatur..... 110
Secunda exemptionum justa causa. — Ut fortiori vinculo particulares ecclesiæ centro unitatis devinciantur..... 113
Tertia exemptionum justa causa. — Ad conservandam et promovendam religiosam disciplinam..... 114
Quarta exemptionum justa causa. — Ad tuendam religiosorum quietem, et arcenda ab ipsis gravamina..... 114
§ IV. Certum est plerosque regularium ordines ab Ordinariorum jurisdictione exemptos fuisse, et hodiedum exemptos permanere..... 120
§ V. An hodierni conventus Belgii, ad exemptos ordines pertinentes, pro exemptis haberi debeant?..... 121
Propositio Ia. Virorum conventus hodie in Belgio existentes, et ad ordines exemptos pertinentes, exemptione potiri censendi sunt..... 121
Propositio IIa. Monialium conventus hodie in Belgio existentes, et ordinibus exemptis canonice incorporati, pro exemptis haberi debent..... 123
§ VI. An hodierni regulares Galliæ, ad exemptos ordines pertinentes, pro exemptis haberi debeant?..... 130
Propositio Ia. Negari non debet regularium Galliæ exemptio ex eo quod hodie in Gallia dari nequeant vota solemnia, nec proinde veri professi ordinum exemptorum..... 130
Propositio IIa. Negari non debet regularium Galliæ exemptio ex eo quod exemptiones a Romanis Pontificibus concessæ vim in Gallia non habeant. 130
Propositio IIIa. Regulares Galliæ ordinum exemptorum pro exemptis haberi debent, nisi contrarium sedes Apostolica expresserit..... 131
Propositio IVa. Trappistæ Galliæ, quamvis ad exemptum Cisterciensium ordinem pertinentes, Episcoporum jurisdictioni ex parte subjecti sunt, ab anno 1834..... 131
Propositio Va. Cæteri, præter Trappistas, Galliæ religiosi ordinum exemptorum, pro exemptis haberi debent..... 131
Propositio VIa. Moniales Galliæ, etsi pertineant ad instituta exempta, non sunt pro exemptis habendæ..... 132
§ VII. De potestate Episcoporum in regulares exemptos, seu quibus in casibus regulares exempti Ordinariorum jurisdictioni subjiciantur..... 132
Quæstio Ia. Quid possit Episcopus circa regulares extra claustrum delinquentes?..... 133
Quæstio IIa. Quid circa apostatas, ejectos, vel absque scripta licentia extra monasterium peregrinantes?..... 134
Quæstio IIIa. Quid circa regulares, qui ipsius jurisdictionis exercitium impediunt?..... 134
Quæstio IVa. Quid circa regulares, qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt?..... 134
Quæstio Va. Quid circa novorum conventuum erectionem?..... 134
Quæstio VIa. An teneantur regulares exempti publicare in suis ecclesiis censuras et interdicta Episcopi, atque iis sese accommodare?..... 134

Digitized by Google

Quæstio VII^a. Quid possit Episcopus circa regulares, quoad publicas processiones? 134
Quæstio VIII^a. Quid circa chrisma et consecrationes ecclesiarium? 136
Quæstio IX^a. Quid circa ordines sacros regularibus conferendos? 136
Quæstio X^a. Quid possit in regulares, quoad ipsorum ecclesias parochiales, et quoad personas curam animarum in eis exercentes? 137
Nota. De potestate cumulativa Episcopi et prælati regularis in præsenti materia 137
Quæstio XI^a. Quid possit Episcopus in regulares, quoad sacramentorum administrationem? 140
Quæstio XII^a. Quid circa dies festos? 141
Quæstio XIII^a. Quid circa audiendas confessiones sæcularium? 141
Quæstio XIV^a. Quid circa eucharistiam et missæ sacrificium? 141
Quæstio XV^a. Quid possit Episcopus in regulares, quoad monialium confessiones? *Remissive* 144
Quæstio XVI^a. Quid possit Episcopus circa monialium clausuram? 144
Quæstio XVII^a. Quid possit in regulares, quoad admissionem Tertiariarum ad habitum sui ordinis? 145
Quæstio XVIII^a. Quid possit Episcopus in monasteria monialium sedi Apostolicæ immediate subjectarum, et quæ regularium prælatorum gubernio non fuerunt subditæ? 145
Quæstio XIX^a. Quid possit Episcopus in regulares, quoad librorum impressionem? 145
Quæstio XX^a. Quid possit Episcopus in regulares, quoad indulgentiarum publicationem? 147
Quæstio XXI^a. Quid possit Episcopus in regulares, quoad officium prædicationis? 148
Quæstio XXII^a. Quid possit Episcopus in regulares, quoad causas fidei? ... 148
Quæstio XXIII^a. An possit Episcopus abbates et alios regulares exemptos obligare ut diœcesanæ synodo intersint? 149
Quæstio XXIV^a. Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad ipsorum novitios? 151
Quæstio XXV^a. Quid possit Episcopus quoad regulares exemptos, quoad causas nullitatis professionum? 151
Quæstio XXVI^a. Quid circa pulsationem campanarum in sabbato majoris hebdomadæ 151
Quæstio XXVII^a. An possit Episcopus regulares exemptos compellere ad habendum professorem Scripturæ sacræ? 152
Quæstio XXVIII^a. Quid possint Episcopi in regulares exemptos, quoad executionem decretorum concilii Tridentini? 152
Quæstio XXIX^a. An possit Episcopus regulares cogere ut intersint casuum conscientiæ collationibus? 152
Quæstio XXX^a. Quid possit Episcopus in regulares exemptos quoad ipsorum parvos conventus et grancias? 153
Quæstio XXXI^a. Quid possit Episcopus in regulares exemptos, quoad exigendam sibi debitam reverentiam? 154

Digitized by Google

Quæstio XXXII^a. An supra enumerata Episcoporum in regulares exemptos jura, intelligenda sint duntaxat relative ad exemptionem communem, an vero etiam relative ad quodlibet speciale exemptionis privilegium ?.... 154
§ VIII. De potestate Episcopi in regulares, qui sunt nullius diœcesis..... 155
Quæstio I^a. Quid sit esse nullius ?..... 155
Quæstio II^a. Quid possit Episcopus in ecclesias regulares nullius diœcesis ?..... 155
Quæstio III^a. Quid possit Episcopus in personas regulares nullius ?..... 156

CAPUT III. De privilegio regularium sibi eligendi conservatores..... 157
§ I. Colliguntur variæ juris dispositiones circa judices conservatores.... 158
§ II. Determinatur jus quoad regularium conservatores..... 160

CAPUT IV. De cardinalibus protectoribus..... 165
Quæstio I^a. Quid sint Cardinales protectores, et quomodo a conservatoribus differant ?..... 165
Quæstio II^a. Quo tempore inducta sit Cardinalium protectorum institutio ? 166
Quæstio III^a. Quæ fuerit Cardinalium protectorum potestas, usque ad Innocentinm XII ?..... 167
Quæstio IV^a. An constitutio *Christi fidelium* Innocentii XII pro norma juris communis hodiedum vigentis habenda sit ?..... 168
Quæstio V^a. Quid possint vel non possint Cardinales protectores, vi juris communis, seu vi constitutionis Innocentii VII..... 169
Quæstio VI^a. An, non obstante jure communi exposito, contingere possit ut cardinalis protector jurisdictionem aliquam habeat ?..... 172
Quæstio VII^a. An standum sit attestationi Cardinalis protectoris, asserentis sibi a Papa vivæ vocis oraculo concessam fuisse aliquam jurisdictionem seu facultatem ?..... 172

SECTIO III. De jure regularium sacrum ministerium exercendi..... 174

CAPUT I. An cuique Episcopo in diœcesi sua liberum sit impedire, ne regulares sacrum ministerium exerceant ?..... 174
§ I. Exponitur systema Episcopis liberum faciens ut regulares, licet idoneos, a sacro ministerio arceant..... 175
Quæstio I^a. An et qua de causa Guillelmus a Sancto Amore, et alii contra quos scripsere S. Thomas et S. Bonaventura, regulares a sacro ministerio ablegandos voluerint ?..... 175
Quæstio II^a. An et qua de causa synodus Pistoriensis regulares a sacro ministerio exclusos voluerit ?..... 176
Quæstio III^a. An Guillelmus a S. Amore, et schismatici Pistorienses suum systema ita rigide intellexerint, ut noluerint regulares sacro ministerio admoveri posse, etiam in casu necessitatis, ubi nempe insufficiens foret sæcularis clerus ?..... 176
Quæstio IV^a. An et qua de causa modernus quidam scriptor, Marianus Verhoeven, exclusos a sacro ministerio regulares voluerit ?..... 178
§ II. Potest quidem Episcopus regulares a sacro ministerio arcere, ex eo

Digitized by Google

quod ipsos minus idoneos repererit, non autem ex eo quod sæcularis clerus ad sacra munia explenda sufficiens existat..... 180

CAPUT II. De his quæ pertinent ad S. Eucharistiam et missæ sacrificium... 188

Quæstio Ia. An regulares valeant ad celebrandam missam in suis ecclesiis admittere aliquem sacerdotem sæcularem exterum, priusquam is licentiam ab Ordinario obtinuerit?..... 188

Quæstio IIa. — An regulares valeant ad celebrandum in suis ecclesiis admittere regularem extraneum diversi ordinis, antequam is licentiam Ordinarii obtinuerit?..... 189

Quæstio IIIa. — An regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittere valeant religiosum sui ordinis advenam, antequam is Ordinarii licentiam obtinuerit?..... 190

Quæstio IVa. — An regulares possint missas celebrare, et alios (servatis præmissis conditionibus) ad celebrandas admittere, non tantum in suis ecclesiis, sed etiam in suis oratoriis privatis seu domesticis, legitime erectis?..... 191

Quæstio Va. — An prohibere possit Episcopus ne, absque sua licentia, in ecclesiis monialium missas celebrent alii, præter capellanum, sacerdotes?..... 192

Quæstio VIa. — Quid observandum, quando celebrans in ecclesia regularium habet officium diversum ab eo, de quo fit in hac ecclesia: et vice versa, quando id contingit regulari, extra propriam ecclesiam celebranti? 192

Quæstio VIIa. — An præcepto missam audiendi satisfacere possint parochiani in ecclesiis regularium?..... 196

Quæstio VIIIa. — An parochiani possint missæ audiendæ præcepto satisfacere, etiam in oratoriis privatis seu domesticis regularium?..... 196

Quæstio IXa. — Quatenus possint regulares, in suis ecclesiis, sæcularibus extra conventum degentibus communionem præbere, excepto solo Paschatis die; et etiam die Paschatis, si vigeat consuetudo, et communicans paschalem communionem in parochia jam fecerit aut facturus sit..... 197

Quæstio Xa. — An et quinam regularium famuli possint in ecclesia regularium communionis paschalis præcepto satisfacere; et an iis famulis possint regulares viaticum, extremam unctionem et sepulturam dare?.. 198

Quæstio XIa. — An, secluso privilegio speciali juvenes in collegiis regularium, et puellæ in conventibus monialium, educationis causa degentes, a lege parochiæ eximantur quoad communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem et sepulturam?..... 204

Quæstio XIIa. — An possint regulares primam communionem, absque licentia parochi, in suis ecclesiis pueris aut puellis porrigere?..... 210

Quæstio XIIIa. — Quid liceat regularibus quoad sanctissimi sacramenti expositionem?..... 212

CAPUT III. — De his quæ spectant ad sacramentum pœnitentiæ..... 213

Quæstio Ia. — Quomodo differant approbatio et jurisdictio?..... 213

Quæstio IIa. — Utrum regulares pro confessionnibus audiendis jurisdictio-

Digitized by Google

nem habeant a Papa, an vero eam recipere debeant ab Episcopis?..... 214
Quæstio III^a. — Quasnam confessiones audire nequeant regulares absque approbatione Ordinarii?..... 219
Quæstio IV^a. — Quasnam confessiones audire valeant regulares absque approbatione Ordinarii?..... 220
Quæstio V^a. — Quænam sint præcipuæ sedis Apostolicæ constitutiones, et Romanarum Congregationum declarationes, circa modum quo regulares ab Episcopis pro confessionibus approbari possint aut debeant?..... 221
Quæstio VI^a. — An liberum sit Episcopo nullum regularem approbare nisi cum limitatione circa tempus, vel loca, vel personas, aut cum clausula *ad beneplacitum?*..... 229
Quæstio VII^a. — An regulari, absolutam pro confessionibus approbationem postulanti, possit Ordinarius denegare examen, et vel nullam, vel limitatam duntaxat approbationem concedere?..... 239
Quæstio VIII^a. — Casu quo regularis non repertus fuerit generaliter idoneus, an possit Ordinarius ne limitatam quidem facultatem ei concedere?..... 240
Quæstio IX^a. — An regulares generaliter approbati ab Ordinario, prævio examine, possint iterum ab eodem Ordinario examinari?..... 240
Quæstio X^a. An Episcopus possit iterum examinare regularem, quem non ipse, sed vel antecessor, vel alius simpliciter approbavit?..... 241
Quæstio XI^a. An Episcopus examinare possit religiosum, quem ipse quidem per seipsum simpliciter approbavit, sed absque prævio examine?..... 241
Quæstio XII^a. An Episcopus a confessionibus audiendis suspendere possit regularem simpliciter approbatum?..... 242
Quæstio XIII^a. An et quatenus facultas, sive absoluta, sive limitata, regularibus concessa, possit ab Episcopo revocari vel restringi?..... 242
Quæstio XIV^a. An, sede vacante, possit vicarius capitularis regulares a defuncto Episcopo approbatos, examinare, ac si minus idoneos repererit, facultatem pro confessionibus eis adimere?..... 246
Quæstio XV^a. An regularis approbatus in una diœcesi pro sæcularium confessionibus, censendus sit pariter quoad alias diœceses approbatus?.... 250
Quæstio XVI^a. An regularis approbatus in una diœcesi possit in illa absolvere confluentes ex aliis diœcesibus?..... 250
Quæstio XVII^a. An dictus regularis possit pœnitentes ex aliis diœcesibus confluentes absolvere a casibus reservatis, sive in respectivis ipsorum diœcesibus, sive in diœcesi, in qua regularis est approbatus et confessiones audit?..... 250
Quæstio XVIII^a. An regularis possit, in diœcesi in qua non est approbatus, absolvere eum qui habet privilegium sibi confessarium eligendi?..... 250
Quæstio XIX^a. An regularis approbatus ab Ordinario, sed absque facultate absolvendi a reservatis, possit nihilominus a dictis reservatis absolvere, vi privilegiorum sui ordinis?..... 252
Quæstio XX^a. An regulares approbati ab Ordinario indigeant licentia parochi ad audiendas confessiones infirmorum vel aliorum?..... 252

Digitized by Google

Quæstio XXIa. An regulares approbati ab Ordinario pro confessionibus sæcularium, possint eas audire absque superiorum suorum licentia?.... 253
Quæstio XXIIa. An Episcopus possit omnes simul unius conventus regulares ab audiendis confessionibus suspendere?..... 253
Quæstio XXIIIa. Quid possint regulares quoad audiendas monialium confessiones?..... 255
Quæstio XXIVa. An possit Episcopus regulares cogere ad audiendas fidelium confessiones?..... 262

CAPUT IV. De prædicationis ministerio..... 263

SECTIO IV. De jure regularium quoad bonorum suorum temporalem administrationem..... 268

Subsectio I. Quænam foret communitatum religiosarum potestas administrandi bona sua, secluso jure positivo?..... 270

CAPUT I. De dominio et administratione rerum temporalium apud religiosas communitates, notio prævia..... 270

CAPUT II. An religiosa communitas habeat ex seipsa jus administrandi bona sua, et an jus illud a sede Apostolica possit ei adimi aut restringi?..... 273
Propositio Ia. Religiosa communitas habet ex seipsa jus bona sua administrandi; nec opus est ut jus illud ab aliquo ipsi concedatur..... 273
Propositio IIa. Dicta potestas communitatis administrandi bona sua intelligenda est universaliter, seu quoad omnes administrationis actus, non exceptis alienatfonibus..... 277
Propositio IIIa. Dicta administratio religiosis communitatibus competens, potest a Papa ipsis adimi et restringi..... 277

CAPUT III. An et quatenus, secluso jure positivo, ab Ordinario dependeret communitas religiosa pro administrandis bonis suis?..... 278
Propositio Ia. Casu quo potestate sua administrandi communitas abuteretur, posset Ordinarius abusum coercere..... 279
Propositio IIa. Secluso dicto casu, non posset Episcopus eam administrandi potestatem restringere aut in eam sese ingerere..... 280
Propositio IIIa. Stante accusatore vel fama publica, de excessibus a communitate in administratione commissis, potest Ordinarius ad inquisitionem veritatis procedere, et communitatem cogere ad reddendam computorum rationem : secus si non adsit accusator aut fama publica.... 280
Propositio IVa. Præmissæ conclusiones intelligendæ sunt etiam de religiosis mulierum communitatibus : secluso nempe jure positivo, ipsis etiam dicto modo competeret libera bonorum suorum administratio..... 281
Conclusio subsectionis..... 281

Subsectio II. Qualiter jure positivo regularibus adempta fuerit libera bonorum suorum administratio, quoad immobilium, necnon mobilium pretiosorum alienationem..... 283

Digitized by Google

CAPUT I. Colliguntur præcipui juris textus in hac re attendendi, et prænotatur quid immobilium et mobilium pretiosorum nomine intelligi soleat. 283

CAPUT II. Quosnam regulares attingat prohibitio alienandi immobilia et mobilia pretiosa, absque Pontificio beneplacito?..... 286

Propositio Ia. Ordines incapaces possidendi in communi, huic prohibitioni non subjacent quoad alienationem immobilium : bene vero quoad alienationem mobilium pretiosorum..... 286

Propositio IIa. Dictæ prohibitioni subjacent omnes religiosorum et monialium ordines, in quibus solemnia vota emittuntur, nisi privilegium in contrarium obtinuerint post Urbani VIII sanctionem..... 287

Propositio IIIa. Dictæ prohibitioni subjacere censendæ sunt etiam moniales, quæ vel nulla, vel simplicia duntaxat vota emittunt..... 288

Propositio IVa. Sub dicta prohibitione comprehendi censendæ sunt religiosæ virorum congregationes, quæ vel nulla, vel simplicia tantum vota emittunt..... 289

CAPUT III. Quosnam contractus comprehendat dicta alienandi prohibitio?. 289

§ I. Quænam alienationes fieri possint absque Pontificio beneplacito?..... 290

§ II. Quænam alienationes fieri nequeant absque Pontificio beneplacito?. 294

CAPUT IV. An et quatenus regulares ab Ordinario dependeant, quoad bonorum alienationes?..... 297

CAPUT V. Quando requiritur beneplacitum Apostolicum, an aliæ simul requirantur conditiones aut formalites ad legitimam alienationem?..... 298

Propositio Ia. Pro alienando immobili valoris plus quam modici, necnon mobili pretioso, requiritur causa necessitatis aut evidentis utilitatis, et beneplacitum Apostolicum : at nihil aliud requiritur..... 299

Propositio IIa. Utilitas requisita adesse censenda est, quando ex alienatione certo oritur majus lucrum, quam ex non alienatione..... 300

Propositio IIIa. Utilitas requisita intelligenda est relative ad tempus in quo fit alienatio, non autem relative ad tempus subsequens..... 301

CAPUT VI. An lex Pontificiam licentiam requirens pro alienationibus, vi contrariæ consuetudinis extra Italiam vigere desierit?..... 301

Propositio Ia. Dicta lex non talis videtur contra quam nulla contraria consuetudo legitime præscribere queat..... 301

Propositio IIa. Extra Italiam videtur revera legitime præscripsisse consuetudo alienationes faciendi absque licentia Pontificia..... 303

Propositio IIIa. Secluso etiam titulo dictæ consuetudinis, videtur hodie extra Italiam frequenter licitas esse alienationes absque licentia Apostolica..... 306

Subsectio III. De cæteris administrationis actibus, præter immobilium et mobilium pretiosorum alienationem..... 308

CAPUT I. Expenditur quæstio quoad virorum religiosas communitates.... 308

Digitized by Google

Propositio Ia. Auctoritate Apostolica decisum est, Oratorianos, quamvis nequaquam exemptos, non dependere ab Ordinario pro bonorum suorum temporalium administratione..... 308
Propositio IIa. Congregationes virorum, etiam non exemptæ, et sive solemnia, sive simplicia, sive nulla in eis vota emittantur, liberam habent bonorum suorum administrationem, excepta immobilium et mobilium pretiosorum alienatione..... 309

CAPUT II. Expenditur quæstio quoad religiosas mulierum communitates... 310
§ I. Expenditur quæstio quoad moniales exemptas et regularis prælati jurisdictioni subjectas..... 310
Quæstio Ia. Quid hac de re statuerit Gregorius XV?..... 310
Quæstio IIa. Quid juris ex allata Gregorii XV lege sequatur relative ad Episcopum loci?..... 311
Quæstio IIIa. Quodnam sit jus prælati regularis in moniales jurisdictioni suæ subjectas, quoad dictam administrationem?..... 312
Quæstio IVa. An pro reliqua domestica directione et gubernio domestico dependeant moniales a prælato suo regulari?..... 315
§ II. Expenditur quæstio quoad moniales solemniter professas, quæ regularis prælati jurisdictioni non subsunt..... 315
§ III. Expenditur quæstio quoad religiosas mulierum congregationes, quæ vel simplicia duntaxat, vel nulla vota habent..... 319
§ IV. Expenditur quæstio quoad moniales, generali plurium conventuum superiorissæ subjectas. *Remissive*..... 320

SECTIO V. De jure monialium quoad varia Ordinariorum auctoritatem respicientia..... 322

CAPUT I. De canonica monialium visitatione..... 322
Quæstio Ia. Quid intelligatur ejusmodi visitationis nomine?..... 322
Quæstio IIa. Ad quosnam prælatos spectet visitationem monialium facere? 322
Quæstio IIIa. An dictam visitationem facere possit vicarius generalis Episcopi?..... 323
Quæstio IVa. An vicarius capitularis, sede vacante?..... 323
Quæstio Va. De quibus institui possit aut debeat visitatio?..... 323
Quæstio VIa. Quid jure statutum sit, quoad visitationem a prælato regulari faciendam?..... 324
Quæstio VIIa. Quid jure statutum sit quoad visitationem ab Episcopo faciendam?..... 327
Quæstio VIIIa. An prælati ad quos spectat clausuræ visitatio, possint eam facere per delegatos?..... 329
Quæstio IXa. An Episcopus visitaturus clausuram monialium regularibus subjectarum, teneatur ante accessum monialibus præfinire diem et horam visitationis?..... 329
Quæstio Xa. An Episcopo clausuram visitare volenti teneantur moniales erigere baldachinum, vel solummodo stratum?..... 330

Digitized by Google

Quæstio XI^a. An Episcopus clausuram ingressus possit convocare moniales in choro interiori, aut alio loco, et ad eas sermonem habere?..... 330
Quæstio XII^a. Quam pœnam incurrant moniales visitationem impedientes? 330
Quæstio XIII^a. Quam frequens esse debeat canonica monialium visitatio?. 330
Quæstio XIV^a. An Episcopis custodienda commissa sit monialium clausura, non tantum materialis, sed etiam formalis?..... 330
Quæstio XV^a. An jus expositum de canonica monialium visitatione, applicandum veniat iis monialium congregationibus, quæ per vota solemnia non profitentur?..... 330

CAPUT II. De confessoribus monialium..... 331
§ I. Quid in bulla *Pastoralis* occurrat dispositum..... 331
§ II. Exponuntur cæteræ juris dispositiones quoad confessores monialium. 333
§ III. An et quatenus præmissæ dispositiones applicandæ sint mulierum communitatibus, quæ solemnia vota non habent?..... 336

SECTIO VI. De jure regularium quoad parochos. *Remissive*..... 339

CAPUT I. Recensentur quæ jam hac de re fuerunt exposita..... 339

CAPUT II. Expenduntur alia nonnulla de jure regularium relative ad parochos..... 341
§ I. An jus habeat parochus, vel etiam Episcopus, impediendi seu prohibendi, ne regulares ante missam parochialem sacras functiones et missas celebrent, prævia etiam campanarum pulsatione?.....
§ II. Num religiosorum et monialium cadavera, si extra conventum in cœmeterio communi sepelienda sint, eo deferri valeant absque parochi interventu?..... 345
Propositio I^a. Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventus ecclesia (obstante, verbi gratia, lege civili, ut hodie in Gallia), possunt regulares cadaver ad commune cœmeterium deferre, cum stola et cruce conventus, absque interventu ullius parochi, dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa et recto tramite ad cœmeterium..... 345
Propositio II^a. Quando moniales exemptæ sepeliendæ sunt extra suum conventum, verbi gratia, in communi totius civitatis cœmeterio, ad confessarium monialium, non autem ad parochum pertinet funus ducere: imo id extendendum ad feminas sæculares quæ in conventu, cum animo ibi perpetuo manendi, sese receperunt: an autem idem currat jus quoad puellas educationis causâ sub clausura degentes, controvertitur..... 347

APPENDIX I. De congregationibus virorum votis solemnibus carentium, relative ad Episcopos..... 350
Quæstio I^a. An dictæ congregationes Episcopo sint subjectæ quoad ipsarum constitutiones, a sede Apostolica approbatas?..... 350
Quæstio II^a. An et quatenus dictæ congregationes ab Episcopo dependeant quoad bonorum suorum temporalium administrationem?..... 351
Quæstio III^a. An dictæ virorum congregationes ab Episcopo dependeant

Digitized by Google

quoad membrorum admissiones, eorumdem expulsiones, superiorum electiones, et ad alia congregationis officia nominationes? 352
Quæstio IVª. Quando in hisce congregationibus oritur contentio de legitima superiorum electione, an Episcopus sit judex competens ad causam dirimendam? 352
Quæstio Vª. An dictæ congregationes ab Episcopo dependeant quoad constitutionum suarum observantiam? 354
Quæstio VIª. Quomodo dictæ virorum congregationes ab Episcopis dependeant quoad novos conventus fundandos et conservandos? 354
Quæstio VIIª. Quatenus possit seminariorum regimen dictis congregationibus committi? 355
Quæstio VIIIª. Quatenus dictarum congregationum presbyteri parochialibus ecclesiis præfici valeant? 356
Quæstio IXª. An dictarum congregationum presbyteri valeant simplicia beneficia, necnon alia ecclesiastica officia consequi? 357
Quæstio Xª. An dictarum congregationum presbyteri, pro audiendis confessionibus, non tantum exterorum, sed etiam confratrum, debeant jurisdictionem ab Ordinario recipere? 357

APPENDIX II. Quomodo moniales, generali superiorissæ subjectæ, ab Ordinario in singulis diœcesibus dependeant 358
CAPUT I. De difficultatibus quæ ex dicta congregationum forma facile exurgunt, relative ad Ordinarios 358
Quæstio Iª. Num omnino recentes sint ejusmodi congregationes monialium, generali plurium conventuum superiorissæ subjectarum? 358
Quæstio IIª. Quænam ex ista congregationum forma oriantur difficultates, relative ad diœcesanos singulorum conventuum Episcopos? 359
Quæstio IIIª. Quid Benedictus XIV statuerit ad tollendas eas difficultates, quoad unam ex istis monialium congregationibus? 361
Quæstio IVª. Num quoad hodiernas ejusmodi monialium congregationes, sufficiens ad præcavendas difficultates censenda sit præmissa Benedicti XIV ordinatio? 363
Quæstio Vª. Quomodo jam ab aliquanto tempore sedes Apostolica dictis congregationibus aliter providere cœperit? 364

CAPUT II. Quomodo dictæ difficultates solvendæ videantur de jure communi, quando sedes Apostolica nihil hac de re quoad aliquam ejusmodi congregationem disposuit? 366

PARS SEXTA. De jure regularium ad intra 373
SECTIO I. De potestate regendi intra ipsosmet regularium ordines existente 374
CAPUT I. De natura potestatis intra regularium ordines existentis 374
Propositio Iª. In ordinibus religiosis inter se differunt et sedulo distinguendæ sunt potestas dominativa et potestas jurisdictionis 374
Propositio IIª. In quolibet ordine religioso necessario adest potestas dominativa, a potestate jurisdictionis distincta 375

Digitized by Google

Propositio IIIa. Status religiosus esse potest cum sola potestate dominativa, intra religiosum ordinem existente..... 376
Propositio IVa. Contingere nequit ut nullus habeat potestatem jurisdictionalem in religiosos..... 377
Propositio Va. In religionibus exemptis, quales nunc sunt fere omnes religiones virorum, necessarii sunt prælati proprie dicti, habentes spiritualem, imo et episcopalem jurisdictionem..... 378
Propositio VIa. In ordinibus exemptis, ii religiosi qui conventibus præsunt, et ordinariam jurisdictionem habent, sunt prælati in vero et stricto sensu..... 379
Propositio VIIa. Quod religiosi, conventibus præpositi, jurisdictionem habeant, provenit ex jure positivo, non autem ex jure divino. *Remissive*..... 379

CAPUT II. De subjecto potestatis gubernativæ, intra religiosos ordines : seu quænam personæ religiosæ potestatem illam habeant..... 380
§ I. Quinam religiosi sint prælati, seu jurisdictionem habeant, in virorum ordinibus ?..... 380
Propositio Ia. Generales ordinum, provinciales, et singulorum conventuum superiores seu rectores, vere et proprie sunt prælati..... 380
Propositio IIa. Dicti regulares prælati jurisdictionem habent quasi episcopalem..... 382
Propositio IIIa. Prælatus major, sine justa causa non potest licite restringere jurisdictionem ordinariam prælati inferioris : potest autem valide. Item sine justa causa nequit eum licite amovere : potest autem valide.. 382
Propositio IVa. In congregationibus virorum, quæ status religiosi essentiam habent, sed absque votis solemnibus, superiores regulariter loquendo, non sunt prælati, seu non habent potestatem jurisdictionalem, sed tantum dominativam..... 382
§ II. Quomodo, in virorum ordinibus, regulares prælati legitime constituantur?..... 383
Quæstio Ia. Quotuplici modo legitime constitui valeat prælatus regularis?. 383
Quæstio IIa. Quid ad validam prælati regularis electionem requiratur ex parte ipsius eligendi?..... 384
Quæstio IIIa. Quid ad validam electionem requiratur ex parte eligentium? 385
Quæstio IVa. Quænam sit legitima forma eligendi generalem religionis prælatum?..... 385
I. De forma electionem antecedente..... 385
II. De forma electionem concomitante..... 386
Quæstio Va. Quænam sit legitima forma eligendi cæteros infra generalem prælatos?..... 388
§ III. De legitima electione superiorissæ seu abbatissæ monialium..... 389
Quæstio Ia. Quid Tridentina synodus hac de re statuerit?..... 389
Quæstio IIa. Ad quem spectet electio superiorissæ?..... 390
Quæstio IIIa. Quænam moniales jus suffragii habeant pro eligenda superiorissa?..... 390

Digitized by Google

Quæstio IVª. Quid requiratur ut aliqua monialis possit in superiorissam eligi? 391
Quæstio Vª. Quinam præsidere aut interesse debeant electioni superiorissæ? 393
Quæstio VIª, Quo in loco fieri debeat electio superiorissæ? 394
Quæstio VIIª. Qua forma fieri debeat electio superiorissæ? 394
Quæstio VIIIª. An et a quo electa superiorissa confirmari debeat? 396
Quæstio IXª. An adhuc post Tridentinam synodum fieri possit electio per compromissum et per inspirationem ad formam capitis *quia propter* (*de electione*)? 396

§ IV. An de jure communi perpetui sint prælati regulares, et num magis expediat eos esse in munere suo perpetuos? 396

CAPUT III. De objecto potestatis gubernativæ, intra ordines religiosos existentis, seu quid possint superiores regulares? 397

§ I. An et quatenus superiores regulares possint præceptis suis subditos in conscientia obligare? 397
Propositio Iª. Superiores religiosorum, etiamsi non habeant nisi potestatem dominativam, possunt subditis suis præcepta intimare, quæ eos obligent in conscientia; et quidem sub gravi, supposita apta et sufficienti materia 397
Propositio IIª. Si regularis superior sit etiam prælatus, id est, ordinariam fori externi jurisdictionem habeat, etiam ex hoc titulo potest per præcepta sua subditos in conscientia obligare 399
Propositio IIIª. Præceptum superioris non obligat, etiam sub veniali, nisi manifesta sit ejus voluntas obligandi in conscientia 400
Propositio IVª. Ad obligandum sub mortali, non sufficit aliquo modo manifestam fieri voluntatem obligandi, sed necesse est ut manifesta fiat per hanc aut æquivalentem formulam, *virtute obedientiæ* 400
Propositio Vª. Superioris præceptum non obligat sub gravi, nisi materia sit gravis 401
Propositio VIª. Præceptum superioris non obligat, si sit de re inhonesta, aut regulæ contraria 401
Propositio VIIª. Præceptum superioris, quod ita est *supra regulam*, ut nec explicite nec implicite seu reductive sub regula comprehendatur, non obligat 401
Propositio VIIIª. Quamvis superior obligatorie præcipere possit quæ sunt supra regulam, dummodo ad meliorem regulæ observantiam conferant, id tamen extendendum non est ad ea quæ, licet de se apta sint ad regulæ observationem promovendam, ei tamen regulæ et instituto non sunt consentanea 404
Propositio IXª. In dubio an res injuncta sit illicita, vel contra regulam, tenetur religiosus præcipienti superiori obedire 405
Propositio Xª. Potest superior religiosis præcipere sub gravi ea etiam quæ secum habent annexum mortis periculum, si adsit causa gravis, et

Digitized by Google

aliunde res præcepta sub regula comprehendatur saltem implicite seu reductive..... 405
Propositio XI^a. Religiosus tenetur obedire superiori præcipienti actus internos, si connexionem habeant cum externis..... 406
Propositio XII^a. Religiosi ex voto obedientiæ tenentur obedire Romano Pontifici, etiam quatenus est uniuscujusque religionis summus et principalis superior : item S. Congregationi Episcoporum et regularium : item Cardinalium collegio, sede Apostolica vacante..... 406
Propositio XIII^a. Si monasterium non sit exemptum, et contraria præcipiant superior et Episcopus, religiosus (ordinarie loquendo) tenetur obedire superiori in iis quæ spectant ad regulam : in iis vero quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, Episcopo..... 407
Propositio XIV^a. Superioribus contraria præcipientibus, tenentur religiosi ei obedire, qui majorem auctoritatem habet : verbi gratia, provinciali potiusquam superiori locali, etc..... 407
Propositio XV^a. Non tamen tenentur regulares obedire superiori suo excommunicato..... 407
Propositio XVI^a. Papa potest eximere religiosum a quorumlibet ipsius superiorum obedientia, et sibi reservare potestatem eum regendi et obligandi ; idemque potest generalis superior relative ad prælatum inferiorem..... 407
Propositio XVII^a. Religiosus ex vi voti obedientiæ obligari nequit, etiam a Papa, ad transeundum ad statum sæcularem..... 407
Propositio XVIII^a. Religiosus ex vi voti obedientiæ obligari nequit, etiam a Papa, ut transeat ad religionem minoris aut etiam æqualis perfectionis.. 407
Propositio XIX^a. Religiosus vi voti obedientiæ nequit obligari, neque ad transeundum, neque ad non transeundum ac religionem perfectiorem. 407
Propositio XX^a. Certum est illicitam et irritam esse episcopatus acceptationem a religioso, absque superiorum suorum licentia : an autem id ex voto obedientiæ decerni potuerit, controverti potest..... 408
Propositio XXI^a. Potest Papa religiosum obligare ad acceptandum episcopatum ; non tamen vi voti obedientiæ, sed solum vi Pontificiæ suæ jurisdictionis..... 408
Propositio XXII^a. Non tenetur religiosus obedire superiori suo præcipienti ut acceptet beneficium sæculare : bene vero præcipienti ut acceptet et administret beneficium regulare..... 408
Propositio XXIII^a. Tradunt plures doctores, posse in aliqua religione extendi materiam obedientiæ, ita ut comprehendat absque limitatione res omnes honestas, et regulæ non contrarias..... 408
Propositio XXIV^a. Alacritas voluntatis in exequenda re injuncta, et conformitas judicii cum superioris præcipientis judicio, non sunt materia voti obedientiæ..... 410
§ II. An et quatenus superiores regulares valeant condere statuta perpetua, quæ rationem et vim legis habeant?..... 411
Quæstio I^a. Quinam in religione valeant statuta condere?..... 411

Digitized by Google

Quæstio IIª. Quænam nova statuta religiosis tanquam obligatoria imponi valeant? 412
Quæstio IIIª. An et quatenus possit summus Pontifex religiosos novis statutis seu legibus obligare? 415
§ III. An et quatenus reformari valeat aliquis ordo religiosus, et obligari possint religiosi ad observandam reformationem? 416
Quæstio Iª. Quotuplici modo contingere possit aliquam regulam relaxari seu mitigari? 416
Quæstio IIª. Quid senserint doctores circa præsentem materiam? 417
Quæstio IIIª. Num, ante factam reformationem, possit religiosus obligari ad servandam primitivam regulam? 418
Quæstio IVª. An et a quo fieri possit reformatio? 420
I. Etiamsi regula mitigata fuerit auctoritate Pontificia, potest reformari, non solum ab ipso Papa, sed etiam ab ipsa religione 420
II. Quando mitigatio introducta fuit per legitime præscriptam consuetudinem, reformari potest, tum a Romano Pontifice, tum ab ipsa etiam religione 420
Quæstio Vª. An, facta reformatione, religiosi qui ante ipsam professi erant, teneantur eam observare? 421

CAPUT IV. Quænam sit superiorissæ monialium potestas? 424
Quæstio Iª. An de jure divino feminæ, ac consequenter monialium superiorissæ, sint jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces? 424
Quæstio IIª. An de jure communi ecclesiastico monialium superiorissis competat ordinaria jurisdictio? 425
Quæstio IIIª. An dictæ superiorissæ, saltem ex privilegio, habere possint jurisdictionem ordinariam? 425
Quæstio IVª. An saltem jurisdictionem delegatam habere valeant? 426
Quæstio Vª. An revera delegatam jurisdictionem aliquæ monialium superiorissæ aliquando habuerint? 427
Quæstio VIª. An aliquæ monialium superiorissæ sint aut unquam fuerint vere prælatæ? 427
Quæstio VIIª. An superiorissa præceptis suis valeat moniales suas in conscientia obligare? 427
Quæstio VIIIª. An monialium superiorissæ subditarum suarum vota irritare valeant? 430
Quæstio IXª. An superiorissa possit dispensare in votis suarum monialium, aut ea commutare? 431
Quæstio Xª. An superiorissa dispensare possit in legibus Ecclesiæ, verbi gratia, jejuniis, abstinentiis, divini officii recitatione? 431
Quæstio XIª. An et quatenus superiorissa cum monialibus suis dispensare possit in observantiis regularibus? 431
Quæstio XIIª. An superiorissa extraneis licentiam concedere possit monasterium ingrediendi? 431
Quæstio XIIIª. An superiorissa possit monialibus suis indicere certas preces recitandas, pro amicis, benefactoribus et similibus? 431

Digitized by Google

Quæstio XIVª. An superiorissa monialibus suis præcipere possit ut missam concionemve audiant, aliave id genus opera peragant, quæ ad spiritualem ipsarum profectum referantur?..... 432
Quæstio XVª. An superiorissa possit alicui moniali injungere ne tali die sacram communionem faciat, ne orationibus in communi fieri solitis intersit, et alia hujusmodi?..... 432
Quæstio XVIª. An possit superiorissa moniales suas obligare, ut frequentius aut minus frequenter sacram communionem faciant? Et quid de sacramento pœnitentiæ?..... 433
Quæstio XVIIª. Quid possit superiorissa quoad temporalem bonorum monasterii administrationem? *Remissive*..... 435
Quæstio XVIIIª. An valeat superiorissa monialibus suis benedicere?..... 435
Quæstio XIXª. An superiorissæ licitum sit prædicare?..... 435

SECTIO II. De potestate coercitiva seu judiciaria prælatorum regularium.. 436

CAPUT I. Quænam et quanta sit prælatorum regularium potestas coercitiva seu judiciaria?..... 436

§ I. An prælati regulares habeant potestatem coercitivam episcopalem?.. 436
Propositio Iª. Si prælati regulares essent tantummodo superiores, et eis a sede Apostolica non fuisset addita prælatio, id est, jurisdictio, non possent subditos coercere, nisi modo paterno et juxta limites regulæ... 437
Propositio IIª. In virorum congregationibus non exemptis, superiores coercere non possunt nisi modo paterno et juxta regulam..... 437
Propositio IIIª. Prælati regulares ordinum exemptorum potestatem coercitivam episcopalem habent..... 438

§ II. An et quatenus prælati regulares subditos suos coercere valeant per pœnas spirituales?..... 438
Propositio Iª. Prælatus regularis potestatem habet subditos suos coercendi per quascunque ecclesiasticas censuras, quæ juste possent in tali materia seu crimine personis imponi; modo tamen ipsi facultas hæc jure particulari sui ordinis non fuerit limitata..... 438
Propositio IIª. Dictam potestatem coercendi per pœnas spirituales habent, non tantum generales ordinum et provinciales, sed etiam prælati locales seu conventuales; nisi forte jure particulari alicujus religionis hæc eorum potestas sublata aut limitata fuerit..... 439

§ III. An et quatenus prælati regulares subditos suos per corporales pœnas coercere valeant?..... 440

CAPUT II. De forma canonica processus criminalis, intra religiosos ordines.. 441
Quæstio Iª. Quandonam processui criminali locus sit apud religiosos ordines?..... 441
Quæstio IIª. An apud regulares processus criminalis fieri debeat ad formam juris communis?..... 442
Quæstio IIIª. Quatenus in processu criminali, intra religiosas familias, servanda sint essentialia juris, et quænam illa sint?..... 442

Digitized by Google

Quæstio IVª. An et quatenus religiosus a prælati sui sententia appellare valeat? 444

CAPUT III. De visitatione canonica per prælatos regulares..... 447
Quæstio Iª. An et quotuplex sit visitatio?..... 447
Quæstio IIª. Quid sint ordinariæ regularium visitationes?..... 448
Quæstio IIIª. An prælati regulares visitationem facere teneantur?..... 448
Quæstio IVª. Quam frequens esse debeat dicta visitatio?..... 448
Quæstio Vª. An visitatio ordinaria prælatis regularibus præscripta sit inquisitio judicialis et specialis, an vero inquisitio generalis et paterna?. 449
Quæstio VIª. Num in visitatione ordinaria, possit visitator inquirere in specie de tali religioso, verbi gratia, qualiter superior domus sese in suo officio gerat, vel quomodo talis alter religiosus regulam servet?..... 449
Quæstio VIIª. An possit aut teneatur visitator, in visitatione ordinaria, illis quos interrogat, juramentum imponere de dicenda veritate?..... 449
Quæstio VIIIª. Num, in visitatione ordinaria, requiratur aut admitti possit secretarius notariusve, qui interrogatorum responsa adnotet?..... 449
Quæstio IXª. Quænam delicta aut excessus possint aut debeant, in visitatione ordinaria, visitatori a subditis manifestari?..... 450
Quæstio Xª. An et quatenus delicta occulta, per visitationem paternam cognita, possit visitator aliis manifestare?..... 450
Quæstio XIª. An possit visitator, ob delicta alicujus religiosi per visitationem paternam cognita, circa ipsum aliquid ad emendationem disponere? 451
Quæstio XIIª. An et quatenus visitator, ex notitia per visitationem paternam acquisita, devenire valeat ad inquisitionem *judicialem* contra aliquem religiosum?..... 451

SECTIO III. De potestate religiosos solvendi a votis, et ab ipso etiam religioso statu..... 453

CAPUT I. An et a quo regulares a solemnium votorum et professionis vinculo solvi queant?..... 453
Propositio Iª. Ex rationabili causa potest summus Pontifex per dispensationem regulares a votorum solemnium et professionis suæ vinculo liberos facere..... 453
Propositio IIª. Posset Papa dispensare in solo voto solemni paupertatis, ad effectum ut religiosus dominium acquirere posset, remanente in illo religioso tota status religiosi essentia, non tamen remanente voti paupertatis solemnitate..... 455
Propositio IIIª. Posset Papa, duo alia solemnia vota in sua integritate relinquendo, dispensare totaliter in voto paupertatis, ita ut votum illud neque tanquam simplex remaneret : tunc vero deficeret in illo religioso proprie dicta status religiosi essentia..... 456
Propositio IVª. Posset summus Pontifex (juxta Suaresii doctrinam) ita dispensare in solo voto solemni castitatis, ut cessaret tum incapacitas ad valide contrahendum matrimonium, tum prohibitio utendi matrimonio

Digitized by Google

jam contracto; et nihilominus remaneret in religioso status religiosi essentia..... 456
Propositio Va. Expositæ, sub præcedenti propositione, Suaresii doctrinæ communius adversari videntur doctores.... 458
Propositio VIa. Nequit summus Pontifex proprie dispensare in solo voto obedientiæ, ita ut nihilominus remaneat status religiosi essentia..... 459
Propositio VIIa. Nequit Episcopus religiosos a votorum solemnium et professionis vinculo solvere..... 460
Propositio VIIIa. Quamvis possit Episcopus in quinque votis Papæ reservatis dispensare, si necessitas urgeat et sit difficilis ad Pontificem accessus, id tamen nunquam facere potest quoad solemnia religiosorum vota..... 461

CAPUT II. An et quatenus solvi possint vota simplicia paupertatis, castitatis, et obedientiæ, emissa in iis congregationibus, quæ status religiosi essentiam habent?..... 462
Propositio Ia. In iis congregationibus tenentur religiosi perseverare, non tantum ob triplex votum perpetuum, sed insuper vi contractus utrinque onerosi, congregationem inter et religiosum..... 462
Propositio IIa. Nisi ipsa congregatio consentiat, nemo præter Papam potest religiosos a dictis votis solvere, ea commutando aut in eis dispensando. 462
Propositio IIIa. Nequit Episcopus, quamvis congregatio non sit exempta, sed ipsius ordinariæ jurisdictioni subjecta, per commutationem aut dispensationem, religiosum ullum a votis substantialibus solvere, nisi congregatio consentiat..... 463
Propositio IVa. Scholasticos societatis Jesu nequaquam potest Episcopus a votis et statu religioso solvere..... 464

CAPUT III. An et quatenus membra earum congregationum, quæ status religiosi essentiam non habent, solvi possint ab obligatione in eis permanendi? 465
Propositio Ia. Quoties intervenit promissio perseverantiæ a congregatione acceptata, nisi congregatio consentiat, nemo, præter Papam, ullum congregationis membrum liberum facere potest, sive a dicta promissione, sive a juramento aut votis eam firmantibus..... 466

CAPUT IV. An et quatenus solvantur vota simplicia, a votis substantialibus religionis diversa, et quæ emissa fuerunt sive in sæculo, sive novitiatus tempore, sive post professionem?..... 468
§ I. An vota in sæculo emissa per professionem religiosam solvantur?... 469
Propositio Ia. Tenent doctores fere communiter, omnia ejusmodi vota per solemnium votorum emissionem ipso jure extingui..... 469
Propositio IIa. Probabile est aliqua vota in sæculo facta, per *solam* votorum solemnium emissionem non extingui..... 469
Propositio IIIa. Ad effectum extinguendi vota in sæculo emissa, vim etiam habet professio in congregationibus, status religiosi essentiam habentibus absque votorum solemnitate : non tamen omnino eamdem ac professio per vota solemnia..... 472

Digitized by Google

Propositio IVª. Si congregatio status religiosi essentiam non habeat, in ea profitens non solvitur votis simplicibus antea emissis; nisi vota quæ in congregatione fiunt sint ex natura sua melioris boni, et ipse in ea commutet vota sua præcedentia; aut nisi cum eo in votis præcedentibus legitime dispensetur..... 473

§ II. An et quatenus ante professionem solvi possint vota novitiorum, sive ante novitiatum, sive in novitiatu emissa?..... 474

Propositio Iª. Nequeunt superiores irritare directe vota novitiorum : possunt autem indirecte..... 474

Propositio IIª. Prælati regulares religionum exemptarum dispensare possunt cum novitiis in votis emissis, tum ante novitiatum, tum novitiatus tempore : id autem nequeunt de jure ordinario superiores religionum non exemptarum..... 475

Propositio IIIª. Dicta potestas prælatorum *dispensandi* in votis novitiorum, non extenditur ad vota Papæ reservata..... 475

Propositio IVª. Prædicta potestas prælatorum regularium vota novitiorum *indirecte irritandi*, extenditur etiam ad quinque vota Papæ reservata.. 475

Propositio Vª. Prælati regulares qui dictam potestatem habent dispensandi in votis novitiorum, dispensare etiam possunt in voto ingrediendi religionem strictiorem : non tamen possunt votum illud irritare..... 475

§ III. An et quatenus solvi possint vota religiosorum, post professionem emissa?..... 476

Propositio Iª. Omnia hæc vota, excepto solo transeundi ad strictiorem religionem, a prælato regulari directe irritari possunt..... 476

Propositio IIª. Hanc irritandi potestatem habet, non solum superior generalis et provincialis, sed etiam localis : imo probabiliter monialium superiorissa..... 476

Propositio IIIª. Prælati regulares, si sint exempti, possunt non tantum dicta vota irritare, sed etiam in iis dispensare : secus si non sint exempti..... 476

Propositio IVª. Licet prælatus regularis nequeat irritare votum sui religiosi transeundi ad strictiorem religionem, potest tamen (si sit exemptus) in eo dispensare..... 476

SECTIO IV. De regularibus statum mutantibus..... 478

CAPUT I. De regularium apostasia..... 478

Quæstio Iª. Quid et quotuplex sit apostasia?..... 478

Quæstio IIª. In quo consistat proprie dicta apostasia a religione?..... 479

Quæstio IIIª. Quænam sint pœnæ in apostatas et fugitivos latæ?..... 480

Quæstio IVª. Quænam pœnæ latæ sint in eos qui apostasiæ aut fugæ religiosorum, eos recipiendo, aliove modo cooperando, favent et auxiliantur?. 480

Quæstio Vª. Quomodo sese gerere debeant superiores erga fugitivos et apostatas subditos..... 480

CAPUT II. De ejectione religiosorum qui solemnia vota emiserunt..... 481

Digitized by Google

Quæstio Ia. An religiosi incorrigibiles, etsi solemniter professi, a religione licite ejici valeant? 481
Quæstio IIa. Quænam servanda sint ad legitimam religiosi solemniter professi ejectionem? 481
Quæstio IIIa. Quid agendum, sicubi adhiberi pœna carceris nequeat? 482
Quæstio IVa. Quænam sit conditio religiosi solemniter professi, post ejus ejectionem? 483
Quæstio Va. An ejectus teneatur sese emendando procurare, ut iterum in conventu recipiatur, et an conventus teneatur eum recipere? 484
Quæstio VIa. An jus particulare habeat societas Jesu, quoad professorum suorum ejectionem? 485

CAPUT III. De ejectione ac dimissione religiosorum, qui simplicia duntaxat vota emiserunt 486
Quæstio Ia. An in iis congregationibus quæ habent simplicia duntaxat vota, sed cum vero statu religioso, ejici valeat religiosus absque justa causa? 486
Quæstio IIa. An scholastici societatis Jesu valide ejici possint absque justa causa? 486
Quæstio IIIa. An religiosi congregationum, quæ simplicia duntaxat vota habent cum status religiosi essentia, dimitti possint absque causa, si ipsimet in id ultro consentiant? 488
Quæstio IVa. Quænam sit conditio religiosi, qui, post emissa simplicia vota, legitime ejicitur aut dimittitur? 488
Quæstio Va. An sine causa ejici aut dimitti valeant membra earum congregationum, quæ status religiosi essentiam non habent? 489

CAPUT IV. De religiosis solemniter professis, ex indulto Apostolico facultatem habentibus degendi in sæculo 489
Quæstio Ia. An et quatenus soleat dictum indultum concedi? 489
Quæstio IIa. Quantum discrimen hos inter et ejectos intercedat? 490
Quæstio IIIa. Quænam sit conditio ejusmodi religiosorum ex indulto Apostolico in sæculo degentium? 490

CAPUT V. De regularibus ad aliam religionem transeuntibus 491
§ I. Quodnam sit jus commune circa transitum regularium ad aliam religionem? 491
Quæstio Ia. An et quatenus de jure cummuni licitus et validus sit transitus a laxiori ad arctiorem? 491
Quæstio IIa. An et quatenus licitus et validus sit transitus ad æqualem religionem? 499
Quæstio IIIa. An et quatenus licitus ac validus sit transitus ad laxiorem? 500
Quæstio IVa. Quomodo jus intelligendum sit quoad religiosum, qui licentiam Pontificiam obtinuit ad aliam religionem transeundi? 500
Quæstio Va. Undenam dignoscendum sit an aliqua religio sit arctior altera? 501
§ II. De jure particulari variorum ordinum, circa transitum ad aliam religionem 502
Propositio Ia. Fere omnes religiones privilegium habent, ut nequeat fieri

Digitized by Google

ab ipsis transitus ad arctiorem, cum sola petita et non obtenta licentia. 502
Propositio IIª. Dicta privilegia intelligenda sunt absolute, et non tantum pro casu quo transitus fieret ex animi levitate et inconstantia; quamvis Innocentius III de hoc solo casu intelligenda decreverit similia privilegia ante ipsum concessa..... 503
Propositio IIIª. Quamvis omnes fere religiones dictum privilegium habeant, dici absolute non potest, omnino sublatum fuisse jus commune capitis *Licet*, quo (servatis servandis) licitum est ad arctiorem transire, petita et non obtenta licentia..... 504
§ III. De praxi Romanæ curiæ, quando ad sedem Apostolicam recurritur pro transitu ad aliam religionem..... 505
§ IV. De transitu a statu laicali ad clericalem, et vice versa, intra eamdem religionem..... 506

SECTIO V. De religiosorum obligationibus..... 508

CAPUT I. De obligationibus ex voto paupertatis..... 508
§ I. De fundamentali obligatione non habendi bonorum temporalium dominium, vel saltem liberum et independentem usum..... 509
Propositio Iª. Votum paupertatis, quale fit a regularibus, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, prohibet *saltem* liberum et independentem bonorum temporalium usum..... 509
Propositio IIª. Qui solemnia religionis vota emisit, non tantum nequit de bonis temporalibus independenter a superiore disponere, sed neque ejusmodi bonorum dominium retinere aut acquirere..... 510
Propositio IIIª. Dicta fundamentalis obligatio religiosos ligat quatenus singulos : non autem (de jure communi) ea ligatur ipsemet religiosus ordo. 510
§ II. Quænam bona sint pro temporalibus habenda, ita ut eorum dominium retinere, aut de iis independenter a superiore disponere nequeant regulares?..... 511
§ III. An et quatenus religiosis licitum sit habere peculium, pensionesque vitalitias seu livella?..... 512
Quæstio Iª. Quid per peculium in præsenti materia intelligatur?..... 512
Quæstio IIª. An peculium, cum independenti usu ipsius, licitum sit aut esse possit regularibus?..... 512
Quæstio IIIª. An religiosis licitum sit peculium cum dependenti usu a superiorum voluntate?..... 513
I. Tale peculium essentiæ voti paupertatis et status religiosi non repugnat; proindeque non est ex jure naturali illicitum..... 513
II. Peculium cum usu dependenti non fuit prohibitum a jure ecclesiastico ante Tridentinam synodum..... 515
III. An Tridentina synodus dicta peculia cum dependenti usu prohibuerit, controvertitur : probabilior affirmativa sententia..... 515
IV. Si hodiedum vigeret decretum *Nullus* Clementis VIII, dicendum foret peculia hæc esse prohibita..... 516

Digitized by Google

V. Saltem ex consuetudine et sedis Apostolicæ praxi, hodie licita sunt peculia in iis conventibus, in quibus viget eorum usus..... 517
VI. Licita esse peculia in iis conventibus, in quibus ob paupertatem vel superiorum incuriam necessaria regularibus non ministrantur, extra omnem controversiam est..... 520
VII. Si prælati regulares, et a fortiori sedes Apostolica, vitam communem reducere velint, et peculia proscribant, tenentur regulares huic reformationi sese submittere, modo simul ipsis necessaria suppeditentur..... 520
VIII. Ubi viget vita communis, graviter peccarent prælati peculiorum praxim absque necessitate introducentes..... 520
IX. Regulares qui possunt absque gravibus incommodis vitam communem in suis conventibus reducere, atque id non faciunt, vituperio digni sunt, et, vel ex hoc ipso, sese produnt in prosequenda vitæ religiosæ perfectione valde remissos..... 521
Quæstio IVª. In conventibus ubi legitime habentur peculia et livella, quid licitum sit vel prohibitum circa ipsorum usum..... 522
§ IV. Quænam pœnæ latæ sint in regularem, qui proprietarius obiisse deprehenderetur?..... 525
§ V. An et quatenus religioso licitum sit donationes facere, testamentum condere, et dona sibi oblata acceptare vel recusare?..... 526
Quæstio Iª. An et quatenus religiosus aliquid dare possit?..... 526
Quæstio IIª. An et quatenus religiosis prohibitum sit munera elargiri?.. 527
Quæstio IIIª. An et quatenus possit religiosus aliquid acceptare vel non acceptare?..... 528
Quæstio IVª. An et quatenus possit religiosus solemniter professus aliquid per testamentum dare?..... 529
Quæstio Vª. An et quatenus religiosi, qui simplicia duntaxat vota emiserunt, valide possint testamentum condere, aliove modo de bonis suis disponere?..... 530
§ VI. An sufficiat superiorum tacita aut etiam præsumpta licentia, ut religiosus licite aliquid accipiat, retineat, absumat, alteri donet vel commodet?..... 532
§ VII. Quænam quantitas requiratur ad peccatum mortale contra paupertatis votum?..... 533
§ VIII. Quænam sit specialis obligatio ex voto paupertatis, in iis religionibus quæ in communi possidere nequeunt?..... 534
Quæstio Iª. Quænam religiones nequeant, etiam in communi, bona immobilia possidere?..... 534
Quæstio IIª. Quomodo intelligendum sit, dictas religiones non posse bona immobilia in communi possidere?..... 535
Quæstio IIIª. An religiones bona immobilia possidendi incapaces, possint in communi mobilia possidere?..... 535
Quæstio IVª. An incapacitas dictarum religionum excludat etiam fundationes et annuos redditus pro expensis divini cultus, verbi gratia, pro luminibus, ecclesiæ reparatione, paramentis sacris et similibus?..... 536

Digitized by Google

Quæstio V^a^. Ex eo quod minores de Observantia et Capuccini sint incapaces legatorum seu censuum annuorum, an sequatur irritum esse legatum annuum ipsis pro sustentatione relictum, ita ut possit hæres in conscientia illud non solvere? 536
Quæstio VI^a^. Quo sensu Minoribus et Capuccinis prohibitum sit pecuniam habere, atque etiam manu tangere? 537

CAPUT II. De obligationibus religiosorum ex voto castitatis 538

CAPUT III. De obligationibus religiosorum ex voto obedientiæ. *Remissive* 539
I. Quanta sit religiosæ obedientiæ præstantia 540
II. De distinctione obedientiæ in necessariam et perfectam 540
III. Quid ex parte voluntatis requiratur ad obedientiam necessariam, et quid ad obedientiam perfectam? 540
IV. Quo sensu bonum sit, et ad obedientiæ perfectionem necessarium, ut religiosus in superiore suo Deum consideret, eique ut Deo obediat? 540
V. Quo sensu obedientia cæca bona sit, et ad obedientiæ perfectionem requiratur? 542

CAPUT IV. De obligatione religiosorum servandi regulam 543
§ I. Quid nomine regulæ intelligendum sit? 544
§ II. An et quatenus regula obliget per se, seu abstrahendo ab adjunctis? 545
Propositio I^a^. Regulæ non sunt mera consilia, sed habent aliquatenus rationem legis; ac proinde aliquatenus obligant 545
Propositio II^a^. Dari potest regula quæ obliget sub mortali, et regula quæ obliget sub veniali, et regula quæ obliget solummodo ad pœnam. *Remissive* 546
Propositio III^a^. Regula non obligat vi voti obedientiæ, nisi forte id in ea clare exprimatur 546
Propositio IV^a^. Quando in regula expresse dicitur eam obligare quantum potest, ejus violatio erit peccatum mortale si materia sit gravis; veniale, si materia sit levis 546
Propositio V^a^. Regula obligat sub veniali tantum, si hoc in ea expresse declaretur 547
Propositio VI^a^. Regula per se, ne sub veniali quidem obligat, si hoc in ipsa declaretur 547
Propositio VII^a^. Quando silet regula circa obligationem ex ipsa exurgentem, num obliget sub gravi (accedente materiæ gravitate), num sub levi tantum, num denique nullatenus sub culpa obliget, controvertitur : anteponenda opinio quæ tenet, regulam tunc sub gravi non obligare; et an obliget sub levi dignoscendum esse ex circumstantiis, ex recepta præsertim apud unamquamque religionem interpretatione 547
§ III. An et quatenus regula obliget ex adjunctis? 548
Quæstio I^a^. An et quatenus violatio regulæ evadat peccaminosa, ratione contemptus? 548

Digitized by Google

Quæstio IIa. An et quatenus violatio regulæ evadat peccaminosa, ratione periculi proximi labendi in peccatum mortale? 550
Quæstio IIIa. An et quatenus peccaminosa sit regulæ violatio, ex eo quod religioni damnum inferat? 550
Quæstio IVa. An et quatenus peccaminosa sit violatio regulæ, ex eo quod secum trahat voti alicujus violationem? 551
Quæstio Va. An et quatenus violatio regulæ peccaminosa sit, ex eo quod justa causa esse possit expellendi religiosi? 552
Quæstio VIa. An et quatenus violatio regulæ peccaminosa sit, ex eo quod annexam habeat violationem præcepti tendendi ad perfectionem? 552

CAPUT V. De obligatione religiosorum tendendi ad perfectionem 552
Propositio Ia. Tenetur religiosus aliquo modo tendere ad perfectionem... 552
Propositio IIa. Peccaret mortaliter religiosus qui deliberate statueret nullo modo ad perfectionem tendere 553
Propositio IIIa. Religiosus servando vota sua, et cætera omnia quæ ipsi sub peccato injunguntur, vere tendit ad perfectionem 553
Propositio IVa. Si regulæ non obligent sub peccato, religiosus eas non servans, aut etiam proponens eas non servare, ex hoc solo reus non fit violatæ obligationis tendendi ad perfectionem; quamvis ex aliis capitibus peccaminosa esse possit hæc agendi ratio 553
Propositio Va. Si regulæ obligent sub peccato veniali, propositum eas frequenter violandi, probabilius non est per se gravis transgressio præcepti tendendi ad perfectionem 554
Propositio VIa. Raro in praxi peccati gravis rei censendi sunt religiosi ob regularum violationem 555
Propositio VIIa, Scholastici societatis Jesu, qui simplicibus duntaxat votis ligantur, et a societate dimitti possunt, non tantum si reperientur incorrigibiles, sed etiam ob minores alios defectus, graviter peccant, si de industria et in hunc finem regulas violent, ut dimittantur 556
Propositio VIIIa. In prædicto casu, dimissio scholasticum non solvit a votis. 557
Propositio IXa. Quod de scholasticis societatis Jesu dictum est, extendendum est ad religiosos earum congregationum, quæ, licet status religiosi essentiam habeant, sola tamen simplicia vota nuncupant 557

CAPUT VI. De obligatione gestandi religiosum habitum 557
Propositio Ia. Formalis habitus dimissio, si fiat temere, peccatum grave regulariter loquendo censenda est 557
Propositio IIa. Non adest temeraria habitus dimissio, nec proinde peccatum, quando mutatur habitus ex rationabili causa 558
Propositio IIIa. Non videtur prælatus regularis potestatem habere dispensandi pro habitus mutatione 560
Propositio IVa. Materialis dimissio habitus, per se, et nisi ordinis regula illam prohibeat, non est peccatum 561

CAPUT VII. De obligatione clausuræ quoad viros 561
§ I. An et quatenus religiosis prohibitum sit ne claustro egrediantur?... 561

Digitized by Google

Propositio I^a. Jure communi religiosis prohibitum non est claustro egredi, cum prælati licentia 561
Propositio II^a. Religiosis illicitus est (regulariter loquendo) exitus absque prælati licentia 562
Propositio III^a. Prædictæ prohibitionis fundamentum videtur esse, non jus positivum scriptum, non religionum regulæ, sed jus superioris gubernandi et custodiendi suum subditum 562
Propositio IV^a. Prædicta obligatio non exeundi absque licentia, per se et ex genere suo est gravis : dantur tamen casus in quibus ejus violatio non est peccatum mortale, ob materiæ parvitatem 563
Propositio V^a. Grave peccatum est, si religiosus absque licentia claustro egrediatur, ut extra illud diu et quasi stabili modo vivat, quamvis non intendat religionem relinquere : item si furtive nocturno tempore exeat, licet non ob finem graviter peccaminosum : item diurnus exitus, cum animo extra monasterium pernoctandi 565

§ II. An et quatenus religiosis viris prohibitum sit, ne exteros intra claustra admittant? 566
Quæstio I^a. An exterorum admissio intra claustrum ex jure naturali prohibita sit? 566
Quæstio II^a. An et quatenus jure communi positivo prohibitum sit, ne religiosi feminas intra claustra admittant? 566
Quæstio III^a. An de jure communi prohibitum sit ne religiesi extraneos viros intra clausuram admittant? 570
Quæstio IV^a. An et quatenus ex propriis cujusque religionis constitutionibus prohibitum sit, ne intra claustra personas extraneas religiosi admittant? 571

CAPUT VIII. De obligatione clausuræ quoad moniales 571

§ I. De clausura monialium in genere 572
Quæstio I^a. An clausura sit de essentia religiosi status, aut saltem solemnitatis votorum? 572
Quæstio II^a. Quando et quibus legibus obligatio clausuræ quoad moniales fuerit inducta et firmata? 573
Quæstio III^a. Quomodo differat lex clausuræ monialium a lege clausuræ virorum? 574
Quæstio IV^a. An lex clausuræ legitime potuerit imponi monialibus, quæ eam non voverant? 575
Quæstio V^a. An moniales contra clausuræ obligationem legitime præscribere valeant? 578

§ II. De clausura monialium quatenus prohibet ipsarum egressum 578
Quæstio I^a. Qualis egressus monialium clausuram violet, atque excommunicationem inducat? 578
Quæstio II^a. An et quatenus monialium illicito egressui cooperantes peccent et pœnas incurrant? 579
Quæstio III^a. Quis possit absolvere ab excommunicatione quam, vel mo-

Digitized by Google

niales clausuram egrediendo, vel aliæ personæ egressui cooperando incurrerunt? 580
Quæstio IVª. Quibus in casibus licitum sit monialibus monasterio suo egredi? 581
§ III. De clausura monialium quatenus prohibet ingressum intra ipsarum claustra 583
Quæstio Iª. Quid variis temporibus hac de re statutum fuerit? 583
Quæstio IIª. An et quatenus prohibitum sit monialium clausuram ingredi? 584
Quæstio IIIª. Ad quem pertineat licentiam dare monialium clausuram ingrediendi, in casibus necessariis? 586
Quæstio IVª. Quatenus ii etiam qui facultatem habent clausuram monialium ingrediendi, censuras incurrant, si ob malum finem ingrediantur? 587
§ IV. De clausura monialium, quatenus prohibet accessum ad ipsas seu locutionem cum ipsis 587
Quæstio Iª. Nomine accessus ad moniales quid intelligendum sit? 587
Quæstio IIª. An et quatenus sæcularibus personis prohibitus sit accessus ad moniales? 587
Quæstio IIIª. An et quatenus accessus ad moniales prohibitus sit regularibus? 588
Quæstio IVª. An sub prohibitione et pœnis comprehendantur qui cum moniali colloquuntur nutibus, vel per interpositam personam, vel qui ei scribunt, vel alloquuntur puellas aut alias sub clausura degentes? 590
Quæstio Vª. Ad quem pertineat licentiam concedere ad colloquendum cum moniali? 590

CAPUT IX. De nonnullis aliis monialium obligationibus 591
Quæstio Iª. Quænam sit monialium obligatio quoad divini officii recitationem? 591
Quæstio IIª. Ad quid teneantur moniales quoad confessionem et sacram communionem? 592
Quæstio IIIª. Quid a monialibus observandum sit quoad collocutorium, fenestrallam communionis, clavem sacri tabernaculi, et nonnulla alia? .. 592

APPENDIX in qua solvuntur nonnullæ quæstiones in decursu tractatus prætermissæ 594
Quæstio Iª. An et quatenus potestatem habeant prælati regulares subditos suos absolvendi ab hæresi, aliisve reservatis casibus? 594
Quæstio IIª. An et quatenus possint religiosi sæculares personas absolvere ab hæresi aliisve casibus Papæ vel Episcopo reservatis? 596
Quæstio IIIª. Quosnam subditorum suorum casus sibi reservare queant regularium superiores? 597
Quæstio IVª. An religiosi exempti subjaceant reservationi Episcopi? 598
Quæstio Vª. An et quatenus regulares confiteri valeant confessariis qui non sunt de proprio ipsorum ordine? 598
Quæstio VIª. An regulares possint ex licentia suorum prælatorum, ordinari extra tempora? 599

Digitized by Google

Quæstio VII^a. An confessarii regulares dispensare valeant cum conjugatis, in impedimento petendi debitum ?..... 599
Quæstio VIII^a. An religiosi aut religiosæ possint esse compatres seu commatres ?..... 600
Quæstio IX^a. An ordinum Mendicantium conventus plures campanas habere possint ?..... 600

FINIS INDICIS.

CORBEIL, typ. et stér. de CRÉTÉ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google